



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

R.P. Leonardi Lessii Avtarivm ad 1.2. Complectens Variorm Casvum
Conscientiæ Resolutiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

R. P.
LEONARDI LESSII
AVCTARIVM ad I. 2.
 COMPLECTENS
VARIORVM CASVVM CONSCIENTIÆ
RESOLUTIONES.

PROLOGVTIO AD LECTOREM.



*L*ara, breuis, & distincta illa methodus, qua perplexam de Conscientia materiam, Auctor noster, ad quaestionem XIX, superiore libro complexus est, me excitauit, vt hic nonnullas e multis Casuum conscientia resolutiones AVCTARII in modum adijcerem, quas ipse iam inde ab anno precedentis seculi millesimi quingentesimi nonagesimo quarto, vsque ad annum nunc currentis vigesimum tertium, vita sua postremum, e varijs mundi regionibus consultus, in aduersarijs annotauit. Scio quidem haec omnia festinanter, & prima, vt aiunt, manu, ab homine plurimis negotijs distracto, valetudine infirma, vrgentibus responsum nuntijs conscripta, non ea mente vt lucem aliquando viderent, sed vt perplexis mentibus affusas tenebras dissiparent. Vnde praemonitum Lectorem velim, ne hic Viuum LESSIUM in posthumo requirat: sed vel hinc gratum laborem meum habeat, quod De tanti viri laboribus (verba sunt Reuerendi admodum P. N. MVTII VITELLESCI Societatis nostrae Praepositi Generalis) quam minimum perire patiar. Vt vero compendio tuo seruirem, totam hanc materiam a LESSIO, vt fors & tempus obtulerant, absq; ordine, plerumque etiam sine interrogatione conscriptam, per verba ordine alphabetico digessi; quod cuiusque responsi breuior clariorque vtilitas ad te perueniat; & ne, quod de Sibyllinis oraculis Poeta canit, haec Rapidis fiant ludibria ventis. Tu affectum benignè consule.

ABSOLVTIO.

CASVS I.

Abolutio absque signo doloris.

Tilius inopinatò incidit in articulum mortis, adeò vt nullum tunc signum doloris vel contritionis dare possit: nec verò antea ullam dedit significationem, eò quòd vis morbi subito usum rationis impediterit.

QVÆRITVR, An liceat ei beneficium Sacramentalis absolutiois impendere?

Hoc licitum esse, videtur probari posse. Primò, Auctoritate Cordubæ qu. 36. de Indulg. vbi id docet. Secundò, Quia in tali casu licitum est ei impendere Sacramentum extremæ Vnctionis, & Eucharistia, & beneficium absolutiois à censuris, vt patet ex praxi Ecclesiæ, & communi sententia Doctorum. Cur non etiam à peccatis? Tertiò, Quia parum

videtur referre vtrum edat signa contritionis in genere, an non; cum huiusmodi signa non sint confessio peccatorum. Si ergo absolutio potest dari editis signis contritionis, poterit etiam dari non editis, quando putatur infirmus esse in statu idoneo.

His tamen non obstantibus, omnino tenendum videtur contrarium. Primò: Quia solus Corduba id docet, idque nullà allatà ratione, & obiter duntaxat, his verbis: *Absoluat eum à censuris, si quibus ligatus teneatur; & etiam dicat: Absoluo te à peccatis: valeat quod valere potest.* Hæc ille. Ceteri Auctores vel docent non posse dari absolutioem Sacramentalem, etiamsi adsint signa contritionis, nisi aliquid in particulari possis confiteri; vt Sotus, Canus, Nauarrus: vel certe requirunt signa contritionis; vt Ioannes Medina, & alij recentiores.

Sententia negativa tenenda.

N

Secundò;

Secundò: Quia de essentia Sacramenti Pœnitentiæ sunt actus pœnitentis; vt colligitur ex Cœcilio Florentino in instructione Armenorum; & Tridentino sess. 14. cap. 3. & can. 4. Atqui hęc nullus est actus pœnitentis: ergo non potest hęc esse Sacramentum Pœnitentiæ: ergo neque sacramentalis absolutio.

Tertiò, Si absolutio esset valida absque vilo actu pœnitentis, totum Sacramentum essentialiter confisteret in actu absolutionis; quod est contra communem sententiam Doctorum, exceptis paucis; & videtur esse contra Cœcilium Florentinum & Tridentinum locis citatis. Neque solùm confisteret in absolutione, sed etiam non supponeret necessariò actus pœnitentis; quod est contra omnes Doctores.

3
Responso
ad argu-
mentum con-
traria.

Ad Argumenta contrariæ sententiæ. Ad primum, Patet ex dictis. Ad secundum, Est dispar ratio: nam Sacramentum extremæ Vnctionis & Eucharistiæ non necessariò postulat vllum actum suscipientis. Similiter neque absolutio ab excommunicatione; quia etiam inuito dari potest. Ad tertium, Ad rationem Sacramenti Pœnitentiæ sufficit generalis confessio, quando particularis præstari non potest. Generalis autem confessio fit quouis signo externo, quo quis significat se peccasse, vel etiam peccatorem in ordine ad absolutionem Sacerdotis. Qui autem nullum potest signum edere, nec antea edidit in ordine ad absolutionem obtinendam, quo significet se peccatorem, nullo modo generaliter confitetur, vnde non potest absolui.

4
Notabile.

Aduertendum tamen est, si quis dum sanus est, aliquod peccatum confiteretur, vt obtineat absolutionem Sacerdotis quando iam est expiraturus, is verè absolueretur, etiam si nec ante, nec in morte aliud contritionis signum daret.

CASVS II.

Absolutio à re-
seruatis.

Primum Parochus possit absoluerè à quouis casu reseruato infirmum, ad cuius confessionem audiendam vocatus est, etiam si non sit ita salutaris desperata, quin alius haberi possit?

3
R Espondeo, Non esse dubitandum quin possit, modò tanta sit infirmitas, vt videatur esse in periculo mortis. Ratio est, quia Conciliū Tridentinum sess. 14. c. 7. expressè ait, *In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis.* Quòd si tunc nulla est reseruatio: ergo Parochus potest absoluerè ab omnibus; quia parem quo ad omnia habet iurisdictionem. (Suppono autem iuxta veriorè sententiam inter articulum mortis, & periculum mortis, non esse faciendam hęc distinctionem, vt plerique Doctores docent cum Nauarro.)

6
Neque dici potest Conciliū intelligi nullam in articulo mortis esse reseruationem, nisi, videlicet, possit haberi aliquis, qui iure ordinario vel delegato possit ab illis absoluerè: quia violenta est hęc restrictio, & contra vim verborum: nam dicit absoluitè, *In articulo mortis nullam esse reseruationem; & ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes tunc posse absoluerè ab omnibus casibus & censuris.* Vbi Conciliū non limitat, quando non adest Superior vel alius habens potestatem; sed generaliter indulget vt omnes possint, ne quis infirmus ob reseruationem percat.

Vnde et si deceat vt in absolutione reseruatorum Superior præferatur inferiori, & proprius alieno non habenti aliàs potestatem; tamen non est necessarium: sed potest pœnitens tunc eligere quemvis idoneum, prout sibi magis expediens visum fuerit: sicut qui habet Bullam vel priuilegium eligendi Confessorem, qui ipsum ab omnibus absoluat. Vt docet Henriquez lib. 3. c. 11.

7
Potest qui-
libet Sacer-
dos tunc
præferri
Superiori

8
Et sanè quin Parochum suum possit eligere prætermisso priuilegiato, nullo modo est dubitandum: quia Parochus propriè & ex officio obligatur tunc maximè ei omnia Sacramenta salutè opportuna ministrare. Vnde et si priuilegiatus tunc haberi possit, non tamen est dubitandum Concilij mens sit, vt etiam Parochus tunc omnem potestatem habeat. Plura adferri possent, sed nulla mihi videtur ratio dubitandi.

8
Maximè
Parochus.

CASVS III.

Viram reseruatam tollatur si irrita sit confessio defectu doloris? & quomodo obliutorum reseruatio tollatur.

Absolutio à re-
seruatis.

9
R Espondeo, Confessarius absolvens eum qui constitit reseruata, tollit reseruationem, etiam si confessio ob defectum contritionis irrita fuerit. Oblitorum autem reseruatio non tollitur, nisi pœnitens eo sine confessionem illam instituerit, vt se ab omnibus reseruatis, atque adeò ab omni onere peccatorum liberaret, ad plenam tranquillitatem consequendam, idque Confessario indicauerit. Hoc enim casu valde probabile est Confessarium tollere omnem reseruationem. Qua de re videndus Suarez disp. 31. n. 15. & sequent.

CASVS IV.

Incidit quidam in casum Episcopo reseruatum quem in Confessione exponit.

Absolutio à re-
seruatis.

QVÆRITVR I. *An aliquà ratione absolui possit à Parocho?*

QVÆRITVR II. *An ab eo absolutus, possit communicare, vel celebrare.*

10
R Espondeo ad Primum: Dupliciter potest fieri reseruatio casuum. Primò, Substractione iurisdictionis. Secundò, Imponendo solum onus cõparendi coram superiore. Plerique Doctores ante Conciliū Tridentinum intellexerunt eam fieri secundo modo. Itaque sentiebant pœnitentem qui in casum reseruatum incidisset, non solum in necessitate, sed ordinariè quando non patebat commodè accessus ad Superiorem, posse absolui à Parocho suo, cum onere postea primà opportunitate se præsentandi Superiori, & ei casum reseruatum explicandi siue in confessione, siue extra sub sigillo secreti, & acceptandi satisfactionem ab eo imponendam. Et sanè hic modus sufficiens est ad intentionem Ecclesiæ, & ad finem reseruationis casuum, estque aliàs commodior & vtilior ipsis pœnitentibus. Hanc sententiam etiam post Conciliū Tridentinum sentio probabilem; ac proinde in casu proposito posse seruari; nimirum quando pœnitens post longam confessionem exponit aliquem casum reseruatum, & ægrè possit induci ad totam confessionem repetendam, & metueret fortè notari ab alijs, si tunc Superiorem adiret, eique confiteretur.

Addo

11 Addo Episcopum eiusque Vicarium posse suis Parochis significare se hoc modo reservationem casuum intelligere & accipere; id enim est in eorum potestate, nempe ut hoc vel illo modo casuum reservationem faciant: ac proinde quando penitentes cum huiusmodi casibus ad Parochos veniunt, posse absolui, si non possunt tunc commodè induci ut Superiorem adeant, modò promittant se primà opportunitate Superiorem adiutores, & casum illum explicaturos: & ita cessat omnis difficultas.

12 *Respondeo ad secundum*, Qui absolutus est cum onere solum comparandi modo iam explicato, potest communicare & celebrare quoties occasio feret, etiamsi Superiori nondum se stiterit; quia revera directè est absolutus. At verò cum quis absolutus est indirectè tantum, eò quòd casus esset reservatus per iurisdictionis subtractionem, maior est difficultas. Ac primò, quando casus est sic reservatus, sentio non posse penitentem absolui ab inferiore, nisi causa aliqua gravis subsit, ut si absque periculo infamiae, vel notà & suspitione criminis alicuius nõ possit tunc abstinere à communionem vel confessionem; ut bene probat Suarez disput. 31. sect. 3. Postquam tamen sic absolutus est, & expectat commoditatem adeundi Superiorem ut directè absolvaatur à reservatis; non requiritur tanta causa ut celebret, vel communice. An autem sola devotio sufficiat, dubitari potest. Probabile sentio sufficere; quia probabile est præceptum de pramittenda confessione non esse divinum, sed solum Apostolicum, nec tanto rigore accipiendū. Deinde ille confessionem præmisit qualem potuit, & absolutionem obtinuit.

CASVS V.

Gregorius XIII. petente Philippo II. tempore Ducis Parmensis cum civitates Belgij reducerentur ad obedientiam Regis, concessit Episcopus, ut facta huiusmodi reductione, possint absolvere subditos participes rebellionis à quibusus criminibus etiã Sedi Apostolica in Bulla Cæne Domini reservatis.

Quæritur Primò, Vtrum vi huius privilegij possint absolvere subditos suos participes illorum tumultuum & rebellionis, qui tamen non sunt subditi ipsius Regis, sed alterius Principis. Contingit enim Episcopum Belgicum habere iurisdictionem spirituale extra Belgium, v. g. in locis Regi Gallia, vel Principi Leodiensi subiectis; sicut patet in Archiepiscopo Cameracensi, cui subest Lobium in diuisione Leodiensi, & multi pagi in Gallia.

13 **R**es utrimque videtur satis ambigua. Probabiliorem tamè iudico partem affirmantem. Quia nõ videtur consentaneum Episcopis Belgij concedi potestatem absolvendi ex suis subditis eos qui gravius longè peccaverunt, utpote rebelles suo legitimo Principi, & reos læsæ maiestatis; non autem eos, qui in eodem opere leuius peccaverunt; in quibus cooperatio ad bellum nec erat rebellio, nec crimè læsæ maiestatis, sed solum bellum iniustum. Qui enim Regi non erant subditi, non fuerunt rebelles, nec crimen peritrij, felon-

nia aut læsæ maiestatis commiserunt, etiamsi rebelles se coniunxerint, ipsique militaverint. Itaque censendum est, Pontificem fecisse potestatem indifferenter absolvendi omnes subditos culpabiles, nulla facta exceptione. Nec obstat quòd Rex Philippus de his non cogitaverit, nec pro his petierit; sed solum pro subditis suis, ut illis consuleret. Primò, Quia etsi ipse non petierit expressè, Pontificis tamè erat generatim cõcedere pro omnibus subditis Episcoporum, ob rationem dictã. Deinde, quia si Rex rogatus fuisset, valdè credibile est quòd nolisset tales ab hoc beneficio excludi. Intendebat enim omnes allicere ad obedientiam & pacem. Denique, Principes suorum Episcoporum subditos non omnino reputant ut extraneos, etsi alteri Principi in temporalibus subsint. Hanc sententiam, cum valdè probabilis sit, iudico securam in praxi. Idem cenlet P. Egidius de Koninck.

Quæritur Secundò, Vtrum illud privilegium absolvendi, solum pertineat ad ea oppida, & eos subditos qui rebelles suo Principi fuerint, vel rebelibus iuncti?

14 **R**espondeo, Existimo illud privilegium absolvendi solum pertinere ad ea oppida, & eos subditos qui rebelles suo Principi fuerint, vel rebelibus iuncti; non autem ad ea, quæ semper in obedientia persisterunt. Finis enim petitionis Regiæ in his cessat, qui erat facilior reconciliatio cum Deo & suo Principe. Hoc dico, spectato eo scripto, quod ego legi. P. Egidius tamè asserit sibi exhibitum aliud scriptum ab Archiepiscopo Cameracensi Vander Burch cū adhuc ageret Mechlinie, quo omnino videbatur concedi hæc potestas pro omnibus subditis, absque limitatione ad civitates reductas: cui hac in re credi potest.

CASVS VI.

Vtrum reservatio casuum possit tolli extra confessionem sacramentalem?

15 **R**espondeo, Habens potestatem delegatam, non potest absolvere à reservatione casuum extra confessionem sacramentalem: id enim solus Superior potest qui casum reservavit, & eius successor, & Superior. Si tamen reservatio esset solum ratione censure, ut in casibus Pontificijs, is qui potest tollere censuram, potest tollere reservationem. Sed Confessarius habens solum potestatem delegatam, non potest tollere censuras Pontificias extra confessionem sacramentalem.

CASVS VII.

Vtrum crimen sit reservatum, quod habet annexam excommunicationem Papalem?

16 **R**espondeo, Crimen habens annexam excommunicationem Papalem (si excommunicatio illa, seu lex pœnalis, qua excommunicatio infligitur, nullo modo est recepta quo ad pœnam) non manet reservatum: cum reservatio Papalis non consistat nisi ratione censure, ut communiter Doctores tradunt: adeoque de eo absolutio dari potest, tanquam de non reservato.

Absolutio à reservationis.

Absolutio à reservationis.

15

Absolutio à reservationis Papæ.

16

Absolutio à Censuris.

CASVS VIII.

Virum Mendicantes qui habent potestatem absoluen- di à Censuris in foro conscientia, possunt id facere extra Sacramentum Pœnitentiæ? Item, An absolutus ab excommunicatione in foro interno, possit se exterius gerere tamquam non excommunicatum?

17 **R**espondeo ad primum: Potestas absoluen- di à censuris nõ est ita Mendicantibus religio- sis concessa, vt non possint ea interdum vti extra Sacramentum Pœnitentiæ. Neque enim absolueri in foro interiori, idem est quod absolueri in foro Pœnitentiæ; sed absolueri ita vt non habeat neces- sario vim in foro externo si lis moueatur: vt docet Emanuel Sà, & multi recetiores apud Henriq. lib. de Indulg. cap. 13. nu. 2. vt Victoria, Penna, Barthol. Medina, & alij.

18 **R**espondeo ad secundum, Qui absolutus est in foro interno (nisi fuerit nominatim denunciatus) non tenetur se foris gerere tanquam excommuni- catum, præsertim si constet illum sic absolutum. Neque id in Belgio tantum locum habet, ob con- suetudinem præscriptam, sed etiam in Italia & Hispania. Vbiq; enim possunt Religiosi Mendicantes absolueri etiam publicè excommunicatos à Iure vel ab homine generatim, modò denuncia- ti non sint nominatim. Et hoc illis valet ad publi- cè versandum cum hominibus, & ad diuina officia & Sacramenta frequentanda. Absolutio enim in foro interiori valet ad omnia, præterquã quan- do lis mouetur in iudicio. Tunc enim Iudex secundum Iuris rigorem posset nõ habere rationem huius absolutionis, eumq; condemnare: tamen secundum equitatem deberet hæc absolutio etiam ibi valere; vt docet Henriq. c. 27. de Excommuni- catione, & de Indulgent. c. 13. vbi citat alios.

19 **N**on tamen existimo eum qui post absolutionẽ in foro interiori factam celebrauit, posse iure tan- quam irregularem condemnari: quia hæc irregu- laritas non contrahitur sine culpa letali, quæ hic præsumi non potest.

Absolutio à cen- suris.

CASVS IX.

Sixtus IV. Pontifex concessit cuidam Abbati privilegium absoluen- di Monachos sibi sub- ditos ab omnibus censuris.

QUÆRITVR, *Quinã hoc privilegio gaudeant? seu, Ad quos privilegium illud se extendat?*

20 **R**espondeo Primò, Ex privilegio Sixti I V. Abbas ille potest absolueri Priorem, & om- nes ac singulos Monachos sibi subiectos, ab om- nibus censuris etiam Sedi Apostolicæ referuatis. Et dispensare in omni irregularitate, præter eam quæ ex homicidio voluntario; ita vt etiam ad sa- eros Ordines promoueri possint, & in susceptis ministrare.

Absente vel non existente Abbate, hæc pote- stas deuoluitur ad Priorem.

Si Abbate contingeret in censurã vel irregula- ritatẽ incidere, potest absolui & restitui à Priore.

Hæc absolutio & dispensatio solum valet in fo- ro conscientie; vnde in foro externo, si fortè causa ad illud forum deuolueretur, non prodesset.

Nomine Monachorum intelliguntur Monachi vel coniunctim, vel scorsim: nomine Personarum singuli scorsim.

Hoc privilegium etiam ad Nouitios extenden- dum: quia sunt participes privilegiorum religio- nis, sicut religiosi: si tamen casus ante Nouitium non est commissus. Tunc enim credibile est non posse vi huius privilegij absolui, quia nõdum Ab- bati suberant, sed Episcopo: & privilegij expressè agit de religiosis sub Abbate degentibus.

Respondeo Secundò, Hæc potestas cum sit an- nexa officio Abbatis, est ordinaria, ac proinde po- test delegari. Simili modo Prior absente vel non existente Abbate, potest eam delegare.

Absente Abbate & Priore, hæc potestas deuol- uitur ad eum qui in locum eorum in gubernando monasterio succedit, siue is secundus Prior sit, siue tertius, siue alius, modò cum verã iurisdictione in absentia vel defectu aliorum præsit. Ac proinde hic quoque subdelegare ad factum aliquod parti- culare poterit.

CASVS X.

Abolutio per delega- tionem.

Ad caput 6. sess. 24. Concilij Tridentini quod sic habet: *Liceat Episcopus in Irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta eã, quæ oritur ex homicidio voluntario, & excep- tis alijs de dubiis ad forum cõtentiosum, dis- pensare; & in quibuscumque casibus occultis, etiã Sedi Apostolica referuatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in diocesi suã per seipos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientie gratis absolueri, impositã pœnitentiã salutari. Idem & in hæ- resis crimine in eodem foro conscientie eis tantum, non eorum Vicarijs, sui permissum.*

QUÆRITVR Primò, *An Episcopus possit de- legare ad omnia quæ hoc Capite cõtinentur? Et quis hic per Vicarium intelligatur?*

22 **R**espondeo, Episcopus potest quemuis ido- neũ delegare ad ea quæ ipsi hoc c. 6. sess. 24. conceduntur, excepta absolutione ab hæresi. Quia datur ei potestas ordinaria; quæ semper delegari potest, nisi expressè prohibeatur, sicut prohibetur in absolutione hæresicos. Idem satis patet ex ipsis Concilij verbis, dum ait, *Per seipsum, aut Vicariũ ad id specialiter deputandum*: vbi tamen non exclu- ditur Vicarius Generalis, nec Pœnitentiarius; vt Congregatio Cardinalium respondit.

QUÆRITVR Secundò, *An eandem potestã delegandi habeat Capitulum Sede Vacante?*

23 **R**espondeo, Eandem potestatem Sede vacante habet Capitulum. Vnde similiter potest Vi- carium specialẽ deputare: quia succedit Episcopo in omnibus quæ sunt iurisdictionis ordinariæ, ex- ceptis casibus in Iure expressis; vt docet Nauarrus l. 1. Consil. p. 50. nusquam autem hi casus in Iure excipiuntur.

QUÆRITVR Tertio, *Quam delegandi pote- statem habeat Episcopi Vicarius?*

24 **R**espondeo Primò, Vicarius temporalis dele- gare non potest, quia potestatem ordinariam non habet, sed solum delegatam; atqui delegatus non potest subdelegare.

Respondeo Secundò, Vicarius perpetuus dele- gare potest; quia ordinariam potestatem habet. Vide Silultrum Verbo Vicarius, qu. 5.

Cæterum

portio, quæ hinc facile seruari potest si Magistratus curent ut sumptu publico sufficiens pabulum aduehatur modico pretio; sicuti à prouido Principe & Republicâ benè ordinatâ fieri & ordinari debet.

11 Dices, Ex consuetudine videtur hoc esse onus prædiorum, quando bellum geritur pro bono Prouinciæ. Quæ consuetudo non videtur contra rationem; nam damnum potissimum in diuites redundat, quorum sunt ea prædia, respectu quorum non est enorme ordinariè. Et meritò videntur hoc onus posse ferre, cum ex prædijs magna quoque emolumenta alijs omnibus temporibus accipiant. Quod confirmatur, Quia ea vestigialia censentur iustissima quæ imponuntur rebus pretiosis, quibus diuites potissimum vtuntur, vt ipsi soli, quibus facillè est perferre, sentiant hinc detrimenta.

Respondeo, Propter hanc rationem non a sum condemnare hanc sententiam, modò constet Principem fecisse potestatem liberè vbiuis accipiendi sine compensatione; vel talis sit consuetudo legitime præscripta, & ab omnibus passim usurpata; vel sit recepta iam olim consuetudo Principe permittente; & si qui pauperes graue damnum percipiant, eis fiat, re cognitâ, compensatio.

An autem Princeps hanc potestatem fecerit, est quæstio facti. Certè non videtur fecisse, dum permittit Magistratibus vti potestate ordinariâ in huiusmodi pabulatores. Et consuetudo quoque talis nõ videtur esse, præsertim apud probos: quia domino præsentè non acciperent absque compensatione; cur ergo absentem adimant?

BENEFICIUM.

CASVS I.

Institu-
tio bene-
ficiati.

An semper ius instituendi & electio eius qui instituendus est pertineat ad Episcopum?

1 Quid Archidiaconus sua auctoritate nõ habeat ius instituendi, sed solum ex Episcopi mandato, expressè definitum est ab Alexandro III. Cap. Cum solis, de Officio Archidiaconi. Vnde manifestum est cum Archidiaconus instituit aliquem in cura animarum, id eum non facere posse nisi Episcopi auctoritate; & ipsum Episcopum censeri illam institutionem facere, quia facit per Archidiaconum, tanquam per suum instrumentum. Itaque ius instituendi per se & propriè tunc residet in Episcopo, & ad eum pertinet qui iure proprio potest illum actum institutionis facere, sicut potest committere.

2 Ex quibus vltèriùs manifestè sequi videtur, electionem instituendi, quando patronatus est Ecclesiasticus, pertinere ad patronum, non ad Episcopum, iuxta Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 18. Quia institutio in casu proposito ad nullum alium proprio iure pertinet, quàm ad Episcopum. Episcopus enim illa commissione factâ Archidiacono, non facit vt ius instituendi ad aliũ, quàm ad seipsum pertineat; aut vt institutio ab alio, quàm ab Episcopo facienda sit, vt Concilium requirit, quæ verba benè notanda sunt, quia apertè requirunt vt ad alium proprio iure pertineat, sic vt Episcopus eam facere per se non possit. Accedit quòd alioquin Episcopus semper posset sibi reseruare electionem instituendi, & sic eludere ius patronorum, contra apertam Concilij dispositionem.

CASVS II.

Titius ex denominatione Vniuersitatis N. cuius Privilegium requirit vt nominandus tempore vacationis beneficij habeat legitimam ætatem, accepit beneficium quod requirebat vt denominandus esset Sacerdos, cum Titius tunc solum egerit annũ vigesimum tertium.

QVÆRITVR, An Titius fuerit capax denominationis ad illud beneficium?

Denominatio ad Beneficij ex privilegio Vniuersitatis.

2 Respondeo breuiter; Cum ipsa Bulla Privilegij Vniuersitatis expressè requirat, vt nominandus tempore vacationis beneficij ætatem legitimam attingat, quam beneficium tale requirit, & solum concedat dilationem Ordinis illi annexi; non videtur dubitandum quin Titius fuerit incapax denominationis; quia tempore vacationis ætatem legitimam, quam beneficium postulabat, nõ attingebat: Beneficium enim ex sua fundatione requirebat vt denominandus iam esset ad Presbyterium promotus: ac proinde iure communi postulabat ætatem 25. annorum saltem inchoatorum: at denominatus solum agebat annum 23.

Secus fortè esset si nullam ætatis mentionem fecisset. Nam cum ipsum beneficium non postulet illâ ætatem nisi ratione Ordinis, ad eò vt si adsit Ordo ante illam ætatem (vt si quis esset factus Sacerdos anno 22. ætatis) etiam adsit capacitas denominationis; hoc ipso quo dispensatur circa Ordinem, etiam dispensatum censetur circa ætatem. Accessorium enim sequitur suũ principale, & sublato sine tollitur ratio mediorum. Hoc tamen in nostro casu locum non habet, quia expressè talis ætas requiritur. Vnde non se habet per modum accessorij.

CASVS III.

Postquam Episcopus sedi Apostolica presentatus, ab eadem confirmatus est, vacat beneficium; ille hoc Titio confert ante captam possessionem sui Episcopatus.

QVÆRITVR, An collatio illa per Regulas Cancellariæ Romanæ reddatur inualida?

Beneficij collatum ab Episcopo solum confirmato.

Respondeo, Probabile est Regulas Cancellariæ Romanæ non obligare in externis prouincijs, nisi sint ibidem promulgatæ & receptæ. Primò, Quia id est probabile de alijs constitutionibus Pontificis & Conciliorum: cur non etiam de Regulis Cancellariæ. Antecedens docet Angelus V. Lex, n. 13. Sotus l. 1. de Iustitia, q. 1. a. 4. Caietanus & Barth. Medina 1. 2. q. 90. alijsque recentiores non pauci.

Secundò, Quia istæ regulæ potiùs pertinent ad Iudices Cancellariæ & Rotæ, vt secundum eas Romæ causas beneficiarias decident, quàm ad totius orbis beneficiarios, ac proinde nõ obligant eos ante sententiam Romæ latam. Quod Confirmatur, Quia ante Ioannem XXII. nullæ erant Regulæ scriptæ secundum quas iudicaretur, sed solum consuetudo & praxis, teste Ludouico Gomez. in Regulas Cancellariæ, in principio: quòd signum est eas non pertinuisse ad alias Prouincias. Quod ipsum etiam nomen Regulæ indicat. Dicuntur enim Regulæ Cancellariæ, quòd secundum

Regule illæ an obligent alias Prouincias.

Ceterum ad vitandos scrupulos, nisi constet de contrario, præsumendum est similes Vicarios legitime facere quæ faciunt. Solent enim Episcopi dare varias commissiones suis Vicarijs, quæ essent inspiciendæ.

Abolutio delegata excommunicato.

CASVS XI.

Tilius inculpate ignorat suam excommunicationem. Delegatur ipsi potestas audiendi confessiones.

QVÆRITVR, An hæc delegatio sit valida?

25

R Espondeo, Valdè probabile est quando quis ignorat suam excommunicationem inculpate, valde ipsi delegari potestatem audiendi confessiones; ita vt eà licite vti possit post absolutionem absque noua delegatione. Idem multò magis dicendum est de facultate legendi libros prohibitos tali excommunicato collata. Certissimum autè est actus eius qui sic accepit iurisdictionem, esse validos.

BAPTISMVS.

CASVS I.

An liceat Infantem deferre ad Ministrum hæreticum, vt ab eo baptizetur?

Vel ad stare instar Patrini?

Vel interesse causâ honoris?

Vel dare nomen inscribendum Ministro?

Vel suscipere infantem per interpositam personam?

Vel in illo Baptismo admittere nomen Patrini? Vel dare munusculum seu elemosynam?

R Espondeo, Non videtur quidquam istorum permittendum. Quia sunt actus Religionis, quibus tacite secundum vsum populi Christiani proficitur illos esse legitimos Ecclesiæ Ministros. Confirmatur, Quia igitur præcipitur, vt ad eam Ministrum, & ab illo petant baptismum, vt hac ratione profiteantur illum esse verum Ministrum Ecclesiæ: ergo non est licitum parere. Sicut enim non licet parere dum aliquid præcipitur in odium religionis veræ; ita neque dum præcipitur aliquid in confirmationem & professionem religionis falsæ.

Vnde primò, Nefas est suis manibus infantem Ministro offerre.

Secundò, Ad stare instar Patrini; nam & hic approbat suo facto & honorat illud Ministerium. Sed dices; Honorat baptismum, non officium Ministri. Respondeo, Imò vtrumque suo facto honorat. Non enim aditur Minister ob extremam necessitatem, sicut laicus: sed tanquam ordinarius & publicus Minister populi. Accedit, quòd Patrini illi cooperetur, infantem tenendo, & supponendo actioni Ministri.

Tertiò, Interesse causa honoris. Nimirum si adstas, vt alij, externo habitu & gestu honorem habens illi actioni. Secus si comiteris causâ honorandi infantem vel parentes, & baptismo non intertis: vel certè nõ vt alij specie venerationis. Nec refert quòd rogati in genere à Ministro, an fateatur hanc esse sinceram doctrinam de baptismo, aliqui ex istis nihil respondeant: quia suo facto, & honore exhibito id videntur fateri, & silentio illo id quodammodo confirmare: saltem alijs videri possunt confirmare, & ita res non caret scandalo.

Quartò, Dare nomen inscribendum Ministro: hoc enim est consortire in cooperationem cum Ministro ad baptismum, etiamsi exterius illa cooperatio non sequatur.

Quintò, Sulcipere per interpositam personam: nimirum si intendat esse susceptor in tali baptismo; hoc enim est in illum baptismum consentire.

Sextò, Admittere Nomen Patrini: intellige in illo baptismo. Sectis si in genere, non intendendo esse Patrini in tali baptismo.

Septimò, In dando munusculo seu elemosyna non est difficultas, modò non detur Ministro, sed infanti: est enim munus honorarium & politicum dari consuetum, non elemosyna propriè.

CASVS II.

Verum Infans quæ alter parentum vult à Ministro post aliquot menses baptizari, possit ante à Catholico Sacerdote rite baptizari?

Rebaptizatio.

R Espondeo, Expedire vt talis infans ante à Catholico Sacerdote ritu Ecclesiæ baptizetur. Alter enim parens ius habet vt sic curet baptizari. Nec refert quòd secundò baptizabitur iustif alterius; quia ad hoc alter permissiue se habet.

CASVS III.

An valde rudes ante plenam instructionem nõ possint baptizari, si periculum sit ne fortè non redeant; postea quòd aliquis fideiubeat pro illis, quòd curabit eos plenius instrui?

Instructio ad baptismum.

R Espondeo, Si norunt ea quæ necessaria sunt ad iustificationem, & doleant de peccatis cum proposito emendationis; possunt eo casu baptizari. Sed oneranda conscientia fideiussoris vt præstet quod promisit.

BELLVM.

CASVS I.

Commissarius, Capiteo id petente, annotauit plures milites, quam re vera sub signo erant: hinc plus Capiteo solutum, quam ipsi debebatur.

Fraus ex numero militum.

QVÆRITVR, Verum Capiteum, an verò Commissarius Regi restituere debeat?

R Espondeo, Commissarij obligationem pendere ab obligatione Capitei, cui pecunia numerata: non enim tenetur nisi secundariò, & in subsidium seu defectum ipsius.

Capiteus autem duplici ex capite excusari potest: Vel quia stipendia ordinaria, iudicio bonorum & intelligentium, non sufficiunt (quod tamen non facile credendum, cum apud hostem sufficiant minora:) & tunc posset ex furto illo supplere ad eam summam, quæ iudicaretur equa; reliquo, quod superat, restituito. Vel quia illa vtiliter in negotium Regis expendit, v. g. ad iuuandos milites, qui defectu solutionis vel perirent miseris, vel fugerent, vel seditionem mouerent: Tunc enim, quia negotium sui Principis vtiliter gessit, non tenetur; vt colligitur ex l. 2. ff. *De negotijs gestis*; & ratio naturalis dicitur. Aliud caput excusationis esse posset, si Capiteus remitteret Regi tantumdem ex ijs quæ nomine iusti stipendij ipsi debentur.

N iij Si nihil

Si nihil horum ex parte rei interueniat, Commiffarius tenetur de suo non folum ad id, quod primò folutum eft; fed etiam ad id, quod poftcà folutum eft ex vi falſæ ſcripturæ, cuius ipſe auctor extitit.

Militare ſtipendium.

CASVS II.

Princeps aſignat Militi ſtipendium decem aureorum in ſingulos meſes: Capitaneus qui militem conſcribit, paciſcitur cum ſingulis de nouem aureis, quia loco commodo ſunt diſpoſiti.

QVÆRIVR, An poſſit decimum illum aureum ſibi reſeruare?

Si militi eſt, reſeruat militi.

Reſpondeo, Decimum illum aureum eſſe vel Principis, vel militis. Eſt militis, ſi Princeps tanti taxaui menſtruam obſequium. Sicut enim reliquis rebus poteſt pretium legitimum imponere, ita etiam obſequio militum & famulorũ: & eo caſu debitum eſt militi. Hoc modo videtur Princeps hic facere. Nam non datur Capitaneo auctoritas vt pactũ ineat, ſed vt militem conſcribat, cui non ipſe, ſed Princeps per alium miniſtrũ ſatisfacit. Accedit, quòd Princeps in ſingula capita præparet decem aureos, eoſq; accipit Commiffarius vel Capitaneus diſtribuedos in milites. Sicut ergo Oeconomus iniquè ageret, ſi pecuniam vel partem pecuniæ quam accepit ad ſoluendum operarijs, ſibi retineret: ita etiam Capitaneus vel Commiffarius retinens ſibi decimum illum aureum. Prætercà militibus fit iniuria; nam non datur illis pretium legitimum ſui obſequij.

Si Principis, (quod verius) reſeruat Principi.

Eſt Principis illa pecunia, ſi Princeps non aſignauit veluti pretium legitimum obſequij, ſed tanquam id, quod dari poſſit: relicta tamen libertate paciſcendi minoris, ſi occaſio ſe offerat ex loci vel vrbis opportunitate: tunc enim ſi Capitaneus paciſcatur minoris, id quod ſuperreſt, pertinet ad Principem. Sicut ſi dominus det Oeconomus pecuniam vt operarios conducat, & ille conducat minoris quàm dominus putabat conducendos, id quod ſuperreſt, ad dominum pertinet. Valdè credibile eſt Principem hoc modo aſſignare ſtipendium, præſertim pro militibus qui in locis commodis militant, vbi alia quæſtus occaſiones ſe offerunt. Quia credibile eſt illum velle vt quã vtiliſſimo modo omnia adminiſtrentur. Et fanè, tali loco melius eſt habere nouem aureos, quàm alibi decem. Deinde, ſi Princeps ſciret magnam ſummam tali modo retentam, eam ſibi vſurparet tanquam ſuam, nec agnoſceret eſſe militis, cum militi rationabiliter ſit ſauſfactum.

CASVS III.

Militare ſtipendium.

Virum Capitanei poſſint aliquo artificio aliquid amplius accipere à Principe, quando ſtipendia non ſufficiunt?

Officialibus & militibus datur moderata ſtipendia.

Reſpondeo, Olim fuiſſe aſſignata ſtipendia, quæ illis temporibus ſufficiebant ad officiũ militare decorè præſtandum; quæ poſteà, vbi pecunia facta eſt vilior, & res cariores, non ſunt aucta iuſtâ proportionè. Officia tamen militaria merentur ſuſtentationem moderatam, quodque in ſuo ordine. Nam ſi quis benè ea obire velit, non ſuppetunt ei rationes & tempus aliter lucrandi.

Itaque putarem Capitaneis & ſingulis militibus tantum deberi, quantum præciſè neceſſarium eſt ad ſuſtentationem moderatam, & ad officiũ illud decorè præſtandum. Quòd autem non tantũ eis aſſignetur, in cauſa eſt, quia Principes norunt ſi amplius detur, fore augendum luxum; nam non ideò à fraudibus plerique abſtinebunt: & tandè ſtipendia fore tam magna vt non poſſint ſatisfacere. Quia tamen norit id quod datur ſufficere, & ferè omnes varijs artibus fraudare, videntur tacitè conſentire & permittere, vt ita fiat. Vnde Princeps Parmenſis aliquando reſpondit Societatis I E S V Patribus regia caſtra ſequentibus, non eſſe faciendum ſerupulum Capitaneis; ob quinque vel ſex pagas muertus, vt vocant.

Princeps videtur tacitè conſentire, vt fraudes.

CASVS IV.

Virum Militibus, ceteriſque ſtipendiarijs iuſta caſtra ſequentibus licita ſit Pabulatio?

Pabulatio.

Dico Primò, Pabulatio eſt licita in locis hoſtium ſtipendiarijs omnibus iuſta caſtra ſequentibus, ſicut & alijs militibus; quia cum feruiant Principi in exercitu, iure militum vtuntur in omnibus illis, in quibus ipſorum & militum eadem eſt ratio, qualis eſt Pabulatio.

In terra hoſtium.

Dico Secundò, Pabulatio non videtur licita in locis amicorum ſubditorum Principi, ſi ſatis pabuli ad caſtra aduehatur, & poſſis tibi comparare eſſi magno pretio: ſicut patet de carne, pane, & alijs eſculentis & poculentis. Quia nec auctoritas Principis, nec natura ius ſuffragatur: qui duo tituli ſoli vidètur poſſe tribuere poteſtatem in vindicandâ re alienâ.

In locis amicorum ſubditorum.

Dico Tertio, Si pabulum non aduehatur, nec poſſis comparare per inopiam, videtur licita pabulatio: quia eſt extrema vel grauis neceſſitas: quo caſu pabula debent cenſeri communia.

In neceſſitate.

In hoc tamen caſu ſi quis enormiter lædatur, faciendâ ei videtur compenſatio ab ijs qui habet: ſicut paſſim DD. docent de rebus magni pretij acceptis in extremâ neceſſitate. Si enim quando domini ſunt præſentes, non audent accipere ijs iniurijs, & ſoluunt; cur non etiam teneantur abſentibus?

Tunc tamè faciendâ compenſatio.

Nec obſtat quòd quando pauca turma alicubi conſidunt, fiat diſtributio per pagos & loca quæ pabula ſuppeditent; ac proinde cum hoc in exercitu iuncto fieri nequeat, videatur Princeps permittere liberam pabulationem. Primò, Quia ideò fortè non aſſignantur ſingulis turmis ſua loca, quòd tunc pabula aduehantur ad caſtra, ſicut annona. Deinde, Quia etiam ſi Princeps permitteret liberam pabulationem ob neceſſitatem; tamen non cenſetur dare auctoritatè lædendi enormiter abſque compenſatione, ſed proportionè quadam: nam Princeps in oneribus ſubditorum tenetur ſeruare iuſtitiã diſtributiã, quantum fieri poteſt. Quòd ſi aliqui excedant modum, eſt præter voluntatem Principis; vnde cèſetur id relinquere conſcientijs ipſorum, iuxta naturæ leges; vt in multis alijs neceſſe eſt.

9

Similiter non obſtat quòd Prouincia, pro qua bellum geritur, debeat iuuare ſubſidijs quantum opus eſt ad belli finem: quia hoc non tribuit militi poteſtatem grauandi enormiter hunc præ illo: imò nec Principi, nec Magiſtratibus patriæ: quia in oneribus debet ſeruari iuſtitiæ diſtributiæ proportio,

10

portio, quæ hinc facile seruari potest si Magistratus curent ut sumptu publico sufficiens pabulum aduehatur modico pretio; sicuti à prouido Principe & Republicâ benè ordinatâ fieri & ordinari debet.

11 Dices, Ex consuetudine videtur hoc esse onus prædiorum, quando bellum geritur pro bono Prouinciæ. Quæ consuetudo non videtur contra rationem; nam damnum potissimum in diuites redundat, quorum sunt ea prædia, respectu quorum non est enorme ordinariè. Et meritò videntur hoc onus posse ferre, cum ex prædijs magna quoque emolumenta alijs omnibus temporibus accipiant. Quod confirmatur, Quia ea vestigialia censentur iustissima quæ imponuntur rebus pretiosis, quibus diuites potissimum vtuntur, vt ipsi soli, quibus facile est perferre, sentiant hinc detrimenta.

Respondeo, Propter hanc rationem non a sum condemnare hanc sententiam, modò constet Principem fecisse potestatem liberè vbiuis accipiendi sine compensatione; vel talis sit consuetudo legitime præscripta, & ab omnibus passim vsurpata; vel sit recepta iam olim consuetudo Principe permittente; & si qui pauperes graue damnum percipiant, eis fiat, re cognitâ, compensatio.

An autem Princeps hanc potestatem fecerit, est quæstio facti. Certè non videtur fecisse, dum permittit Magistratibus vti potestate ordinariâ in huiusmodi pabulatores. Et consuetudo quoque talis nõ videtur esse, præsertim apud probos: quia domino præsentè non acciperent absque compensatione; cur ergo absentem adimant?

BENEFICIUM.

CASVS I.

Institu-
tio bene-
ficiati.

An semper ius instituendi & electio eius qui instituendus est pertineat ad Episcopum?

1 Quid Archidiaconus sua auctoritate nõ habeat ius instituendi, sed solum ex Episcopi mandato, expressè definitum est ab Alexandro III. Cap. Cum solis, de Officio Archidiaconi. Vnde manifestum est cum Archidiaconus instituit aliquem in cura animarum, id eum non facere posse nisi Episcopi auctoritate; & ipsum Episcopum censeri illam institutionem facere, quia facit per Archidiaconum, tanquam per suum instrumentum. Itaque ius instituendi per se & propriè tunc residet in Episcopo, & ad eum pertinet qui iure proprio potest illum actum institutionis facere, sicut potest committere.

2 Ex quibus vltèriùs manifestè sequi videtur, electionem instituendi, quando patronatus est Ecclesiasticus, pertinere ad patronum, non ad Episcopum, iuxta Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 18. Quia institutio in casu proposito ad nullum alium proprio iure pertinet, quàm ad Episcopum. Episcopus enim illa commissione factâ Archidiacono, non facit vt ius instituendi ad aliũ, quàm ad seipsum pertineat; aut vt institutio ab alio, quàm ab Episcopo facienda sit, vt Concilium requirit, quæ verba benè notanda sunt, quia apertè requirunt vt ad alium proprio iure pertineat, sic vt Episcopus eam facere per se non possit. Accedit quòd alioquin Episcopus semper posset sibi reseruare electionem instituendi, & sic eludere ius patronorum, contra apertam Concilij dispositionem.

CASVS II.

Titius ex denominatione Vniuersitatis N. cuius Privilegium requirit vt nominandus tempore vacationis beneficij habeat legitimam ætatem, accepit beneficium quod requirebat vt denominandus esset Sacerdos, cum Titius tunc solum egerit annũ vigesimum tertium.

QVÆRITVR, An Titius fuerit capax denominationis ad illud beneficium?

Denominatio ad Beneficij ex privilegio Vniuersitatis.

2 Respondeo breuiter; Cum ipsa Bulla Privilegij Vniuersitatis expressè requirat, vt nominandus tempore vacationis beneficij ætatem legitimam attingat, quam beneficium tale requirit, & solum concedat dilationem Ordinis illi annexi; non videtur dubitandum quin Titius fuerit incapax denominationis; quia tempore vacationis ætatem legitimam, quam beneficium postulabat, nõ attingebat: Beneficium enim ex sua fundatione requirebat vt denominandus iam esset ad Presbyterium promotus: ac proinde iure communi postulabat ætatem 25. annorum saltem inchoatorum: at denominatus solum agebat annum 23.

Secus fortè esset si nullam ætatis mentionem fecisset. Nam cum ipsum beneficium non postulet illâ ætatem nisi ratione Ordinis, ad eò vt si adsit Ordo ante illam ætatem (vt si quis esset factus Sacerdos anno 22. ætatis) etiam adsit capacitas denominationis; hoc ipso quo dispensatur circa Ordinem, etiam dispensatum censetur circa ætatem. Accessorium enim sequitur suũ principale, & sublato sine tollitur ratio mediorum. Hoc tamen in nostro casu locum non habet, quia expressè talis ætas requiritur. Vnde non se habet per modum accessorij.

CASVS III.

Postquam Episcopus sedi Apostolica presentatus, ab eadem confirmatus est, vacat beneficium; ille hoc Titio confert ante captam possessionem sui Episcopatus.

QVÆRITVR, An collatio illa per Regulas Cancellariæ Romanæ reddatur inualida?

Beneficij collatum ab Episcopo solum confirmato.

Respondeo, Probabile est Regulas Cancellariæ Romanæ non obligare in externis prouincijs, nisi sint ibidem promulgatæ & receptæ. Primò, Quia id est probabile de alijs constitutionibus Pontificis & Conciliorum: cur non etiam de Regulis Cancellariæ. Antecedens docet Angelus V. Lex, n. 13. Sotus l. 1. de Iustitia, q. 1. a. 4. Caietanus & Barth. Medina 1. 2. q. 90. alijsque recentiores non pauci.

Secundò, Quia istæ regulæ potiùs pertinent ad Iudices Cancellariæ & Rotæ, vt secundum eas Romæ causas beneficiarias decident, quàm ad totius orbis beneficiarios, ac proinde nõ obligant eos ante sententiam Romæ latam. Quod Confirmatur, Quia ante Ioannem XXII. nullæ erant Regulæ scriptæ secundum quas iudicaretur, sed solum consuetudo & praxis, teste Ludouico Gomez. in Regulas Cancellariæ, in principio: quòd signum est eas non pertinuisse ad alias Prouincias. Quod ipsum etiam nomen Regulæ indicat. Dicuntur enim Regulæ Cancellariæ, quòd secundum

Regule illæ an obligent alias Prouincias.

tas Cancellaria Romana dirigi debeat. Quare no- videntur alios Iudices Ecclesiasticos in conscien- tia obligare.

Tertio, Si ista regula obligant in foro con- scientia, deberent ubique extare, & curandum esset, vt in omnium Ecclesiarum & Capituloru deuenirent notitiam, quod non fit. Item quando aliqua vel reuocantur, vel per non vsum obsole- cunt, deberet idipsum omnibus innotescere.

6 Quarto, Leges reuocatoris priuilegioru iuxta communem sententiam, non obligant ante promulgationem in diocesi, vt docet Sotus loco cita- to; idque obincommoda qua possunt euenire, etiam tunc quando quis bona fide suis priuilegijs vteretur. Ergo multo minus debet ceteri reuoca- ta potestas conferendi talis beneficij (de quo hic superius quaritur) vacantis post confirmatione Episcopi; quandoquidem illa potestas non ex priuilegio competeret Episcopo confirmato, sed iure communi: quod enim sic alicui competit, magis est proprium & intrinsecum, quam id quod solum ex priuilegio competit: praesertim cum graue incommodum inde euenire possit; vt si quis titulo talis beneficij sit promotus ad ordines, id- que absque vlla culpa Collatoris, vel eius cui facta est collatio. Neque credibile est mentem suae San- ctitatis esse, vt quando Episcopus bona fide tale beneficium contulit, quod ante captam possessio- nem, post confirmationem tamen suam vacauit, Collatarius teneatur in conscientia ante latam sen- tentiam tale beneficium resignare: nimis enim id durum videtur, & non consentaneum humanitati Canonum.

6 Illa collatio non reddi- tur inua- lida per hanc regu- lam Can- cellaria.

Collatio- nis non tenetur istud bene- ficium re- signare an- te senten- tiam.

7 Quinto, Omnes istae reservationes sunt odiosae limitantes potestate Episcoporum, qua ipsis iure communi & ordinario inest, ac proinde sunt restrin- genda, quantum commodè possunt. Quare cum haec reservatio, de qua hic agitur, ita possit intel- ligi, vt non intendat obligare in conscientia ante sententiam, quid est cur eam sic non restringamus?

Sexto, Si Pontifex voluisset in omni tali euen- tu Episcopi collationem esse nullam, addidisset clausulam irritantem: atqui hoc non fecit. Pote- rit ergo Episcopi collatio ceteri valida donec ir- ritetur.

Denique, Haec regula haecenus fuit ignorata in Cameracensi Episcopatu, & per decem saltem annos & amplius non recepta. Atqui obligatio legis nouae expirat, iuxta Nauarrum & alios Do- ctores, si decem primis annis recepta non fuerit. Haec & similia faciunt hanc sententiam proba- bilem.

CASVS IV.

Pontifex non obstante concessione facta Ord- nario de beneficijs conferendis, contulit Iulio beneficium, iam ante à Titio Episcopo loci Caio collatum.

QVÆRITVR I. Vter dicendus sit verus bene- ficarius?

QVÆRITVR II. Vtrum Caius se possit tueri be- neficio Cap. Cum olim.

8 S Vpono Sixtum V. & Clementem VIII. summos Pontifices potuisse non obstare illa concessione in erectione Episcopatus facta, valide illam reservationem beneficiorum facere: quia

Bene- ficium di- ueris collatum à Papa & Epif- copo.

secundum communem sententiam, Papa in bene- ficialibus habet omnem potestatem. Vnde de iure vbique potest conferre concurrente cum Or- dinarijs, & ipsos Ordinarios praenire, referuan- do sibi huius vel illius collationem, vt omnes Ca- nonista docent. Verum si haec regula Cancellaria, seu lex qua reservatio ista facta est, decennio non fuit recepta, secundum probabilem sententiam non obligat: de qua vide Felinum in c. 1. n. 13. De Trenga & Pace, vbi multos adducit Doctores; & Couarruuiam l. 2. variarum, c. 16. n. 6. quem sequuntur multi recentiores.

Itaque cum fuerit Titius in possessione confe- rendi; poterit Caius in conscientia beneficium retinere. Imò poterit se etiam in foro externo tueri ex Cap. Cum olim, De causa possess. & Proprietatis.

In foro tamen externo maxima erit difficultas; praesertim si decennium ab vltima reservatione nondum effluxerit. Nec poterit se valide tueri per illud Cap. Cum olim, & similia; quia praesumetur Titius mala fide contulisse. Ignorantia enim Iuris non praesumitur, nec toleratur, maxime in Epif- copo. Quare totum erit irritum in foro externo; quamuis in foro conscientiae, si regula illa in Bel- gio non seruabatur à Collatoribus, probabile sit valere, etiam decennio non elapso. Vt Titius vta- tur contra reservationem Pontificiam auxilio Curia secularis, non possum villo modo probare; cum multi Canones, & ipsa Bulla Cænae id aperte reproberent.

Itaque potius auctor sum vt Caius transigat cum Iulio optimo modo quo poterit: & quamuis non possit in pactum deducere se curaturum, vt Titius conferat Iulio primam dignitatem vacatu- ram; tamen Titius ad vitandas lites in sua Eccle- sia, poterit Iulio id liberaliter promittere, vt iure suo cedat.

CASVS V.

Titio Presbytero adultero, & de adulterio in- famato & punito, facta est collatio praben- da Ecclesiastica.

QVÆRITVR, An haec collatio irritari possit & debeat?

11 R Espondeo, Non videtur dubitandum quin collatio facta criminoso, nempe Presbytero adultero, & de adulterio infamato, aut vehemen- tissimè suspecto, irritari possit & debeat. Vt aper- tè colligitur ex Cap. Inter dilectos, de Excessibus Praelatorum. Quod non solum de dignitatibus, sed omnibus beneficijs Ecclesiasticis Doctores in- telligunt, vt patet ex ipso summano quod Capi- tulo praefixum est, & ex Panormitano in hoc Cap. n. 1. & 6. vbi dicit: Nota Glossa, quod aleator cle- ricus indistinctè repellitur à beneficio obtinendo, cum col- latio illi facta, sit nulla, si de hoc constabat, tanquam fa- cta vili & indigno. Si non constabat, quia occultus, de- bet irritari. Hoc ille. Vilibus enim & indignis nul- lum beneficium Ecclesiasticum patere debet. Si enim portæ dignitatum secularium non debent patere vilibus & indignis, vt Imperator ait l. 2. c. de Dignitate: multo minus portæ beneficioru Ecclesiasticorum, quae maiorem requirunt probita- tem & honestatem personarum, quam dignitates seculares. Vnde Glos. in Reg. Infamis, ait digni- tatem largè sumi.

9 Casus in conscientia suo possi- det hoc be- neficium.

10 Quid in casu sua- dendum. Causa.

Beneficium collatum adultero.

Vilibus & indignis nullum Ecclesiasti- cum benefi- cium patere debet.

Imò

12
Collatio
ipso iure
fuit irrita.

Imò valde probabile est illam collationem ipso iure fuisse irritam, ut hic docet Panormitanus & in hanc sententiam exponit hoc Capitulum. Cui plerique Canonistae consentiunt. Praesertim cum hic accedat infamia, quae sola sufficit. Neque enim punitio illa infamiam abstergit, sed potius confirmavit, & immobilem fecit. Quia condemnatus de huiusmodi crimine, ipso iure fit infamis, & consequenter beneficij incapax. Ita Panormitanus in Cap. *Ar si clericus*, de Iudicijs. Colligitur ex Regula *Infamibus*, de Reg. Iuris in 6. & Cap. *Inter dilectos*, supra.

Beneficium
collatum
à Patrono
hæretico.

CASVS VI.

Acceptum ab hæretico patrono beneficium Ecclesiasticum aliquis Catholicus.

QVÆRITVR I. *An illud retineri possit in scio Episcopo?*

QVÆRITVR II. *An Catholici emere possint ab hæreticis bona Ecclesiastica?*

QVÆRITVR III. *An emere ab illis possint beneficia Ecclesiastica?*

QVÆRITVR IV. *Quomodo hæredes se gerere debeant circa Ecclesiastica bona ad ipsos deuoluta?*

13 **A**D Primum, Respondeo; Habens beneficium à Patrono hæretico sine legitimâ collatione ordinarij Collatoris, non potest tutâ conscientiam illud retinere: quia Patronus non potest conferre ius in re, & dominium beneficij, sed solum ius ad rem: unde beneficiatus ille eget collatione seu institutione, quâ conferatur ius in re. Quod si ille sciens se non habere canonicam institutionem occupet beneficium tanquam eius dominus, eiusque fructus absque legitimâ institutione velit percipere, efficitur intrusus, & fit inhabilis ad idem beneficium: unde eget dispensatione ut possit illud obtinere. Secus tamen est si omnino sit ignarus se contra iura agere. Unde pueri facili excusantur à vitio intrusionis.

Ut autem tale beneficium bonâ conscientiam obtineri possit, petenda est collatio à legitimo Collatore, vel à Nuntio Apostolico, vel à Sede Apostolica. Quod si etiam intrusionis vitium interuerit, id explicandum in supplicatione, ut rehabilitetur instituendus.

14 **A**D Secundum, Respondeo: Non licet Catholicis emere bona Ecclesiarum vel monasteriorum ab hæreticis occupata & confiscata, nisi cum animo restituendi ea suo tempore legitimis dominis, cum omnibus emolumentis & fructibus, qui inde obuenerunt: quia bona illa in specie sunt aliena, similiter fructus illorum. Atqui secundum iustitię normam, omne quod vero domino iniuste ablatum est, est restitutioni obnoxium. Nec obstat quod si Catholici illa non emerent, & fructus eorum perciperent, hæretici illa obtinerent, & fructus acciperent; quia etiam illi ad restitutionem obligarentur. Possent tamen Catholici agere cum Generali, & ab illo emere, vel conuenire eo modo quo rationi consonum iudicarent. Neque hic vllum periculum simoniae. Nulla enim est simonia in venditione domorum vel agrorum Ecclesiasticorum.

15 **A**D Tertium, Respondeo: Non est licitum emere

beneficium Ecclesiasticum ab hæretico. Posset tamen à summo Pontifice occultè peti collatio beneficij, quod ab hæretico possidetur. Deinde ex eiusdem dispensatione agi cum hæretico de fructibus; non simul inuoluendo titulum, sed solum tractando de fructibus titulo anaëxi; quia Pontifex non facili permittet emptionem explicitam ipsius beneficij, v. g. Canonicius, propter scandalum. Sed obtento prius beneficio seu titulo, erit redemptio fructuum, qui iniuste ab hæretico obtinentur.

AD Quartum, Respondeo; Hæredes Catholici non possunt possidere bona Ecclesiastica ipsis à patre relicta, etiam ea ab hæreticis emerit: Nisi cum animo restituendi ea suo tempore cum omnibus fructibus, veris dominis. Quare obtinere debent dispensationem à Sede Apostolica, vel conuenire cum veris dominis, ut dictum est. Aliâ ratione non possunt bona Ecclesiastica iniuste à suis dominis ablata possidere.

CASVS VII.

Petro ignoranter existentem in excommunicatione collatum est beneficium, quod, errore cognito, alteri datum.

QVÆRITVR. *Cuinam fructus à Petro suscepti restitui debeant?*

17 **S**Iue Petrus verè fuerit dominus beneficij (quod longè probabilius puto, cum oblectionem librorum Erasmi his locis non censetur quis excommunicatus: & quauis Petrus fuisset excommunicatus, tamen id ignorabat) siue non fuerit, restitutio fructuum non debetur successori. Hoc enim solum locum habet in maioribus beneficijs (& quibusdam locis in minoribus) in quibus modò Camera Apostolica habet ius spoliatorum. Itaque hi fructus in pias causas expendi debent. Quod si parens Petri est dives, & factus est locupletior ex illis fructibus, deberet restituere pauperibus, & Petrus deberet eum monere de hoc, si putet suam monitionem profuturam; secus si non putet. Si verò est tenuis fortuna; & illud beneficium fuit causa cur Petrus aleret in studijs, alias id non facturum; possunt censerî expensi in alendo Petro, eique tanquam pauperi possunt applicari.

CASVS VIII.

Titius circumuentus permutauit verum beneficium cum ficto in presentia Collatoris in scio fraudis.

QVÆRITVR I. *An hæc permutatio sit permissa?*

QVÆRITVR II. *An Episcopus hunc contractum possit rescindere?*

QVÆRITVR III. *An ille Collator priuandus sit iure conferendi?*

QVÆRITVR IV. *An Titio beneficium restitui non possit?*

18 **A**D Primum, Curia Romana non permittit permutacionem veri beneficij cum Beneficio de pernica ut vocant, hoc est, cum beneficio ficto vel inani titulo, nullos omnino habente fructus. Gomezius in Regulam de *Infirmis*, q. 19.

Beneficium
collatum
excom-
municato.

Beneficij
veri cum
ficto per-
mutatio.

Ad Secun-

Ad Secundam; Reuerendissimus potest talem permutationem rescindere, vel potius irritam declarare: Tum quia non fuit vera permutatio beneficij cum vero beneficio, sed cum re nullius valoris; ac proinde ex vi contractus permutationis nihil actum est: Tum quia iste contractus, reipsa nihil aliud est, quam simplex renuntiatio in fauorem, cum clausula *non aliter, nec alias*, quam renuntiationem stilus Curie non permittit fieri in manibus Ordinarij, sed habet pro simoniaca: Tū quia hæc resignatio facta est in fauorem cum onere pensionis; qualis etiam non potest fieri nisi in manibus Papæ, excepto casu veræ permutationis, quæ hic non interuenit.

Ad Tertiam; Cū ordinarius collator planè fuerit ignarus huius simoniacæ cōventionis inter partes, & permutatio coram ipso purè facta fuerit, non est priuandus iure conferendi. Vnde collatio ad ipsum pertinebit. Poterit tamè eam Episcopo concedere, si velit.

Ad Quartam; Cū Titius in toto hoc negotio, non videatur peccasse, sed simplicitate quadam deceptum se dicat, non video cur ipsi suum beneficium non possit restitui.

CASVS IX.

Beneficij
inutilis
cum vtili
permuta-
tio sub
pensione.

Vtrum in permutatione beneficij iam habentis nullos fructus, cum beneficio mille florenorum, possit constitui pensio ducentorum florenorum, quamuis ille cum quo fit permutatio nondum per ætatem integros fructus possit recipere; imò ne sexcentos quidem?

19 **R**espondeo, Talem permutationem sub tali pensione posse fieri. Ratio est. Primò; quia nullum ius est quod statuat non posse pensionem quæ imponitur, excedere tertiam partem fructuum, sed solum est vsus Curie. Quando enim Papa imponit pensionem, solet dicere vt pensio tertiam partem fructuum non excedat; vt docet Gigas q. 9. de Pensione, Rebuffus in Praxi de reservationibus. Nihil tamen hic præcipitur Episcopis. Secundò; Quando Papa dicit ne pensio excedat tertiam partem fructuum, id non debet intelligi de tertiâ parte fructuum, quos beneficiarius in absentia recipiet; sed quos recipiet residens, & per se ministrans, habens plenam ætatem. Itaque cū iste residens possit recipere sexcentos, non superabit hæc pensio tertiam partem fructuum.

Tertiò; Quando beneficium speratur post paucos annos amplius daturum, potest in constitutione pensionis haberi eius ratio; vt colligitur ex Nauarro Consil. 49. de Præbendis, l. 3. p. 147.

Itaque cū beneficium quod nullos habet fructus, aliquando tamen habuit, vel habiturum speretur, possit permutari cum beneficio fructuoso, eaq; permutatio sit valida, vt docet Gomez. q. 97. in Regulam De annali possessore, & Decius Consil. 220. & Episcopus possit constituere pensionem causâ permutationis; vt patet ex Cap. *Ad questiones*, De rerum permutatione; non video vlli Iuri aduersari vt in præsentis casu imponatur pensio ducentorum florenorum.

20 **A**ddo, Quando pensio imponitur ab eo qui potestatem habet, etsi debitum modum superet, non tamen cenferi simoniâ, sed solum contra æquitatè naturalem. Equum enim est vt beneficiarius qui

21
Si pensio
excedat
fructum,
non est si-
moniâ.

onus beneficij subit, ex eo possit viuere. Quod tamen non semper est necessarium, præsertim quâdo onus est paruum, vel quando anni sequentes compensabunt.

CASVS X.

Titius Parochus senex & panè inutilis suo ministerio, resignat suum beneficium in manus Collatoris, rogans vt conferatur Caio sub onere certa pensionis, addita tamen hac copus clausula, Si Reuerendissimo Domino placuerit hæc approbare.

QUÆRITVR, *Virum secuta collatione sub dicta conditione, propter hoc factum vacet hoc beneficium, & Titius sit eo priuatus, si Reuerendissimus nolit consentire?*

22 **R**espondeo, Non videre me aliquam solidam rationem, cur hoc beneficium censendum sit vacare. Etsi enim resignatio, collatio, & acceptatio sub onere pensionis facta videatur ante consensum Reuerendissimi obtentum; tamen non est facta absolute, sed conditionatè & dependenter à futurâ approbatione Superioris, qui supponitur habere auctoritatem approbandi; ac proinde nihil attentatum contra iura. Licitum enim est priuatim inire tractatum, modò nihil absolute censetur effectum ante Superioris approbationem, & totus tractatus ad illum referatur vt eum approbet vel irritum reddat: Quòd si irritum reddiderit, manet resignans in possessione sui beneficij, quia nec resignatio nec collatio fuit facta absolute, sed sub conditione futuræ approbationis; quæ conditione non secuta, nihil actum censetur, vt per se notum est.

CASVS XI.

*Titius Canonicus statuit uxorem ducere, adoque vult resignare suam præbendam 600. florenorum, sub onere pensionis 300. florenorum. Insuper requirit: Primò, Vt apud Mercatorem vel alium, septem anticipata solutiones deponantur. Secundò, Vt pensio non possit redimi nisi octuplo, cum ordinariè soleat quintuplo. Tertiò, Vt statim fiat redemptio antequam contrahat nuptias. Quar-
tò, Vt vestem emam eius uxori.*

QUÆRITVR I. *An possim talem resignationem acceptare sub tali pensione?*

QUÆRITVR II. *An Episcopus possit talia onera admittere?*

QUÆRITVR III. *An Episcopus possit dare Licentiam extinguendi pensionem?*

QUÆRITVR IV. *An de veste uxori danda possit venire in pactum principale?*

23 **R**espondeo *Ad Primum;* Possè te acceptare illam resignationem Canoniciatus sub onere pensionis, licet resignans, cū statuerit uxorem ducere, non possit cum tali onere resignare. Et quamuis pensio magna sit, tamen quia relinquit quod satis est ad sustentationem, nempe trecentos florenos ex sexcentis, potest concedi. Vt autè

pensio

penſio non excedat tertiam partem fructuum, intelligendum eſt de penſione impoſita Episcopatus, vel beneficijs curatis. Accedit, non pertinere ad conſcientiam reſignatarij, ſed reſignantis, ut penſio ſit rationabilis. Itaque ſi penſio ſit exceſſiua, non tua culpa eſt, ſed imponentis.

24 *Ad Secundum;* An Episcopus poſſit admittere huiusmodi pacta? Reſpondeo, Quamvis concedi poſſit Ordinarium cauſa reſignationis poſſe imponere penſionem, ubi id iam longo vſu eſt præſcriptum, non tamen poſteſt admittere huiusmodi pacta, nempe, ut ſeptem ſolutiones anticipatè deponantur apud mercatorem: ut non poſſit redimi niſi octuplo (cum ordinariè ſoleat quintuplo:) & ut penſio ſtatim redimatur. Hæc enim ſunt contra Ius: ſunt enim graues obligationes pretio æſtimabiles, quæ iurè ſunt prohibita in rebus ſpiritualibus: Nec vllus Doctor extat qui admittat Ordinarium in hiſ poſſe diſpenſare. Itaque ſolus Pontifex hoc poſteſt ex plenitudine poſteſtatis.

25 *Ad Tertium;* An Episcopus poſſit dare licentiam extinguendi penſionem? Reſpondeo, Quando omnia legitime ſunt conſtituta, Probabile eſt Ordinarium poſſe dare licentiam extinguendi penſionem, modo vſitato. Nullo tamen modo id poſteſt in pactum expliciſtum vel impliciſtum deduci. Neque opus eſt ut diu expectetur, ſed poſteſt ſtatim redimi. Quamvis ad vitandam ſuſpicionem ſimonie expediat aliquamdiu expectare, ne videatur tacitum interueniſſe pactum de ſtatim redimendo. Poſſet tamen hoc evitari addita proteſtatione. Nec refert etiamſi putes alterius mentem eſſe ut ſtatim redimas, modo te ad illud nullo modo obliges, maxime ſi proteſteris te nolle ad hoc obligare, ſed facturum quod tibi commodum viſum fuerit.

26 *Ad Quartum,* An de veſte vxori danda poſſit venire in pactum principale? Reſpondeo, Id nullo modo in pactum principale venire poſſe: ſed eo abſoluto, potes cum illo conuenire pro ut tibi commodius fuerit, commutando videlicet veſtè vxori dandam cum veſtibus ipſius Eccleſiaſticis. Si tamen gratis dederis, præſumetur Simonia: non enim is, qui ſub tanta penſione reſignauit, cenſetur quidquam feciſſe, ut tale quid ex gratitudine mereatur, quia tenebatur abſq; omni penſione reſignare.

CASVS XII.

An Ordinarius poſſit conſtituere penſionem ſuper beneficia cauſa reſignationis ſolius?

Penſio ſuper nuda reſignatione beneficij.

27 **R**eſpondeo, Communis ſententia DD. eſt inferiorem Papà non poſſe conſtituere penſionem ſuper beneficia cauſa reſignationis ſolius. Rebuffus in Praxi beneficiorum §. de Reſeruatione. Nauarrus l. 5. Titul. de Simonia, Conſil. 6. & alibi. Sotus l. 9. q. 7. ar. 2. & alij. Itaq; Ordinarius non poſteſt penſionem admittere, quando eſt nuda reſignatio. Ratio eſt, quia ſtilus Curia habens vim legis, id non permittit.

Secus fortalliſ eſt in permutatione: etſi Sotus contradicat. Nam Cap. *Ad quaſtiones*, de rerum permutatione, id permittere videtur.

CASVS XIII.

Virum Ordinarius poſſit conſtituere penſionem ſuper reſignatione Gratia expectatiua?

Penſio ſuper reſignatione Gratia expectatiua.

Reſpondeo, In eo caſu multò minùs poſſe Ordinarium permittere, ut reſignatio fiat ſub onere penſionis ſoluenda. Multi etiam Doctores tenent (etſi contrarium non ſit improbabile) gratiam expectatiuam non poſſe permutari cum beneficio auctoritate Ordinarij.

Si tamen Ordinarius bonà fide per 40. annos fuiſſet vſus hac poteſtate conſtituendæ penſionis in reſignationibus beneficiorum, non auſim damnare.

Si per 40. annos vſus hac poteſtate ſtatè Ordinarius?

Qui tamen vult deſerere ſtatum Eccleſiaſticum, nec vllam haber iuſtam cauſam petendæ illius penſionis, niſi quia beneficium deſerit, non eſt ſecurus in conſcientia. Cur enim bonis Eccleſiæ fruatur, eaque detrahat vero beneficiario, cui ea iure debent competere, ſine cauſa quæ ad honorem Dei, vel vtilitatem Eccleſiæ pertineat?

Peccat penſionem petens ſi ſtatè Eccleſiaſticum deſerat.

CASVS XIV.

Inter duos litigantes ſuper poſſeſſione beneficij, inita eſt talis concordia, ut qui beneficium retineret, alteri procuraret beneficia ſimplicia vſque ad certam ſummam, intra feſtum S. Ioannis Baptiſta proximum: & quod inde deſeret, aliunde ſuperadderet, donec beneficia realiter præſtituiſſet, dato fideiuſſore in caſum moriſ de ſuper addendo huiusmodi reſiduo ad ſex, ſeptem, pluresue annos: ac illi vicifiſim cederetur ius alterius, data ab eodem cautione de reſtituendis beneficijs, & præſato additamento, in caſum euicſionis principalis beneficij.

Beneficium litigioſum.

QVÆRITVR, An huiusmodi concordia auctoritate Ordinarij ratificari poſſit, ad evitandas impenſas Curia Romana?

Reſpondeo, Ordinarium non poſſe illam concordiam ratificare. Sunt enim in ea quatuor contractus, vel partes contractuum illicitæ.

29

Prima eſt, Ceſſio iuris beneficij ex vna parte, pro obligatione procurandi beneficia ſimplicia ad certam ſummam ex alterà parte. Hanc Ordinarius ratificare non poſteſt, quia in ea committitur ſimonia: hæc enim obligatio ex parte, eſt pretio æſtimabilis, ſicut obligatio dicendi facti; requirit enim magnam ſollicitudinem & induſtriam ut impleatur. Itaque non poſteſt ſuſcipi pro iure beneficij. Accedit, quòd hæc obligatio per ſe parum ſit honeſta, quali beneficia concedenda ſint importunitati ſollicitantium, non meritis & virtuti deſerenda. Longè alia eſt ratio in reſignationibus & commutationibus, quas Episcopi etiam cum penſionis impoſitione admittunt. Penſio enim impoſitur beneficio vacanti, & ſic conferitur cum onere.

Secunda pars eſt, Quòd is cui ceditur beneficium, aliunde ſuper addet ſeu ſoluet, donec beneficia ad certam ſummam realiter præſtiterit. Hic etiam eſt ſimonia. Quia ius beneficij reſigna-

tur ex

tur ex parte pro pensione annua merò temporali non imposita beneficio. Secus est quando pensio à principio imponitur beneficio; & ita transit cū onere: quod potest facere Episcopus concordia causâ, vt etiam Sotus docet.

Tertia pars est, Vt det fideiussorem de soluendo ad certam summam donec beneficia promissa sint prestata. Hæc obligatio etiam est pretio æstimabilis, nec solet ab Episcopis admitti: neque verò potest. Quia est extranea naturæ contractus resignationis & permutationis: cumque sit pretio æstimabilis, facit simoniam.

Quarta pars est, Vt alter qui beneficia simplicia & additamenta accepisset, teneretur illa omnia restituere in casum euictionis beneficij principalis; & daret hac de re cautionem. Hic seruat sibi regressum ad illa beneficia, quæ in alterum resignauit, vel curauit conferri: qui regressus sublatu est per Concilium Tridentinum sess. 25. c. 7. de Reformatione. Vnde Episcopus non potest hoc admittere.

Regressus ad beneficia est illicitus.

Beneficia compatiblea.

CASVS XV.

Vtrum Canonatus Andernacensis, & Decanatus S. Donatiani Brugis, sint beneficia compatiblea?

Respondeo Primò, Canonatum Andernacensem, & Decanatum S. Donatiani Brugis, non esse beneficia incompatiblea primi generis. De quibus Cap. De multa, de Præbendis. Quia Canonatus non est dignitas, nec Personatus, nec beneficium curatum. Vnde Decanatus nullo modo reddit inhabilem ad obtinendum Canonatum, etiam alterius Ecclesiæ.

Respondeo Secundò, Si Canonatus ille ex consuetudine legitime præscripta, non requirit residentiam personalem (vt in casu refertur) nullo modo est incompatibleus cum Decanatu, modò Decanatus non sufficiat ad decentem sustentationem. Vnde tunc non requiritur vlla dispensatio vt illa simul ab eodè obtineri & possideri possint. Patet ex Concilio Trident. sess. 24. cap. 17. de Reformatione vbi expressè statuitur vt habenti vnum beneficium Ecclesiasticum, si hoc non sufficiat ad vitam eius honestè sustentandam, liceat aliud beneficium simplex suscipiens conferre, dummodo vtrumque personalem residentiam non requirat. Quare cum generatim statuitur hoc licere, nullà opus est dispensatione. Neque dici potest Canonatum non esse beneficium simplex: hoc enim falsum est, vt ostendit Nauar. lib. 5. Consil. tit. de Simonia, Consilio 61. vbi dicit; Canonatus est beneficium simplex secundum communem Doctorum sententiam, quæ probatur Cap. Statutum. De rescriptis lib. 6. &c. Idem docet lib. 3. tit. de Præbendis, Consilio 45. etiam de Canonatu Ecclesiæ Cathedralis.

Canonatus est beneficium simplex.

32. Consuetudo.

Ex quibus patet D. Consulentem non teneri ad resignationem prædicti Decanatus: & posse retinere fructus ex eo perceptos: nec opus habere vllà dispensatione, vt illa duo beneficia retinere queat, supposita veritate eorum quæ narrantur: nempe Canonatum illum ex consuetudine non requirere residentiam; & Decanatum non sufficere hoc tempore ad honestam sustentationem. Si tamen metuit molestias, suadeo omnino vt obtineat dispensatione ab Illustrissimo Domino Nuntio Apostolico.

CASVS XVI.

Vtrum is qui obtinet beneficium Curatum in Ecclesia Cathedrali, possit in eadem obtinere Canonatum?

Videtur non posse: Primò, Quia hæc beneficia sunt incompatiblea, de quibus Capitulo De multa, de Præbendis, vbi statuitur, Vt quicumque receperit aliquod beneficium curam habens animarum annexam, si prius tale beneficium habebat, eo sit ipso iure priuatus: & si forte illud retinere contenderit, etiam alio spoliatur. Et Clementina Gratia, de Rescriptis, vbi dicitur, Tunc videri primo Beneficio, nempe Curato, de quo ibi agitur, aliquis renuntiare, cum aliud beneficium pacifica possessione assequitur. Neque excusat, si dicas illum non percipere fructus grossos beneficij, sed solum distributiones; & consequenter non possidere secundum cum effectu & vtiliter; adeoque eum vtrumque possidere posse. Ratio est, quia ille recipiet fructus grossos secundi beneficij post mortem; ac proinde non debet hæc possessio censi vacua, & sine effectu. Secundò, quia non est licitum habere plura beneficia quando vnum sufficit: sed Curatum sufficit seorsim, & Canonatus similiter: ergo.

Respondeo breuiter, Hæc duo beneficia simul ab eodem retineri posse, si ille munerè vtriusque satisfacere possit, & aliàs alterum non sufficit.

Probatur Primò, Quia hæc duo beneficia non sunt incompatiblea, de quibus Cap. De multa: Illud enim caput solum loquitur de Dignitatibus, Personatibus, Officijs curatis, vt patet intuenti, & tenet Glosa & Panormitanus cum communi Doctorum in illud Cap. & in Cap. Referente eodem. Canonatus autem Ecclesiæ Cathedralis nihil horum est, sed beneficium simplex, vt docet Nauarrus de Præbendis, Consil. 45. Itaque dispositio illius Capituli non est extendenda ad nostrum casum: præsertim cum sit dispositio personalis, quæ non est extendenda vltra suum casum.

Probatur Secundò, Quia potest quis retinere vnam Parochialem cum aliquot Canonijs non requirentibus residentiam, vt docet Nauarrus de Præbendis, Consil. 12. ergo etiam potest quis retinere Parochialem cum Canoniam requirentem residentiam, cui residentia simul potest satisfieri.

Probatur Tertiò, Quia etsi non possit quis habere duo beneficia vniformia in eadem Ecclesia, v.g. duos Canonatus, duas Capellanas, nec etiam duas Dignitates; potest tamen in eadem Ecclesia habere duo difformia, quorum alterum sit Dignitas, alterum Canonatus, etiam absque vllà dispensatione Episcopi vel Põtificis, vt probat Nauarrus de Præbendis, Consil. 29: ergo etiam potest habere Parochiam & Canonatum sub eodè recto. Consequentia patet, quia quando agitur de pluralitate, Parochia & Dignitates equiparantur, vt patet Cap. De multa. Et confirmatur, quia Iura non minus fauent habentibus curam animarum quam habentibus alias dignitates siue curas. Quin imò illis eò plus fauoris præstandum, quò plus in Ecclesia laborant.

Probatur Quartò, Quamdiu non percipit fructus Canonatus, censetur possessio inutilis, & sine effectu: ergo potest retinere etiam Curatum

donec

Beneficia compatiblea.

33. Ratio dubitandi.

34. Responso.

In eadem ecclesia haberi possunt duo beneficia difformia, non vniformia.

donec sit in plena fructuum perceptione. Nec refert quod percipiat distributiones, quia hæ dantur ratione obsequij personalis, nec proprie ad fructus pertinent. Nec obstat quod post mortem sit percepturus corpus fructuum: quia hoc non impedit quin saltem pro hoc anno possessio sit illi inutilis; nec eum inuat ad se sustentandum; ac proinde non impedit quin aliud beneficium simul retinere possit. Et hoc euidenter colligitur ex Cap. Si tibi cõcesso, de præbendis in 6. vbi Glossa & Doctores communiter id tradunt.

non habiturum, nisi à Sedè Apostolica fuerit confirmatum. Quia Capitulum non potest noua onera præbendis imponere; cum iure cautum sit vt beneficia sine diminutione conferantur. Cap. vnico. Vt Eccles. beneficia &c. & 1. qu. 3. Cap. Si quis præbendas &c.

Nuntius
onus impositi
ni potest
beneficio
sine consensu
sa Papa.

Quod in statuto illo dicitur, Hæc danda pro installatione & prouisione, nõ bene sonat; quia simoniæ imaginem ingerit. Vnde putarem immutandum, vt dicatur, Hoc onus imponi, & debere solui dum sit installatio vel prouisio præbendæ, ad necessariam subuentionem D. Cantoris.

39
Causam

35
Corollarium.

Ex his concludo Primò, Beneficium illud curatum non vacare per assecutionem Canonicius, etiam si plenè fructum illius Canonicius perciperet. Secundò, Si neutrum prædictorum beneficiorum per se sufficit ad honestam sustentationem, vtrumque simul retineri posse, saltè cum Episcopi vel Nuntij Apostolici dispensatione. Imò probabile est nullam omnino dispensationem ad hoc requiri. Tertio, Si alterum sufficit, tenetur beneficiarius alterum resignare, nempe quod ei placuerit, siue Curam siue Canoniciatum, quia est contra Concil. Trident. sess. 24. c. 17. habere duo beneficia, quando vnum sufficit. Intellego debere alterum resignare non statim obtento secundo, sed quando ex altero quod retinere desiderat, fructus integros percipere cõeperit. Quarto, Si ex secundo quod retinere desiderat, nondum percipit fructus maiores, neque per illum stat quò minus nunc percipiat, non tenetur resignare Curam, sed potest eam simul retinere, & ei simul inferuire; nec ad hoc eget vllà dispensatione; idque tam diu donec fructus illos percipere cõeperit, vt dictum est.

CASVS XVIII.
Vtrum D. Adrianus Canonicus Ecclesiæ Collegiæ Leodiensis, possit cum bona venia suæ Capituli, aliquot annos abesse à suâ Ecclesiâ, & Romæ versari, vt ibi praxi studeat Romano, & se aptiorem negotijs Ecclesiasticis gerendis præstet, & simul causam cuiusdam Principis in Curia agat?

Beneficiarij
absentia.

Duo videntur obflare: Alterum est, dispositio Concilij Trident. sess. 24. c. 12. de Reformat. quæ sic statuitur: Præterea obtinentibus in hysdem Cathedralibus aut Collegiatis dignitates, Canonicius, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cuiuslibet statuti aut consuetudinis, vltra tres menses ab eisdem Ecclesijs quotlibet anno abesse &c.

40
Dua rationes pro
parte negatiua.

Alterum est, causæ insufficientia. Debet enim subesse causa iusta, & tanti momèti, vt meritò propter illam absentia sit concedenda. Canones autè solum duas causas exprimunt, necessitatem, & studium ordinarium in aliqua Vniuersitate.

36
Soluntur
argumenta.

Ex dictis patet responso ad rationes in contrarium obiectas. Nam Cap. De multa, non extenditur ad casum propositum. Et Clementina Gratia, non dicit beneficium præcedens vacare, sed gratiam expectatiam extingui per impetrationem alterius beneficij; itaque ad rem non pertinet.

Nihilominus verius sentio hoc non obflare, & posse D. Adrianum abesse. Nam illud Concilij decretum non videtur vsquam ferè in Belgio moribus receptum: quia passim etiam in Cathedralibus & Metropolitanis, in quibus est accuratior disciplina, & Canonum obseruatio, absunt Canonici Capituli concessu multis annis, nec eà in re scrupulum sibi faciunt. Extant exempla quotidiana, etiam eorum qui à probitate vitæ & doctrinâ commendantur. Lex autem moribus vtentium nunquam recepta, non obligat; vt communiter omnes Doctores tradunt. Imò si post legem latam consuetudo antiqua persistet decennio, planè antiquatur vis legis; adeò vt, nisi nouum præceptum Superioris accedat, communitas non teneatur eam recipere, vt docet Nauar. lib. Consiliorum tit. de Excommunicatione. consil. 8. & fusè probat Felinus in cap. 1. de Treuga & Pace, n. 13. pro ea adducens multos Doctores. Idem tenet Couar. lib. 2. variarum resol. c. 16. nu. 6; sequitur Azor. lib. 5. Instit. moral. c. 4. q. 3. & alij recentiores. Quod si absque nouo præcepto Superioris non tenetur communitas talem legem recipere, quâto minus priuatus quispiam: cum obligatio legis recipiendæ principaliter ad communitatem pertineat.

41
Responso.

Onerare beneficia.

CASVS XVII.
Capitulum statuit vt Canonici qui in posterum instituentur, teneantur soluere tres florenos ad necessariam subuentionem D. Cantoris.

QVÆRITVR, Vtrum hoc non aduersetur Concilio Tridentino sess. 24. cap. 14. de Reformat. quod veritè in prouisione seu admissione ad possessionem cuiuscunque beneficij aut distributionum, fieri illorum fructuum deductiones conuertibiles in usus non pios &c.

Causa etiam iusta videretur; vt patet ex ijs quæ scribit Nauar. in Enchirid. c. 25. n. 121. Illa enim causa iusta dicitur, quæ probabiliter talis arbitrio boni viri iudicatur. Nec refert quòd Canonibus non sit expressa; quia consuetudo illam approbat, eum etiam ob minoris momèti causas facultas absentia dari solet. Omitto, sæpè locum Beneficij talem esse, vt longè melius sit ibi non residere, quàm residere.

42
Ducuntur
absentia
causa.

37

Respondeo, Caput illud 14. sess. 24. Concilij Trid. de Reformat. non aduersatur illi statuto Dominorum Canonorum factò ad necessariam subuentionem D. Cantoris, quò singulis Canonici, qui in posterum instituentur, imponitur onus soluendi D. Cantori tres florenos, quia manifestè est ibi solum prohiberi eas solutiones, eaq; onera, quæ non cedunt in pias causas, sed habent speciem sordium, & simoniacæ labis: quæ autem in pias causas cedunt, eæ permittuntur. Atqui necessaria subuentio, de quâ hic agitur, æquatur piæ causæ; imò illi præfertur, cum pertineat aliquo modo ad iustitiam: exigit enim iustitia vt dignitatibus & officijs ita prouideatur; vt decorè suum munus præstare possint.

38
Ius iustum
ad absentiam
causa.

Hæc ratio aduertendum, prædictum statutum, etsi Capitulum totum in illud consenserit, nõ obstat.

Hæc

43
Nisi nouum
obset edi-
sum.

Hæc dixerim spectata sola obligatione iure Concilij Tridentini inducta. Si enim Romæ de nouo edictum fieret, quò præciperetur, vt omnes beneficiarij ad suas residencias se cõferant, præfer- tim sub graui aliquâ pœnâ, vt interdum fieri scio, tunc opus esset dispensatione, propter obligatio- nem de nouo impositam.

CASVS XIX.

Benefi-
ciariorũ
absentia.

In Ecclesia Cathedrali Gandensi consuetudo est, vt Canonici quotannis per tres menses ob rationabilem & iustam causam possint abesse, & nihilominus recipere distributiones quotidianas.

QVÆRITVR, Vtrum illa consuetudo possit legiti- mē retineri?

44

Omibus consideratis, quæ supra allata sunt; sentio DD. Canonicos in illa consuetudine suâ sine scrupulo posse perseverare, quamdiu per aliquem Superiorem contrarium non introduci- tur. Ratio est, quia ex Cap. finali *De consuetudine*, constat consuetudinem non irrationabilem legiti- mē præscriptam, posse legi humanæ derogare, eamque tollere, ita vt non obliget eos qui illâ cõ- suetudine vtuntur; vt passim Doctores docent. Atqui consuetudo DD. Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis Gandensis, quâ ipsi quotannis per tres menses, ob rationabilem & iustam causam possunt abesse, & nihilominus recipere distributiones quotidianas, videtur seclusâ lege prohibente, non irrationabilis; maxime attentis circumstantijs ibi commemoratis: quia nulli iuri naturali aut posi- tivo diuino repugnat; & in ipsa fundatione posset id statui, vel etiam postea per Summum Pontifi- cem concedi, vt olim ante Concilium Tridenti- num in plurimis Ecclesijs erat in vsu, quod ma- nifestum signum est, id per se non esse rationi ad- uersum; sed satis rationabile, vt consuetudine pos- sit confirmari. Deinde, hæc consuetudo videtur omnino legitime præscripta, cum in ea plusquam quinquaginta annis fuerint, etiam post erectionem Ecclesiæ in Cathedralē, etiam videntibus Episcopis, & Nuntijs Apostolicis, nec contradicenti- bus, aut eam tollere conantibus. Ad legitimam autem præscriptionem cõsuetudinis contra legem Canonicam, & Concilij vniuersalis statutum, nul- lus Doctorum requirit, amplius quàm annos qua- draginta, etiam quando lex illa fuerat ante rece- pta. Quando autem nunquam fuit recepta, multi putant sufficere annos decem ad vim eius obliga- toriam in conscientia eneruandam.

Quare prædicta consuetudo videtur legitimâ præscriptione ita corroborata, vt vim statuti seu legitimæ concessiois habeat; ita vt Canonicis non sit faciendus scrupulus, modò causa absenti- æ verè sit iusta, seu rationi consona. Secus si talis non sit. Talis autem non videtur sola re- creatio.

Si tamen per legitimum Superiorem aliquan- do inducatur reformatio iuxta decretum Conci- lij, tenentur DD. Canonici acceptare; quia cer- tum videtur eam & à decreto Concilij, & con- stitutione Bonifacij VIII. quam Concilium in- nouauit, deuiare.

45
Reforma-
tioni ob-
temperan-
dum.

CASVS XX.

Beneficiũ
carens
Ordine
requisito;

Titius in quadam Ecclesia Cathedrali obtinens Canoniatum, non fuit initiatus sacris. Ita- que cum peteret à Capitulo grossos fructus, qui debentur professoribus disciplinarum in vniuersitate; responsum ei fuit vt ostende- ret se sacris initiatum.

QVÆRITVR, An Titius ius habeat cogendi Capitulum ad fructuum solutionem?

Videtur Titius habere tale ius: quia Ius non priuati ipsi nisi voce in Capitulo, & dimi- dia parte distributionum. Vt colligitur ex Con- cilio Trident. sess. 22. c. 4. & Clementina *Vt qui*, De atat. & qual. præficiendorum, quam Conci- lium Trident. innouat. Itaque non videtur posse priuari fructibus.

Contrarium tamē videtur verius. Nam Conc. Trident. sess. 24. c. 12. de Reform. iubet omnibus Canoniatibus & Portionibus in Ecclesijs Cathedra- libus annecti Ordine Presbyterij, Diaconatus aut Subdiaconatus. Facta autem hac annexione ab Episcopo cum cõsilio Capituli, Episcopus cogere potest Canonium quemlibet ad susceptionē sui Ordinis intra annũ faciendam, etiã sub pœna priuationis ipsius beneficij: imò si monitus negle- xerit, poterit declarari priuatus ipso iure per sta- tutum Concilij Cõstantiensis, sess. 43. de dispensat. vt habet Cardinalium declaratio. Idem poterit facere Capitulum si sit exemptum. Vnde sequitur multò facilius posse priuari fructibus denegando eorũ solutionem, nisi tempore statuto promotus fuerit.

CASVS XXI.

Erectio
Præposi-
tura ex
Persona
tu per
Episcopum.

An possit Episcopus cum consensu Capituli eri- gere Præposituram ex Personatu, etiamsi non vacet, etiam inuito possessore?

Respondeo Affirmatiuè. Etsi enim hoc non expressè concedatur, nusquam tamen in Iure prohibetur: imò videtur id ei tacitè concedi per Concilium Trident. sess. 24. c. 15. de Reform. & sess. 21. c. 5. vbi conceditur Episcopis facere vnio- nes quorumuis beneficiorum cum curatis propter eorum paupertatē, & in ceteris casibus à Iure per- missis: & Capitulo *sicut vnire*, de excessibus Præ- latorum, generatim dicitur, Episcopi esse Eccle- siarum suæ diocesis vnionem curare. Quod si po- test facere tales vniones, cur non possit etiam eri- gere, & extollere beneficium inferioris dignitatis ad titulum & conditionem superiorem, cum hoc non cedat in diminutionem præbendarum & ser- uitij diuini, sicut vniones, sed potius in augmētũ? Et confirmatur. Quia potest erigere titulum Præ- posituræ, & tunc ei facere hanc vnionem; sicut po- test facere vniones cum præbendis Canonicalibus tenuibus, vt patet ex sess. 24. cap. 15.

Quod autem non requiratur consensus posses- soris, colligitur ex iisdem locis: nam vult Conci- lium has vniones non posse infringi aut impedi- ri ratione cuiusvis resignationis. Nec obstat quòd cap. 5. sess. 21. dicat *sine præiudicio obtinentium*: quia non loquitur de præiudicio resignationis, sed re- signationis beneficij & fructuum integrorũ quam- diu pos-

48
Non requi-
ritur Con-
sensus pos-
sessoris.

diu possessor viuet: alioquin non cohererent ea verba cum ijs quae habentur in fine.

49 Sed Patroni laici.

Requiritur tamen consensus Patroni si beneficium illud erat patronatus laici, vt insinuat idem Concilium.

CASVS XXII.

Vnio Personatus cum dignitate iam erecta.

Virum possit Episcopus vnire Personatam non vacantem dignitati iam erecta, sed non sufficienter dotata, etiamsi possessor non consentiat?

50

Respondeo, Episcopum id posse. Colligitur aperte ex Concilio Trident. sess. 24. c. 15. vbi conceditur Episcopo cum consensu Capituli vt possit simplicia beneficia vnire praebendis Canonialibus tenuioribus &c. Cur non possit etiam dignitati tenuiori?

Personatus est beneficium simplex.

Nec obstat quod Personatus non videatur beneficium simplex: quia reuera est simplex, cum non habeat curam animarum: haec enim est vna distinctio beneficij simplicis a dignitate, quod haec habeat curam animarum, illud non: vnde Canonici etiam Cathedralis est beneficium simplex. Accedit, quod Capitulum sicut vnire, de excessibus Praelatorum, generatim loquatur de cuiuslibet beneficij Episcopo subiecti vnione. Idem insinuat Concilium Tridentinum cap. 5, sess. 21.

Non requiritur consensus possessoris.

Neque videtur requiri consensus possessoris: nam Concilium non requirit loci citatis, & aperte insinuat per resignationem non posse talem vnionem impediri.

CASVS XXIII.

Erectio Capellaniae in dignitate.

Virum possit Capellania per Episcopum erigi in nouam dignitatem Patrono consentiente?

51

Respondeo Affirmatiue. Sequitur ex dictis. Neque requiritur consensus possessoris, etiamsi per hoc impediatur resignatio, quae sepe ob iustam causam per Superiorem impediiri potest, vt colligitur ex Tridentino. Non tamen cogi potest possessor vt ipse dignitatem subeat, &c.

Onera curanda.

Hic tamen aduerte, Curandum esse vt onera Capellaniae praesententur, v. c. si certa sacra dicenda sint; quia fundatores priuari non debent, nisi iuxta modum a Tridentino praescriptum sess. 25, c. 4.

CASVS XXIV.

Erectio Capellaniae in Patronatum.

In quadam Ecclesia non habente proprium Patronum, sed dependente ab alia, sunt duae Capellaniae, reddentes simul circiter centum quinquaginta florenos; quarum altera debet duo sacra in singulas septimanas; altera nunc quatuor, nunc quinque.

Quaeritur, Virum possint erigi in beneficium Parochiale, adhibita moderatione in onere sacrorum?

52 Ratio dubitandi.

Ratio dubitandi est, Quia quando Concilium Trident. concedit Episcopis potestatem vnionis beneficij Seminaris, iubet id fieri sine cultus diuini praediuicio; vt patet sess. 23. c. 18. hic autem videtur cultus diuinus minui, quia minuitur sacrorum numerus, quae ex institutione ipsorum beneficiorum fatienda. Deinde, quia Concilium non concedit illis potestatem moderandi, nisi quando onus est communis, v. g. monasterij vel Cap-

tuli; vel si prouentus non sufficiant; vt patet sess. 25. cap. 4. de Reformat.

Respondeo, Non esse dubitandum: Primum, Quin Episcopus tale erectione & vnionem facere possit, quando id bonum Ecclesiarum postulat, & alia comodiore ratione ijs prouidere non potest, v. g. assignatione fructuum ad Ecclesiam matricem pertinentium, vel collectis subditorum: id enim ei luculentè conceditur sess. 21. c. 4. & 5.

Hoc tamen non debet fieri sine consensu Patronorum, si beneficia sint Patronatus Laici, vt alia Congregatio Cardinalium respondit, quia huic Patronatus sine expressa clausula non derogatur.

Secundo, Dubitandum non videtur, quin Episcopus etiam possit onus sacrorum moderari: dum enim Concilium facit potestatem noui oneris imponendi, tacite etiam concedit moderationem prioris, praesertim si vtrumque iunctim iustum modum & vires excedat, vt in praesenti casu; alioquin non magni momenti esset haec facultas; neque ad eam opus esset Concilij auctoritate, quia solum esset potestas grauandi, non autem ex aequo & bono statuendi. Deinde, quia onus quod hic imponitur de nouo, facile compensat illam moderationem, nam onus Pastorale est maioris momenti, quam onus aliquot sacrorum. Tertiò, Quia Episcopus ex causa habet potestatem commutandi vnum pium opus in aliud, si illud aequè vel magis Ecclesiae & animarum saluti profuit.

In praesenti autem casu censeo illum Pastorem non obligandum vt omnia illa sacra per se vel alios semper dicat; sed vt dicat quot commodè poterit, prout valetudo, dispositio animi & corporis, negotia & onera pastoralia permittent: nam ordinariè beneficij ipsi non aliter solent obligari: & hac ratione valde ad numerum primitus constitutum accedet.

Ad primam rationem dubitandi, Respondeo: Nulla hic fiet absolutè cultus diuini imminutio, sed potius accretio per functiones pastorales.

Ad secundam, Etsi Concilium non concedat expressè in alijs casibus, concedit tamen tacite; idque prudenti iudicio & ratiocinatione colligendum relinquit.

CASVS XXV.

Virum Episcopus possit in Ecclesia sibi subiecta, qualis est S. Pharaïdis Gandau, facere vnionem praebendae Subdiaconalis cum ipsa Praepositura ob illius paupertatem?

Vnio Beneficij Subdiaconalis cum Praepositura.

Respondeo, Mihi dubium non est, quin possit Episcopus in Ecclesia sibi subiecta, qualis est S. Pharaïdis Gandau, talem vnionem facere: nimirum vnire praebendam subdiaconalem ipsi Praepositurae, ob illius paupertatem. Quia sunt multi textus in Iure quibus id satis aperte declaratur: vt Clement. Si vna, de rebus Eccles. non alienandis. vbi dicitur: Si vna Ecclesia alteri Ecclesiae, vel dignitati alicui, vel praebendae per Episcopum, suo consentiente Capitulo, vnatur, aut religioso loco doneatur, &c. impugnari non poterit. Et Cap. Sicut vnire, Extra. de excessibus Praelatorum. vbi dicitur: Episcopi est Ecclesiarum sua diocesi vnio & subiectio, &c. Verum ceteris omissis abundè nobis sufficit Concilium Trident. quod sess. 21. c. 5. de Reform. ita statuit: Vt etiam Ecclesiarum status, vbi sacra Deo officia ministrantur, ex dignitate conseruetur, possint Episcopi etiam

Clementina si vna.

Trident. vt Aposto

ut Apostolica Sedes delegati, iuxta formam iuris, sine tamen præiudicio obtinentium, facere vniones perpetuas quarumcumque Ecclesiarum parochialium, & baptisimalium, & aliorum beneficiorum curatorum, vel non curatorum, cum curatis, propter earum paupertatem; & in cæteris casibus à Iure permisis, etiamsi dicta Ecclesia vel beneficia essent generaliter vel specialiter reseruata aut qualitercumque affecta, &c.

Non obstat
mensis
Pontifi-
cius.

Nec obstat, quod per talem vnionem videatur Summus Pontifex priuari iure cõferendi suo mense, si tunc contingeret tale beneficiũ vacare: Quia si nec generalis nec specialis reseruatio impedire potest talem vnionem, multò minùs ius mensis Pontificij, quod longè remotius est, & generalius, quàm reseruatio.

56

Communi-
catio in-
rium con-
ferendi
beneficia
fieri potest
ab Episcopo.

Ex quibus vterius sequitur, Episcopum suã auctoritate posse confirmare & approbare cõmutationem iuris conferendi inter Serenissimũ Principem & Dominum Prapostum; quia hæc iura sunt valde commutabilia, cum vtrumque sit spirituale, & eiusdem ordinis, nec vsquam huiusmodi commutatio sit prohibita; & nemini per eã fiat præiudiciũ. Nam quod Sedes Apostolica amittat suum mensem, non prouenit ex illa commutatione, sed ex vnione. Vnde commutatio illa est plane ad eam rem impertinens.

CASVS XXVI.

Vnio
monaste-
rij vnus
cum alte-
ro per
Episco-
pum.

Vtrum Episcopus possit monasterium sibi subiectum, consentientibus Monialibus, vnire alteri monasterio, absque pleno Capituli sui consensu?

57

Alexan-
der III.

Respondeo: Quod Episcopus possit hæc vnionem facere, videtur clarè probari Cap. Consultationibus, de Donationibus. Vbi Alex. III. Donationes verò vel concessiones Ecclesiarũ, si qua sũt priuatis personis, viuẽtibus illis qui ipsas Ecclesias possident, nullius debent esse momenti. Si religiosis sũt locis ab Episcopo, vel eius auctoritate, rate debent haberi: ita quod personæ, que iam dictas Ecclesias possident, sine ipsorum assensu eis in vna sua non debent spoliari. Potest ergo auctoritate Episcopi, Ecclesia perpetuò vniri monasterio seu loco religioso, etiam viuẽtibus monialibus, quæ illam possident; & cum illarum consensu potest fieri executio, & transferri possessio in locum religiosum. Vnde sequitur id posse fieri etiam si illa per alia monasteria forent dispergenda: id enim necessarium est, si priuent se possessione, eaque cedat alteri monasterio vel collegio religioso.

Canon Si
quis.

Idem confirmatur Can. Si quis, 16. q. 7. vbi dicitur: Si quis vult monasterium suum ad meliorandum in alium locum ponere, fiat cum consilio Episcopi & Fratrum suorum. Et Can. Nemini, eadem qu. vbi dicitur: Nemini Regum aut cuiquam hominum in propriũ ius liceat monasterium tradere vel conuertere, nisi ad aliud monasterium. Vbi permittitur Principi cõuertere & tradere vnum monasterium alteri, quando causa iusta subest. Hoc tamen intellige faciendum esse interuentu auctoritatis Episcopi, vt ex alijs Canonibus constat.

Tridentinum.

Idem manifestè confirmari videtur ex Concilio Trident. sess. 21. c. 5. de Reform. vbi sic statuitur: Vt etiam Ecclesiarum status, vbi sacra Deo officia ministrantur, ex dignitate conseruetur, possunt Episcopi etiã tanquam Apostolica Sedes delegari, iuxta formam iuris, sine tamen præiudicio obtinentium, facere vniones perpe-

tuas quarumcumque Ecclesiarum parochialium & baptisimalium, & aliorum beneficiorum, curatorum, vel non curatorum, cum curatis, propter earum paupertatem; & in cæteris casibus à Iure permisis; etiamsi dicta Ecclesia vel beneficia essent generaliter vel specialiter reseruata, aut qualitercumque affecta. Quæ vniones etiã non possunt reuocari, nec quoquo modo infringi vigore cuiuscumque promotionis, etiã ex causa resignationis, aut derogationis, aut suspensionis. Hic Episcopis conceditur vt ad cõseruationem & augmentum cultus diuini, possint facere vniones etiam beneficiorum Curatorũ, quod longè maius est & difficilius, quàm vnire monasterium non exemptum paucarum monialium (quæ etiam consentiunt) idque causã publicã & necessariã exigente. Cui autè conceditur, quod maius est, eidem concessum censetur quod minus est: præsertim quando hoc est æquè vel magis necessarium ad cultum diuinum & animarum profectum.

Idem colligitur ex illis verbis, Et in cæteris casibus Iure permisis: Atqui Ius nusquã prohibet Episcopis talem vnionẽ ob causam necessariam faciendam: imò apertè concedit 16. q. 7. duobus Canonibus suprã citatis, & Cap. Consultationibus suprã.

Denique huc pertinent ea quæ idem Conciliũ Trident. sess. 25. c. 8. statuit de conuertendis quibusdam hospitalibus fundatis ad certũ vsum qui iam ferè cessauit, ad meliorem vsum, & vniendi alijs pijs locis. Vbi etiã mandat Episcopis vt id faciant. Idem manifestè probatur ex Cap. Sicut vnire, de Excessibus Prælar. & Clementina Si vna, de rebus Eccl. non alienandis.

Ex quibus omnibus satis liquere videtur Episcopo hanc potestatem competere in monasterium non exemptum, concurrentibus suprã dictis circumstantijs.

Sed difficultas est, Vtrum ad hoc requiratur cõsensus Capituli. Mihi probabilissimum est hunc cõsensum non requiri; quia nullũ Ius id statuit. Solum quædam iura requirunt, vt id fiat cum cõsilio Canonicorum. At multum ista differunt cum consensu, & cum consilio. Cum enim requiratur cõsensus, actus est inualidus si contra vel absque cõsensu fiat. Cum consilio, solum requiritur vt non faciat nisi audita illorum sententiã, nõ tamen absolute tenetur eam sequi, vt passim Doctores tradunt. Deinde nullus Canon requirit in hoc actu vt adhibeat consilium Capituli: nam Cap. Consultationibus, nulla fit mētio Capituli, vel Canonico- rum, sed solum Episcopi. Concilium Trid. sess. 21. c. 5. solum dicit posse Episcopum facere vniones iuxta formã iuris: atqui Ius in vnionibus non requirit consilium Capituli quando ea res ad Capitulum non pertinet. Rursum, quando Concilium agit de Hospitalium applicatione ad alium pium vsum, non requirit consilium Capituli, sed solum duorum Canonicorũ ab ipso Episcopo eligendorum: idque propter varia ingenia, quæ solent esse in Capitulis, quæ difficillimè in idem conspirant. Denique quando consilium sess. 23. c. 18. de Reform. agit de ijs quæ pertinent ad dotandum Seminariũ, datur Episcopo potestas vt cum consilio quatuor Ecclesiasticorũ, omnia peragat, quorum duo sint de Capitulo, duo ex reliquo Clero: ita vt electio duorum sit penes Episcopum, reliquorum duorum vnus penes Capitulum, alterius penes reliquum Clerum.

Nec obstat Can. Si quis, 16. q. 7. quia non dicitur, Cum consilio Capituli, sed cum consilio Episcopi & Fratrum

58
Potest id
Episcopus
absque
consensu
Capituli.

Consilium
& consen-
sus multi
differunt.

& Fratrum eius, ubi non est necesse intelligi omnes Canonicos, sed aliquos prudentiores tantum.

Duo hic aduertenda, quae plurimum ad rem faciunt. Primo, Etiam si requireretur consensus Capituli, sufficit ut maior pars consentiat: tunc enim res dicitur fieri ex unanimi consensu Capituli, ut docet Emanuel Sa V. Capitulum, citans Baldum & Tabienam. Idem ipse usus confirmat: ordinari enim fit conclusio in deliberationibus ex sententia maioris partis, etiam si vel uno tantum superet. Idem dicendum quando requiritur consilium: sufficit enim iudicium maioris partis.

Secundum, quod quando dicitur, ut aliquid faciat Episcopus cum consilio Capituli, teneatur quidem audire eorum iudicium, sed non teneatur sequi. Fumus V. Consilium. Panormit. in Cap. Cum in veteri, de elect. Sil. V. Consilium n. 4. Emanuel Sa eodem verbo. Estque communis Doctorum sententia.

CASVS XXVII.

Virum Summus Pontifex possit derogare iuri Collatoris ordinarij dum vniones facit; idque nominatim in vnione Prioratus eiusdem monasterij, cum alterius ordinis monasterio?

Respondeo, Certissimum est Pontificem posse huic iuri derogare. Primo, Quia potest derogare iuri Patronatus Ecclesiastici; ut docet Coarruuias lib. 1. q. Practicarum q. 36. & secundum veriore sententiam etiam iuri Patronatus Laici, quando causa subest, & plenitudine potestatis virtutis: cuius signum est, quod huiusmodi beneficia vacantia in Curia conferat non expectata Laici presentatione: ergo multo magis potest derogare iuri Collatoris; nam hoc ius multo minus est, quam ius presentandi: presentandi enim ius oritur ex fundatione vel donatione; & si ad egestatem deueniat Patronus seu Praesentator habet ius alimentorum. Conferendi vero ius pendet ex voluntate Pontificis: cuius signum est, quod Pontifex illud sibi referuet ob varias causas, etiam si nulla culpa collatoris ordinarij intercesserit: & quod cum Episcopis & alijs mensis diuidat.

Secundo, Quia plenaria dispositio Ecclesiarum, Personatum, dignitatum, & aliorum beneficiorum nofcitur ad Romanum Pontificem pertinere; ut habetur Cap. De Præbendis, in 6. Hinc est quod possit Episcopus & alios Collatores præuenire, ut ait Glossa ibidem.

Tertio, Quia etsi de alijs beneficijs posset quis dubitare, tamen de Regularibus nullum potest esse dubium, quin liberè possit illa vnire, quando ita expediens iudicabit, nullo collatoris ordinarij (qui hic Abbas est vel saltè Monachus) requisito consensu. Quia Papa est ordinarius superior omnium Regularium, & potest eos pro arbitrio privare suis beneficijs, & aliò transferre: quamuis probabilis sit non posse transferre in seculares.

Quarto, Quia etsi in vnionibus quas facit Episcopus, debeant vocari omnes quorum interest; non tamen id fieri debet in ijs, quas facit Papa; ut docet Petrus Rebuffus in Regul. 21. Cancellariae glossa 11. n. 7. eò quod ipse in his habeat plenitudinem potestatis: praesertim cum illud praedictum quod fieri videtur Collatori, sit minimum, & non considerabile. Unde etiam per clausulam generalem ei potest derogari; ut docet Ludouicus Gomezius q. 1. in Regularum de non tollendo iure quaestio.

Quinto, Legatus vniendo potest ab Episcopo auferre collationem, ut fatetur Rebuffus tit. de Vnionibus n. 26. citatque Dominos de Rota: ergo multo magis id potest Pontifex.

Hinc patet, potuisse hanc vnionem fieri, non vocato praedicto Abbate collatore. Imò quando causa vnionis est tam manifesta, certoque constat Collatorem nihil posse adferre cur non expediat vnionem fieri, non est opus illum vocari: nam ob hanc solam causam vocandus est. Causa enim cognita & probata superiori, potest fieri vnio, velic nolit Collator, & alij quorum interest; ut rectè Rebuffus Glossa 11. n. 3.

Petes: Quandonam hæc derogatio censeri debeat sufficienter facta esse in Bulla?

Respondeo, Certum esse hanc derogationem sufficientissimè tunc factam censeri debere, quando varieg clausule adhibentur, quibus id manifestè declaratur; quales sunt: Prima, Cum dicit Pontifex se Prioratum illū isti monasterio vnire, annectere, & incorporare, simul atque primū vacauerit, (etiam si vacet mensibus ordinarijs Collatoribus concessis, vel concedendis) ita ut statim possit capi possessio, nullius licentiā requisita. Secunda, Cum decernit omnes alias prouisiones in posterum faciendas de praedicto Prioratu, inualidas, & nullas &c. Tertia, Cum dicit, praesentes litteras non posse impugnari, aut inualidari de vitio subreptionis, obreptionis, vel alio quouis defectu. Quarta, Cum dicit, non obstantibus priori voluntate nostra praedicta, in qua continebatur ut vnio non valeret, nisi vocatis quorum interest: &c. Quinta, Cum dicit, non obstantibus monasterij & Prioratus & Ordinis praedictorum consuetudinibus, priuilegijs, & indultis, super prouisione vel nominatione personarum ad illa, dum pro tempore vacant: &c. quibus verbis apertè Pontifex derogat iuri conferendi & presentandi.

CASVS XXVIII.

Virum Summus Pontifex possit beneficium conferre, & etiam vnire alicui loco pio absque consensu Patroni, praesertim Ecclesiastici. Et sensu Patroni quid si in litteris concessionis non deroget tironi huius iuri?

Respondeo, Cum Summus Pontifex, omnium Doctorum iudicio, in re beneficiaria plenitudinem potestatis habeat, ut eam dispenset prout Ecclesia videt magis expedire; non est dubitandum quin possit beneficia conferre, & etiam vnire alicui loco pio absque consensu Patroni. Ita docet Rochus de Iure Patronatus V. Honorificum, qu. 3. estque communis sententia. Et quamuis cum beneficium est iuris patronatus laici, in quibusdam regnis non admittatur collatio vel vnio absque patroni consensu, ut in Hispania, & Gallia, teste Coarruuias lib. 1. pract. q. c. 36. tamen nemo dubitat quin id admittendum sit, quando patronus est Ecclesiasticus. Solum requiritur hic consensus quando vnio faciendā est auctoritate Ordinarij, ut colligitur ex ijs quae scribit Coar. supra, nu. 11. & Panor. in c. 8. de consue. nu. 5. Imò quando est Ecclesiae necessitas, vel euidentis utilitas, valet etiam Episcopi collatio, & vnio facta absque consensu patroni; ut patet ex additionibus ad Panormit. loco citato, & Felino in dictum, cap. 8. n. 20.

O iij Cum

59 Sufficit ad consensum maior pars

Consilium non tenetur sequi.

Vnio Prioratus cum alio monasterio.

60

Papa potest derogare iuri Patronatus Ecclesiastici & Laici.

Plenaria dispositio omnium beneficiorum ad eum pertinet.

Non debent vocari beneficiarios.

61

Quando non vocari debent habentes interesse.

62

Quando nam censeri debent derogatio sufficienter facta.

Vnio

Prioratus absque consensu Patroni.

63

Præuilegium Patronatus Laici in quibusdam regnis.

Episcopus potest subinde vnire absque consensu Patroni Ecclesiastici.

64 Cum ergo Pontifex, omnium sententiâ, possit facere talem vnionem absque consensu Patroni Ecclesiastici: superest, vtrum hic de facto intenderit eam facere, cum speciatim iuri patronatus non videatur derogasse.

Vnde con-
stat, An
sufficienter
derogatum
sit Iuri Pa-
tronatus.

Ad quod Respondeo, Pontificem intendisse omni modo quo poterat, hanc vnionem ratam & validam efficere; ac proinde hoc ipso generatim satis derogasse iuri patronatus, præsertim Ecclesiastici. Quod omni modo intenderit: satis patet, Tum ex eo quod nulla alia decreta canonica velit obstat huius dispositioni, vt patet pag. 4. in fine: atqui omne ius patronatus est ex decretis Canonum. Tum, quod has litteras nolit impugnari de surreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis suæ, aliove aliquo defectu. Quæ sanè verba satis aperte indicant illum omni modo voluisse hanc suam dispositionem esse validam sublatis omnibus impedimentis: Nec posse aduersarios obijcere, Pontificem non fuisse satis informatum; aut non intendisse vnionem efficere validam absque consensu Patroni. Tum denique, quia in Curia Romana nunquam expediuntur huiusmodi vniones, quin omnia minutim intelligantur, quæ ad conditionem rei vnionem pertinent; & maximè, an beneficium sub iuri patronatus, an verò sit liberum; an patronus sit laicus, an clericus; an secularis, an religiosus &c. Accedit, quod omnes Prioratus S. Benedicti sint dependentes à monasterijs; ac proinde subiecti iuri patronatus. Vnde non potuit Summus Pontifex ignorare hunc Prioratum habere patronum. Quod autem eius expressa mentio cum derogatione facta non fuerit, fortasse id factum obliuione vel inaduertentiâ eorum, qui litteras huiusmodi expediunt.

Omnes
Prioratus
dependentes
à mo-
nasterijs,
sunt subie-
cti iuri Pa-
tronatus.

65

Quod bella tunc temporis inter Gallos, & Regem nostrum Catholicum vigerent, parum ad negotium propositum facit: quia illa bona confiscata non fuerant, imò nec confiscari poterant, cum Ecclesiastica sint; & res Ecclesiasticæ ob bella & iniurias Principum confiscari nequeant. Vnde etiam Abbas Gallus non potuit priuari à nostro Rege iure patronatus &c.

Bona Ec-
clesiæ non
cadunt in
fiscum.

26

Legatus à
latere po-
test benefi-
cia vnire
absque co-
sensu pa-
troni Ec-
clesiastici.

Verùm Summus Pontifex propter Ecclesiæ bonum, potuit bona illius Prioratus alijs vsibus applicare, & consequenter priuare Abbatem iure patronatus. Imò Legatus à latere id poterat, etiam si patronus non esset illi subiectus, vt pote extra limites ipsius legationis degens; vt docet Rochus supra.

Scripti Felinus tractatum, Quando littera Apostolica noceant patroni Ecclesiarum; quem citat Rochus. Verùm nos in opere Felini eum non habemus. Is omnino consulendus est.

BONA ECCLESIAE.

CASVS I.

Acquisi-
tio Bono-
rum Ec-
clesiæ.

Titius cuius loco religioso donatione inter vivos contulit aliqua bona immobilia, ad ea vel perpetuo possidenda, vel ea vendenda; eamque donationem postea testamento confirmauit.

QUÆRITUR, Vtrum hæres ipsius prætextu priuilegij Lacti introitus, & similitum, possit bona conscientia denegare illi loco non so-

lum prædicta bona, sed etiam illorum estimationem?

Respondeo, Expenso prædicto priuilegio, cuiusque qualitate & mente considerata, clarum videri, non posse ex hoc capite sine peccato & graui iniuriâ, estimationem illorum bonorum denegari.

Primò, Quia mens illius constitutionis non est irritas reddere huiusmodi donationes seu dispositiones, nisi quatenus per eas transferuntur bona immobilia ad manum mortuam, nempe vt possideantur & retineantur ab Ecclesia, locoue pio, vt ex verbis illius constitutionis diuersis locis, & ex fine illius aperte colligitur. Vnde si donentur ad vendendum, & ea mente acceptentur, donatio non erit irrita. Cum igitur dicta donatio facta sit alternatiuè ad alterum istorum, poterat à pio loco sic acceptari: censetur autem sic acceptasse, quia intendit acceptare eo modo quo optimè potest.

Secundò, Quia, cum hæc constitutio videatur valde dura, & repugnans iuri Ecclesiæ & sacris Canonibus, ac multis Concilijs Oecumenicis, vt Concilio magno Lateranensi sub Innocentio III. cap. 44. & refertur Cap. Cum Laicis, de rebus Ecclesiæ non alienandis: & Conc. Constantiensi in articulo de Ecclesiast. libertate: & Conc. Lateranensi sub Leone X. sess. 10. denique Concilio Tridentino sess. 25. de Reformat. cap. 20. cum inquam videatur manifestè repugnans his Concilijs & Iuri Ecclesiæ, libertatiq; Ecclesiasticæ; ea interpretatio necessariò adhibenda est quæ illam constitutionem mitiget, vt quàm minimè repugnet, non quæ exaperet, vt per se notum est. Quare etsi in eâ constitutione statuatur vt translatio bonorum immobilium facta in pium locum sit irrita, id solùm intelligendum de ipso corpore possidendo, non de illo vendendo, & obtinendo eius pretio. Sic enim obtinetur finis illius constitutionis, & minus læditur ius Ecclesiæ.

Confirmatur ex doctrina Bartoli quam habet lib. 2. Minoricarum. distinct. 4. cap. 2. & 3. vbi docet etiam fratres Minores sint incapaces bonorum immobilium, si tamen aliquid immobile illis legetur, valere legatum; sed illud esse vendendum, vt obtineant ex illo pretium. Sic enim ob fauorem piæ causæ tales dispositiones esse interpretandas, & hanc censerent mentem disponentium. Multò ergo magis idem habebit locum in nostro casu, vbi pius locus ex se non est incapax dominij rei immobilis, sed solùm prohibetur per Principem secularem possidere. Idè docet Emanuel Rodrigues tom. 2. q. 126. a. 1. de alijs Mendicantibus, qui bona immobilia possidere non poterant, nempe illos ex testamento posse capere bona immobilia, non vt illa retineant in proprio vel in communi, sed vt vendant, & eorum pretia in suas necessitates conuertant, vt ait Glossa in cap. 1. v. Domum. de Relig. domibus in 6. quam sequitur Calderinus; & testantur esse sententiam communem Alexander & Decius. Non enim dicuntur accipere immobilia, ex quo statim illa vendere, & pretium in suas necessitates conuertere intendunt, vt post alios resoluit Iulius Clarus lib. 2. sententiarum, §. Religiosus. Hæc Emanuel Rodrigues. His alijsque consideratis, perspicuum mihi videtur sine graui iniuria pretium non posse loco illi denegari.

CASVS

CASVS II.

Princeps bona quadam fisco addita absolute dedit cuidam monasterio: postea ex pacto Induciarum, quo bona eiusmodi ad priores dominos redire debent, amici seu heredes qui Regi semper fuerunt fideles, ea reperiunt.

Quæritur, Virum Princeps possit illa bona iterum monasterio eripere, & amicis restituere?

Reuocatio donationis factæ monasterio.

Perpena specie facti. Planè manifestum videtur saluâ conscientia Principem non posse illa bona Religiosis absolute & in perpetuum donata, adimere, vt alijs, quantumvis fidis ministris, gratiam faciat. Idque propter duas causas, quarum qualibet per se sufficit.

Nemo de alterius rebus potest disponere.

Prima causa est, Quia nemo, ne Princeps quidem, potest alteri gratiam facere in re alterius, sed in sua duntaxat, quam ipse bono iure possidet: quia nemo de re alterius pro suo arbitratu disponere potest, sed quisque tantum rei suæ est arbiter. Notum est exemplum de vinea Naboth 3. Regum. cap. 21. Constat autem illa bona per talem Principis donationem, translata fuisse in dominium Religiosorum: ac proinde non posse ea principem pro suo arbitratu amplius donare. Hoc si in priuatorum rebus, omnium Doctorum consensu certum est, multo magis in ijs quæ Deo consecrata sunt, & locis pijs ad cultum diuinum applicata; quæ absque crimine sacrilegij reuocari non possunt. 17. q. 4.

Quando nam possit Princeps statuere de bonis priuatorum.

Nec obstat quod Princeps de rebus priuatorum statuere possit, quando bonum commune id postulat, quia id locum non habet in presenti casu, vbi non pretenditur necessitas boni communis, sed petitur gratia & beneficium. Vnde argumentum, quod pro aduersa parte adducitur, nimirum, æquius & iustus esse, vt subditi semper fideles, dicto priuilegio fruantur, quæ rebelles, quibus ius tale datum est; nullus est ponderis: quia id quod rebellibus concessum est, non est priuilegium liberum & gratiosum, sed dispositio necessaria bono Reipublicæ. Aliter enim periculum erat non obtinendarum Induciarum, neque pernicioso bello finis imponendi. Talis autem dispositio non potest extendi ad alios casus: Iniquum enim est vt quidquid permittitur rebellibus ad redimendam seditionem, concedatur fidelibus subditis, eo nomine quod morigeri & fideles permanserint. Alioqui ciuitates quæ semper in fide perstiterunt, possent simili argumento petere exceptionem vectigalium & liberam administrationem.

Princeps tenetur ex promissa.

Secunda causa est: Quia Princeps, vt omni modo quo possit, hanc piam donationem ratam & irreuocabilem faceret, promisit se assecuraturum prædictos Religiosos de illis bonis contra omnes & quoscunque: quæ promissio illum obstringit in conscientia, vt quamdiu illa donatio via iustitiæ defendi potest, non patiatur illam in irritum recidere. Itaque quamuis Princeps, quia Princeps, seu iustus Iudex, obligetur curare vt nemini, contra ius, quod suum est, adimatur; quia omnibus ius dicere debet: tamen in hoc casu non solum illa generali ratione, & vt Princeps tenetur; sed

etiam speciali ratione promissionis, quasi patronus, qui totum periculum rei in se suscepit. Hæc promissio talis est naturæ, vt etiam in priuato inducat obligationem iustitiæ; adeo vt, si quis facta tali promissione, non defendat causam, pro qua spondit, & finat illam euertere, teneatur ad restitutionem. Vnde patet hanc obligationem esse distinctam ab eâ, quæ tenetur Princeps, vt Princeps & Iudex.

Ex quibus manifestè sequi videtur, quod initio proposuimus, in presenti casu non posse Principem saluâ conscientia bona illa Religiosis adimere, vt alicui alteri gratiam faciat.

CASVS III.

Virum Statutum quo Ecclesia & pia loca redduntur inhabilia ad acquirendum possessiones & immobilia sit, contra libertatem Ecclesiasticam?

Prohibitio acquisitionis bonorum Ecclesiæ.

Respondeo, Statutum quo Ecclesiæ & pia loca redduntur inhabilia ad acquirendum possessiones & immobilia, est contra libertatem Ecclesiasticam. Probatum Primò, ex Cap. 1. de Immunit. Ecclesiast. in 6. in fine, vbi aperte id habetur. Secundò, Quia est contra ius concessum Ecclesiæ, l. Generaliter, & l. Iubemus, & l. Vt inter diuinum. C. de Sacrosanctis Eccl. Vide etiã l. Cassa, & l. Priuilegia, eodem titulo. Tertio, Quia est contra ius Gentium, & cedit in iniuriam Christi, cuius sunt bona Ecclesiæ.

Qui condunt talia statuta, vel ea exequuntur, sunt Excommunicati, Cap. Non minus, de Immunit. Eccl. & Cap. Nouerit, de Sententia excommunicationis. Et in Bulla Cænæ excommunicatione 15. apud Nauarrum n. 69. Concilium autem Trident. renouat omnia iura antiqua & penas illis contentas, sess. 25. cap. 20. de Reform.

CASVS IV.

Virum licitè possit fieri constitutio, qua illi, qui volunt ingredi Religionem, vel iam ingressi sunt, prohibeantur bona sua, vel portionem legitimam ipsi obuenturam dare pauperibus, vel conferre in Religionem, præsertim si ea pauper ac tenuis sit?

Prohibitio acquisitionis bonorum Ecclesiæ.

Videri possit alicui talis constitutio licitè fieri posse. Primò, quia dispositio bonorum temporalium pertinet ad Principem, cuius etiam est prouidere ne illa transferantur ad extraneos, & exhauriantur familiarum. Secundò, quia alioquin Religiones nimias diuitias accumulabunt, quæ ipsis postea erunt in ruinam, dum commellationi & crapulæ Religiosi indulgent. Tertio, quia Principes habent in hac causa exemplum magni Theodosij, qui constitutionem edidit, qua viduæ vetantur Ecclesiæ bona sua relinquere, vt patet ex C. Theod. leg. 27. Et gloriose mem. Carolus V. in diplom. *Lati inuocatus*, vt vocant, & alijs quibusdam, sanxit ne Ecclesiæ, monasteria, aliaque pia loca possint vllò modo de nouo acquirere bona immobilia, grauiusque vetuit Iudicibus ne illos iuridicè inuestiant; & si contra fiat, totum reddit irritum.

8 Rationes, cur id videntur licere.

His tamen non obstantibus, certum est talem constitu-

Non potest fieri sine graui peccato.

Repugnat consilio Christi.

constitutionem, positis illis circumstantijs, absque graui peccato fieri non posse; quod peccatum eò deterius, & periculosius est, quòd assidue duret & continuetur, nec remitti possit quamdiu talis lex non reuocatur.

Probatur hæc assertio: Primò, quia directè est contra consilium Christi Domini, & contra Euāgelicam perfectionem, quam Dominus communiter omnibus suavit, cum ait Matthæi 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia qua habes, & da pauperibus.* Vbi notant sancti Patres Dominum non dixisse, da amicis, & consanguineis; sed, *Da pauperibus.* Vnde alibi dicit: *Vendite qua possidetis, & date elemosynam,* hoc est, date pauperibus. Atqui repugnare consilio Christi, & homines ab eo secedendo prohibere, grauis est iniuria in Christum. Et si enim non sequi consiliū Christi non sit peccatum, quia consilium est, non præceptum; nec vlli necessitas imponitur, sed liberum cuique Domini nostri benignitate relinquitur: auertere tamen alios, & vi prohibere, graue peccatum est, ad sacrilegium vel impietatem pertinens. Sicut si supremus Princeps suaderet omnibus ad arma ferenda idoneis, vt capessant militiam contra infideles, vel quid aliud in eius obsequium faciant; profectò grauius Principem offenderet, qui suaderet contrarium, & multò magis qui vi impediret: imò hic reus censeretur læsæ maiestatis, quantumuis ipse varias causas factò suo prætereret. Christus autè est Rex Regum & Dominus Dominantium, cui infinita reuerentia debetur: qui ergo eius consilij se opponit, graue crimen committit, & impius vel sacrilegus videtur censendus. Quod sanè maximè locum habet, quando id fit per legem, qua ad omnia loca, & tempora, & personas se extendit. Nullus esse potest modus se opponendi consilio Christi vel efficacior, vel latius patens, vel diuturnior. Vnde si peccat, qui, vel in vno solo, consilium Christi vi impedit; quantò grauius peccat qui impedit vi & lege, in tam multis, & tam diuturno tempore?

IO
Isti Christo
& Reli-
gioni in-
iuriosum

Secundò, Talis constitutio non solum esset iniuriosa Christo, quatenus eius consilium prohibet; sed etiam quatenus impedit augmentum cultus diuini, & salutis animarum. Multi enim per inopiam Religionis ab ea excluduntur, qui si potuissent admitti, gloriam Dei & salutem animarum valde promouissent.

Tertiò, Fit etiam iniuria Religionis, cuius interest, vt, qui volunt illi benefacere, & cultum diuinum ac numerum seruorum Dei augere, relinquantur suæ libertati, neque vi aut metu prohibeantur. Sed & illi, qui Religionem ingrediuntur, iniuria irrogatur: Hic enim cum iure diuino & humano possit sua in causas pias ad salutem animæ suæ expendere, nec teneatur ea hæredibus non necessarijs absque fructu spiritus (præsertim cum inopia non laborant) relinquere; cogitur eò detrimento spiritali diuitibus dimittere: quod sanè non parua videtur iniuria, vt ex sanctis Patribus ostendemus. Equum enim est vt sicut ipse corpus suum Dei obsequio consecrat (in quo à nemine sine graui sacrilegio & iniuria impediri potest:) ita etiam bona sua quibus sæculo seruiuit, vel seruiturus fuisset, possit Deo consecrare, iuxta Domini sui, ipsum à sæculo vocantis, consilium.

Quartò, Talis constitutio est contra sanctorum

Patrum doctrinam, qui etiam censent eam esse impiam & sacrilegam. S. Hieronymus epist. 8. ad Demetriadem: *Si vis, ait magister bonus ad adolescentem, perfectus esse, vade, vende omnia qua habes, & da pauperibus; & veni, sequere me.* Apostolici fastigij miasma est, perfectæque virtutis, vendere omnia, & pauperibus distribuere; & sic lenem & expeditum cum Christo ad caelestia subleuari. Et infra: *Da pauperibus, inquit, non diuitibus, non propinquis, non ad luxuriam, sed ad necessitatem. Laudent re esurientium viscera, non erulantium opulenta conuiuia.* Et idem epist. 26. ad Pammachium nobilem iuuenem: *Si vis esse perfectus, & desideras esse quod Propheta, quod Apostoli, quod Christus dicit; vende non partem substantiæ, sed vniuersa qua possides: cumque vendideris, da pauperibus, non locupletibus, non superbis: da quo necessitas sustentetur, nõ quo augeantur opes. Pars sacrilegij est re pauperum dare non pauperibus. Dicit hoc esse partem sacrilegij, quia eo ipso quo persona Deo se consecrat, etiã bona sua consecrare videtur. Nã Accessorium sequitur suū principale, vt habet Regula Iuris. Quòd si dare talia nõ pauperibus, huic sancto Doctori videtur pars sacrilegij; multò magis legem & constitutionem, qua talia vetantur dari pauperibus, & iubentur relinqui consanguineis opulentis, dixisset esse sacrilegam. Idem epist. 34. ad Iulianum, hortatur ipsum, vt partem filiarum qua obierant, non in fororum ornamenta, & luxum effundat, sed in pauperum conferat alimenta.*

S. Basilii in quaestionibus fusè disputatis q. 9. cum proposuisset quaestionem, *Quibus deberent ij qui religionem ingrediuntur, suas facultates relinquere;* ita respondet: *Cum Dominus nosse dixerit, vende qua habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in celo, & veni, sequere me.* Et iterum, *vendite qua possidetis, & date elemosynam: equidem colligo qui hac mente à suis discedit, hunc huiusmodi curam de parte patrimonij sui nullo modo debere negligere; sed contra illud procurare, vt cum diligentissimè omnia secum abstulerit, tanquam rem Domino consecratã summa religione distribuatur.* Et infra dicit, si cognati naturales iniquius se gesserint, & oppouerint, nõ esse eum illis magnopere litigandum, admonendi tamen, inquit, qui tales sunt, & sedulo te iustificandum, sacrilegij scelere se ipsos asstringere: idque à nobis faciendũ vt pareamus præcepto Domini, qui dixit: *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum &c.* Idem in regulis breuioribus q. 187. quaerit hoc modo: *An ij qui canobio se dedunt, debeant à propinquis qua ad se pertinent accipere? cui quaestioni ita respondet: Omnino ijs qui ad Dominum accedunt, necessario qua ad ipsos pertinent, reddere illorum propinqui debent, neque quidquam subtrahere, ne sacrilegij iudicium incurrant &c.* Idem q. 92. docet ob duas causas bona potius pauperibus, quam amicis locupletibus distribuenda: Primò, quia in pium vsum collata, valent ad redemptionem animæ, & remissionem peccatorum in sæculo admissorum, iuxta illam Domini sententiam, *Quod superest, date elemosynam; & ecce omnia munda sunt vobis.* Secundò, quia valent ad obtinendum regnum caelorum, & thesaurum in caelis non deficientem, iuxta illud, *Facite vobis sacculos qui non veterascant, thesaurum non deficientem in caelis.*

S. Augustinus in sua regula, qua habetur epist. 199. *Qui aliquid habebant in sæculo, quando ingressi sunt monasterium libenter velint esse commune. Idem in regula Clericis tradita: Si quis venire desiderat ad congregationem fratrum qui in vnum esse videntur,*

non ignoret hac Evangelij dicta, Vendat omnia sua, & erogat egenis & pauperibus. Similia habet e. 25. de opere Monachorum. Idem Epist. 89. ad Hilarium cum proposuisset tres gradus diuitum saluandorum, tandem addit: Ego qui hac seribo, perfectionem de qua locutus est Dominus, quando ait diuiti adolescenti; Vade, vende omnia qua habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in celo, & veni, sequere me; vehementer adamauit, & non meis viribus, sed gratia illius adiuncta sic feci. Neque enim, quia diues non fui, ideo mihi minus imputabitur: Nam neque Apostoli qui priores id fecerunt, diuites fuerunt. Sed totum mundum dimittit, qui, & illud quod habet, & quod optat habere, dimittit. Et ad hoc propositum, quatenus possum viribus, alios exhortor; & in nomine Domini habeo consortes, quibus hoc per meum ministerium persuasum est. Vbi notandum S. Augustinum non solum hoc consilium Christi secutum, sed etiam totis viribus conatum persuadere omnibus, quibus id esset integrum, vt sequerentur, omnia sua in pauperes erogando.

S. Ambrosius lib. 1. Officiorum cap. 30. Neque enim propterea te Domino dicasti, vt tuos diuites facias, sed vt vitam tibi perpetuam fructu boni operis acquiras, & pretio miserationis peccata tua redimas. Putant (quia te Religionem ingressuro facultates tuas petunt) parum se poscere? Pretium tuum quarunt; vitam tuam fructum admirare contendunt. Et accusat quod eum diuitem non feceris, cum, te ille velit aeterna vita priuare mercede? Quibus verbis aperte ostendit quanta iniuria fiat illis, qui non permittantur res suas in pia opera dispensare.

Omitto reliquos Patres & Doctores Scholasticos, qui omnes docent, eos, qui Religionem capessunt, seque Deo consecrare volunt, etiam bona sua eidem debere consecrare, conferendo ea in pauperes, vel opera pietatis, non in amicos & confanguineos, nisi & hi quoque pauperum numero censerent possint. Vnum tantum adferam Saluanum Massiliensem Episcopum (qui ferè coaevus fuit S. Augustino) qui totam hanc rem luculentissime profequitur lib. 3. contra Auaritiam Christianorum, ad Ecclesiam Catholicam, vbi fuse ostendit quam impie faciant parentes, quod filijs suis, qui Religionem ingrediuntur, subtrahant suam portionem legitimam, & minus relinquunt, quam secularibus. Hoc enim nihil esse aliud, quam Christum exhaeredem facere, & prouidere, ne quid ad Christum (à quo tamen omnia acceperunt), ex bonis suis perueniat. Inter cetera cum ostendisset in testamentis condendis etiam pietatis rationem habendam, ita subdit: At vero nunc diuersissime & impiissime. Nullis à suis minus relinquitur, quam quibus ob Dei reuerentiam plus debetur: nullos pietas minus respicit, quam quos praecipue Religio commendat. Denique si qui à parentibus filij offerantur Deo, omnibus ceteris possint ablati: indigni indicantur hereditate; qui digni fuerant consecratione: Et per hoc vna eorum re vitales parentibus sunt, quia ceperunt Deo esse preciosos. Ex quo intelligi potest, quod nullus pane apud homines vilior est, quam Deus: cuius vtrique sit desponsio, vt eos praecipue filios spernant parentes, qui ad Deum taperint pertinere. Quibus verbis ostendit id esse impium, & in Dei iniuriam redundare. Vide disputationem nostram De statu vitae deligendo, q. 11. vbi multa longè praeclarissima in amentiam multorum testamenta condendum, à viuo illo sanctissimo, & deuotissimo adducuntur, qui testibus non solum, sed etiam quibus omnibus perspicuum est, talem con-

stitutionem Sanctorum Patrum doctrinae è diametro repugnare.

Quinto, Eadem etiam constitutio repugnat antiquis Christianorum Imperatorum legibus. Nouella enim 123. cap. 38. ita statuit Iustinianus: Si qua mulier aut vir monasticam elegerit vitam, & intraverit monasterium filijs non extantibus, monasterio quod ingreditur res eius competere iubemus. Vbi non solum permittit, sed etiam lege praecipit, vt res ingredientium tradantur monasterio. Deinde, de ijs qui liberos habent, statuit vt parens Religionem ingressurus relinquat liberis in saeculo manentibus portiones suas, & reliquum in monasterium conferat: nulloque casu vult priuari monasterium portione legitima, perinde ac si ipsum censeatur in numero filiorum. Eadem habetur Authent. Si qua mulier. C. de Sacrosanctis Ecclesijs, Rursus cap. 41. eiusdem Nouella ita statuit: Nullam damus licentiam aut parentibus filios, aut filijs parentes, secularem vitam relinquentes, vel ingratos à sua excludere hereditate, ob causam quae religionem vitam antecesserit. Interdicimus autem parentibus, ne filios suos monasticam vitam eligentes, ex sacris monasterijs abstrahant. Vbi notandum, eam causam quae sufficiens erat ad filium exhaeredandum ante ingressum in Religionem, per ingressum ita extingui & aboleri, vt ob illam non possit sua legitima priuari, sed possit illam secum ad Religionem conferre. Si tantus est fauor ingressus Religionis, vt eum, qui per crimen iam exciderat, in integrum restituat; cuius animi erit filium nihil commertum, ob solum ingressum excludere; vel etiam quod amplius est) lege cauere ne sua secum in Religionem asportet? Idem Iustinianus eadem Nouella cap. 37. statuit in fauorem Religionis, Vt si fuit alicui relicta hereditas vel legata sub conditione nuptiarum, vel liberorum, vel doris causa, vel ante nuptias donationis, cum onere substitutionis & restitutionis, & talis Religionem ingrediatur, tales conditiones esse inuolidae, & pro non scriptis habendas. Eadem constitutio habetur Authent. Nisi rogati, C. ad S. C. Trebellianum, quae constitutio mirum indicat fauorem, quo olim Monarcha orbis Religionem sunt profecuti. Voluerunt enim omnia submouere quae à Religionem possent retrahere. Olim apud Romanos, cum adhuc essent Ethnici, conditio si non nuptierit, adiecta legato, vel institutioni heredis, habebatur pro non adiecta, eò quod retraheret à nuptijs, quibus tunc magis fauebatur, quam castitati. L. Titia. 7. de conditionibus & demonstrationibus. At modo in media luce Evangelica, quado pretium Castitatis & Religionis innotuit, Imperatores & Principes, fauere ceperunt Religioni, & submouere omnia quae ab ea capessenda possent retrahere.

Sexto, Talis constitutio apud Catholicos esset plane noua, & repugnans tot saeculorum praxi & consuetudini. Item esset manifestè contra Ecclesiae libertatem, & cederet in magnam Religionis & Ecclesiae iniuriam. Vnde Auctores non euaderent censuram excommunicationis, ipso facto latam in conditores statutorum, quae Ecclesiasticae libertati offiunt. Hanc tulit Honorius III. Cap. Nouerit, De sententia excommunicationis, estque confirmata à Concilio Trident. sess. 25. c. 29.

Septimo, His addo huiusmodi constitutiones non raro esse damnosas & perniciosas statui Principi & Reipub. quae in eas consentiunt. Viuit enim

12
Repugnat
antiquis
Christianorum
Imperatorum
legibus.

13
Est contra
libertatem
Ecclesiae.

14

14
enim

Ambrosius.

Saluanus.

enim Numen Christi, cuius providentiâ mundus ille regitur, & iniurias sibi & suis irrogatas inspicit, & sentit; & sæpenumero etiam in hoc mundo ulciscitur. Qui enim Christum, à quo omnia accepit, ex hæredem scribit & intestabilem, meretur etiam ab illo ex hæres fieri, & non solum cælesti, sed etiam terreno regno excidere. Qui illius gloriam & obsequium imminuit, meretur & ipse inglorius fieri: nec solum meretur, sed plerumque quod meretur, reipsâ accipit. *Quicumque* (inquit, 1. Regum 2.) *honorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Et Paulò antè: *Domini pauperem facit, & ditat; humiliat & subleuat: suscitât de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum Principibus, & solum gloriæ teneat.* Ab ipsius providentiâ familiarum exaltatio & depressio, prosperitas & aduersitas, diuitiæ & paupertas, gloria & ignominia pendet. Posset id plurimis exemplis tum veteris, tum noui testamenti, & etiam huius æui, si opus foret, ostendi.

Ad rationes initio allatas nunc breuiter respondendum. Ad Primam: Pertinet quidem ad Principem temporalium dispositio, ita tamen illâ utrum, ut nulla Religioni & Pietati fiat iniuria. Neque dicimus familias nobiles esse exhauriendas, aut dominia nobilia ad Religionem transferenda. Hoc tamen olim valdè erat vitatum, neque idcirco familiae nobiles tunc concidebant, sed magis, diuinâ providentiâ ipsis benedicente, fiebant illustres & opulenti. Verùm hoc modò non agitur, sed solum ut permittatur libertas ea inferendi in Religionem, quæ familiae non sunt affecta, sed in quemuis extraneum liberè transferri possent. Quòd si familia pro suo statu pauper sit, illius ratio in primis habeatur.

Ad Secundam: Non agimus modò de locis Religiosis, quibus abundè, ut viuant, est prospectum: Religiosus enim non amplius de rebus temporalibus vel optare debet, quàm necesse sit, ut tranquille & decore, iuxta instituti sui rationem viuat. Sed agimus de illis quæ suis redditibus & consuetis elemosynis vivere non possunt.

Ad Tertiam: Theodosius quidem sanctionem edidit, quæ viduæ prohibebantur donare Ecclesijs secularibus, ob certam causam, quæ tunc incidit: non tamen vetabantur dare monasterijs. Deinde Theodosius munitus à S. Ambrosio etiam ealè legè esse Deo aduersam; mox eam reuocauit, ut patet ex lege 28. De Episcopis, in C. Theodosiano. Quæ de re fusè tractat Baronius ad annum Domini 390. Quòd ad constitutionè glor. mem. Caroli V. attinet, de ea modò non disputo. Fortasse melius esset Belgicæ, si talia à suo Principe non extorsisset. Quas enim calamitates, quæ damna ab eo, tempore non sustinuit? Notatum est à plurimis Illustrissimam quandam Reipub. ex quo talia attentare cepit, grauissima damna accepisse. Sæpe nam Dei accendit, & mensuram peccatoris ab ipso definitam implet, quod à mortalibus paròs vel nullius momenti aestimatur.

C. A. S. V. S. I. V. N. B. A. O. S. I. M. E. T.
Vtrum Politica auctoritate statui possit ne Religiones excedant certum numerum personarum. Item, certam quantitatem reddituum. Item, ne vel ingredientes,

vel alij laici, plura bona mobilia, quàm ad constitutam taxam necessaria sunt, Religiosis conferant: idque solum certo præmissò examine per deputatos, quo constet, an taxam constitutam non excedant?

Questio ista supponit Principem politicum habere ex se potestatem disponendi & statuendi de monasterijs & ecclesiasticis personis, de quantitate bonorum, de numero personarum qui in quouis loco esse debeat: & prohibendi ne plures recipiantur; & ne laici eis bona sua etiam mobilia vel partem eorum vilo titulo donent vel relinquunt, nisi certo præmissò examine per deputatos, quo constet an taxam constitutâ non excedant; & alia his similia, cum clausulis irritantibus si quid fiat in contrarium.

Quæ suppositio varijs modis improbanda est. Primò, Quia manifestè accedere videtur ad errorem Marsilij Patavinum damnatum à Ioanne XXII. qui docebat dispositionem bonorum temporalium spectatam ad Ecclesias & loca pia, pertinere ad Principem sæcularem, non ad Summum Pontificem. De quo Albertus lib. 3. De Eccles. hierarchia cap. 1. & Aluarus Pelagius l. 1. De planctu Ecclesiæ cap. 68. qui etiam ob eam causam eum vocat nouum hæresarcham. Imò, quod magis est, videtur accedere ad errorem schismatis Anglicani; quia non solum supponit Principem habere ius statuendi de bonis, sed etiam de personis Ecclesiasticis & Religiosis, præscribendo quis numerus possit recipi in quouis loco, quantum singula monasteria habere, quantum elemosynarum possint admittere; & si ultra taxam constitutam aliquid datum fuerit, posse auferri tanquam nullo titulo possessum.

Secundò, Articuli isti nouitatem sapiunt, cum nullo exemplo alienius Reipub. Catholicæ (quod sciam) defendi queant. Certum enim est in regnis Hispaniarum Regi subiectis, vel in tota Italia nihil hæcenus tale quid constitutum. Idem credo de locis Catholicis Gallie, Germaniæ, Poloniæ, Belgij &c.

Nec obstat quod Serenissima Reipub. Veneta nuper voluerit quaedam similia constituere: nam Summus Pontifex Paulus V. mox per graues censuras se opposuit. Et multi Scriptores Catholici doctissimis scriptis ostenderunt, hanc potestatem non cõpetere Reipub. aut Principi seculari. Vbi notandum est, istos articulos qui hæc in questione proponuntur, longè deteriores esse, & magis lædere cultum diuinum, & studium perfectionis, & magis impedire consilia Christi Evangelica, quàm articulos Venetorum; etiamsi fortè non magis videantur lædere iurisdictionem externam fori Ecclesiastici. Venetorum enim articuli non statuunt de numero personarum, & de quantitate reddituum; nec prohibent subditis plura donare locis pijs, si sint mobilia; sed solum prohibent ne absque venia Senatûs edificentur nouæ Ecclesiæ, monasteria, aliaque pia loca; & ne bona mobilia Laicorum, quocunque titulo, ad Ecclesias & pia loca deuenire possent. Quæ certè videntur minus impedire progressum cultus diuini, & largitionem elemosynarum, & consiliorum Christi executionè, quàm illi articuli qui hæc proponuntur: Nam bona ista mobilia possunt vendi, & loco illorum haberi pecunia æquiualens: Et venia Senatûs non difficulter impetrari potest; quando

15
 Respondetur
 sur argu-
 mentis
 num. 8. po-
 sitis

Respons. ad
 constitutionem
 Caroli
 5.

Prohibi-
 tio acqui-
 sitionis
 bonorum
 Ecclesiæ.

16

17
 Hi articu-
 li accedunt
 ad errorem
 Marsilij.

Et ad schis-
 ma Angli-
 canum.

18
 Videntur
 alieni ab
 omni prin-
 cipe Catho-
 lico.

Venetis ta-
 lia molis-
 ses, à Papâ
 prohibiti.

aliquis se offert qui Ecclesiam vel locum pium fundare velit. Nemo impeditur ingredi Religionem, aut res suas Religioni donare, aut legare, modò non sint immobilia; & sic adhuc cultus diuinus potest crescere. At per articulos qui hic proponuntur, cultus diuinus non potest crescere; quia numerus Religiosorum non potest augeri: nec qui aspirant ad Religionem vt Christi consilia sequantur, possunt id exequi, quia Religio non potest illos admittere, cum non possit illos alere, nec illi possint res suas illi Religioni donare, vt sic recipi queant absque aliorum incommodo; quia Religio non potest illa bona habere, cum taxam excedant. Itaq; duplici modo impeditur ille homo ne consilium Christi possit exequi: Primò, quia non potest admitti, eò quòd numerus præstitutus personarum sit completus. Secundò, quia sua non potest donare Religioni ad cultum diuinum & salutem animarum promouendam.

Neque solùm in his, qui cupiunt ingredi Religionem, impeditur Christi consilium; sed etiam in omnibus illis, qui tali Religioni ad augmentum cultus diuini & promotionem salutis animarum cuperent aliquam pecuniam vel suppellectilem relinquere.

Ex quibus ritè perpenſis satis constat articulos istos Pietati Christianæ parum videri consentaneos.

Nec obstat quòd talis prouisio prætendatur tãquam necessaria ad consulendum paupertati Prouinciæ, & ne Religiosi omnia absumant si magno sint numero, aut si tam effusa liberalitates in eos fiant. Quia si quis rem istã sincerè considerare velit, deprehendet ad opulentiam Prouinciæ & familiarum pertinere, vt quàm plurimi ad Religionem se conferant. Sic enim (excepto modico quod alimentis Religiosi sufficit) omnia bona deuoluuntur ad paucos qui manent in sæculo. Hinc passim vbi multa sunt proles, datur opera vt aliqua monasteriũ ingrediatur. Quo casu parentes nõ debent esse tã iniqui in suas proles, & ingrati in Religionem, vt non simul conferant congruentia alimenta, quando facultates suppetunt, & Religio tenuiter est dotata. Qua de re præclare differit Saluianus Massiliensis Episcopus, qui ferè ante 1200 annos vixit lib. 3. de Auaritia ad Ecclesiam Catholicam, vbi ostendit huius rei indignitatem: quam etiam Deus sæpè multis calamitatibus in proles sæculares, quæ bona illa retinent, vindicat. Deinde qui in sæculo erat absumpturus in rebus vanis & sæpè illicitis aliquot millia francorum, in Religione vix ducentos vel trecentos, idque ad solam necessitatem, consumit. Itaque sicut parsimonia ciuium non facit ciuitatem aut prouinciã pauperiorem, sed ditiorè, cum facultates familijs saluæ maneat; ita nec Religiosorum multitudo, qui modico in Religione sunt contenti. Nam in sæculo longè amplius, & sæpè in regionibus externis, absumpsissent.

Tertiò, Cuius bono Catholico persuasum esse debet promotionem & felicitatem Prouinciarum & familiarum longè magis pendere ex diuina prouidentia & benedictione, quàm ex hominũ prouidentia, & talium articulorum obseruatione, qui etiam per se & politice considerati, nihil nisi minutas quasdam continent nihil virium ad bonum publicum habentes. Nam vt 1. Regum 2. dicitur. Dominus est, qui viuificat & mortificat, pauperem facit.

& dicit, humiliat & subleuat, suscitans de terra inopem & de stercore erigens pauperem, vt sedeat cum Principibus, & solum gloriæ teneat: & Psalmo 126. Nisi Dominus edificauerit domũ (familiam excitauerit, & illustrem fecerit) in vanni laborauerunt qui edificauerunt eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam: & alijs locis innumeris Scriptura nos docet omnè huius vitæ splendorem & abundantiam, omnem potentiam Rerumpub. & familiarum à diuina prouidentia pendere: non à minutis quibusdam inuentiuiculis politicorum, nec ab industria humana.

Quod si ita est, valdè timendum, ne huiusmodi inuenta humana cum iniuria cultus diuini & famulorum eius coniuncta, Rempub. & familias potius euertant, aut multis calamitatibus inuoluant, quàm promoueant, & felices opulentasque efficiant. Nam vt Dominus ait 1. Regum 2. Quicumque honorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contempnunt me, erunt ignobiles. Atqui per huiusmodi articulos Deus censetur contemni seu inhonorari. Nam & cultus eius, & numerus famulorum eius restringitur; & procuratio salutis multarum animarum ad eius gloriam instituta, aueritur; & executio consiliorum Christi in plurimis impeditur. Quid ergo mirũ, si, cum Princeps & Respub. restringit cultum & familiam Christi, & procuracionem negotiorum eius, quæ ad salutem animarum pertinent, ob speciem aliquam tenuem commodi temporalis: quid, inquam, mirum, si Christus vicissim restringat eorum opes, potentiam, felicitatem, permittendo bella & vastationes, immittendo sterilitatem, naufragia, incendia, aliasque calamitates? Quid mirum, cum tam parci sumus in Deum eiusque cultum, & familiam ac honorem, si Deus vicissim parcus sit in commoda nostra, non solùm spiritalia (quæ ad vitam eternam pertinent) sed etiam ad temporalia, ad quæ tam auidè inhiamus? Nulli Principes feliciores & potentiores, & opibus affluentiores fuere, quàm Constantinus, & Carolus Magnus; nulli etiam magis effusi in Ecclesiam & causas pias. Nullum hoc tempore regnum opulentius & tranquillius Hispaniã, nusquam maior liberalitas in Ecclesiam & monasteria: nusquam maior Ecclesiasticorum & Religiosorum vtriusque sexus copia: nusquam maior veneratio. Omitto referre multas calamitates in quas coniecta Respublica & regna post huiusmodi decreta, etiam nostro æuo.

Refert Theodorus Balsamon Græcum Imperatorem Nicephorum Phocam, similem quandoque constitutionem edidisse, ne de nouo monasteria vel alia religiosa domus extruerentur. Sed eam constitutionem Basilius Imperator, qui illi post Ioannem Zemiscem successit, reuocauit, cum clara testificatione & assertionè, quòd omnes calamitates quibus perturbatum fuerat Imperium, propter Nicephori constitutionem eidem Imperio acciderint.

Quartò, Considerandum hos articulos manifestè esse contra iura Ecclesiæ, & Ecclesiasticam libertatem: ac proinde à summis Pontificibus & Concilijs generalibus sub grauib; penis esse prohibitos; quas penas ipso facto incurrant tum talia statuentes, tum exequentes.

Concilium Lateranense sub Innocentio III. Concil. longè amplissimum Capite Cum laicis, de rebus Ecclesiæ non alienandis, dicit laicis de rebus Ecclesiæ

Timendum regno quod inuisa fauent.

illi potentissimi quæ Ecclesiæ fauent.

21 Illi articuli repugnant iuri & libertati Ecclesiæ.

Concil. Lateranense magnum.

Sunt peiores Venetorum articulis.

19 Non obstat eolumitati Prouincia magnum Religioso. vñ numero.

20 Incoluntias regni potius à Dei prouidentia quàm hominum cura pendet.

clesiæ disponendi nullam attributam potestatem, eosque grauiter reprehendit, quod audeant sibi iurisdictionem Ecclesiasticam, vel circa res Ecclesiæ usurpare; & eorum statuta de huiusmodi rebus irrita esse decernit; & censuris Ecclesiasticis, eos, qui talia statuta faciunt, compellendos.

Confirmatio.

Concilium Constantiense sess. 19. confirmat constitutiones Frederici II. & Caroli IV. pro Ecclesiastica libertate, vbi plurima ad hanc causam pertinentia habentur.

Lateranense sub Leone X.

Concilium Lateranense sub Leone X. sess. 10. in Bulla quæ incipit *Regimini*, innouat omnes constitutiones contra violatores libertatis Ecclesiasticæ olim editas, & nominatim contra eos qui statuta condiderint eandem libertatem lædentia; & contra omnes qui ad hoc auxilium, consilium vel fauorem præstiterint.

Tridentinum.

Concilium Tridentinum sess. 25. de Reformat. cap. 20. innouat omnes Canones, omnia decreta Conciliorum generalium, & omnes Apostolicas sanctiones in fauorem Ecclesiasticarum personarum, libertatis Ecclesiasticæ, & contra eius violatores editas, & præcipit vt ab omnibus exactè seruentur. Deinde addit: Propterea admonet Imperatorem, Reges, Respub. Principes, & omnes, & singulos, cuiuscunque status, & dignitatis extiterint, vt, quod largius bonis temporalibus, atque in alios potestate sunt ornati, eò sanctius, quæ Ecclesiastici iuris sunt, tanquam Dei præcipua, eiusque patrocinio relictæ, venerentur, nec à suis ministris vel subditis lædi patiantur; sed seruent in eos, qui illius libertatem, immunitatem, atque iurisdictionem impediunt, animaduertant: quibus etiam ipsimet exemplo ad pietatem, religionem, & Ecclesiarum professionem existant; imitantes anteriores optimos religiosissimosque Principes, qui res Ecclesiæ, suâ in primis auctoritate, & munificentia auxerunt, nedum ab aliorum iniuria vindicauerunt, &c.

Bulla Cœna.

Denique Summus Pontifex quotannis renouat excommunicationem latæ sententiæ in eos qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quæuis alia decreta, ex quauis causa, & quouis quaesito colore, fecerint, ordinauerint, publicauerint, vel factis & ordinatis vti fuerint, vnde libertas Ecclesiastica in aliquo læditur, vel deprimitur, vel quouis modo restringitur.

Nec refert quod huiusmodi articuli essent per Episcopos mandandi executioni: quia nec Episcopi ex se talem potestatem habent, nec Princeps secularis potest eam dare, nec huiusmodi statuta condere.

C. A. S. V. S. VI.

Alienatio Bonorū Ecclesiæ.

Virum Episcopus non faciat contra suum iuramentum quo iurauit non alienare possessiones suæ mensæ inconsulto Romano Pontifice: vel contra dispositionem Extragag. Ambrosianæ, De rebus Ecclesiæ non alienandis, si vendat alicui Religioni domum suam in alia ciuitate, eiusque iuradat possessionem sub ratihabitione seu beneplacito Summi Pontificis?

Respondet, Certum est non facere contra iuramentum, aut ius vltimū & possē licitè ita alienare.

Ratio est Primò: Quia illud iuramentum sicut & Extragagans illa, intelligenda est de alienatio-

ne absoluta & perfecta, non autem de conditiō nata: dispositiones enim penales, & aliæ restringentes potestatem Ordinariorum, quam aliqui ex vi sui muneris haberent, strictè sunt intelligendæ; vt omnes DD. tradunt: Pœnæ enim & odia restringenda; vt ex Regu. Iuris constat. Atqui hæc alienatio non est absoluta, nec perfecta: ergo ea ibi non comprehenditur.

Secundò, Quia hæc alienatio confertur in Summi Pontificis beneplacitum: ergo non fit illo inconsulto. Non enim pericitur, nec vim habet nisi ipsius consilium acceperit, idque posteriùs naturâ & dependenter ab illo, adeo vt si consensus eius non acceperit, contractus resoluatur, & ab initio fit irritus. Et Confirmatur, Quia non potest dici inconsulto altero facere, qui totum quod agit, ipsius iudicio subijcit vt ratificet vel irritet pro suo arbitrio. Idem confirmatur ex praxi quotidiana in beneficiarum resignatione & permutatione recepta, & Iure approbata. Nam sunt huiusmodi actus inter priuatos sub beneplacito Sæc. Sanctitatis; quamuis aliqui Iure absque huiusmodi conditione fieri nequeant. Pari modo filius familias qui mutuum accipere non potest absque consensu Patris, potest tamen sub parentis ratihabitione, quamuis non obligetur, nisi illa acceperit; illâ verò accedente obligatio retrahitur ad tempus contractus; lege vlt. C. ad Macedon. Præterea cōmunis sententia Doctōrum est, quando res vrget, posse fieri alienationem etiam absolutam absque consensu Superioris, si degat in remotis; vt docet Panormitanus in Cap. vlt. de Eccles. edificatione: multo magis fieri poterit vbi solum consilium alicuius requiritur. Postremò, Ex vi iuramenti solum tenetur non alienare inconsulto Romano Pontifice. At multo plus est conferre totum in ipsius beneplacitum & ratihabitionem, quam petere consilium.

23
Quod fit sub alterius beneplacito, nō fit ipso inconsulto.

CASVS VII.

Alienatio Bonorū Ecclesiæ.

Virum Prælatus volens alienare rem Ecclesiæ, satisfaciat Iuramento suo, quo iurauit eam non alienare sine consilio Pontificis, si recurrat ad Nuntium Apostolicum, eiusque consilio utatur?

Videtur satisfacere. Quia Illustrissimus Nuntius supplet locum Sæc. Sanctitatis in provincia, eiusque personam refert. Deinde, quia consilium solum videtur necessarium quando ambiguum est vtum alienatio sit utilis: ergo non est opus quando est perspicua utilitas.

24
Ratio adhibenda.

Sed contrarium videtur omnino tenendum, maxime si respicitur moram. Primò, quia alienatio rerum Ecclesiarum pertinet ad maiores Ecclesiæ causas, quæ ad Summum Pontificem sunt referendæ.

Recursus ad Nuntium Apostolicum hic non sufficit.

Secundò, si recursus ad Nuntium sufficit; vel, id est, quia Nuntius potest in illo iuramento dispensare, vel quia illud iuramentum ita est interpretandum, vt consilium Nuntij censetur esse consilium Summi Pontificis. Non primum, quia inferior non potest dispensare in iuramento præstito Superiori, maxime cum non possit dispensare in iuramento cum præiudicio tertij, nisi ille Superior non sit: at hic dispensatio esset in præiudicium tertij, & quidem Superioris; nam dispensaret in iuramento fidelitatis

de simili de Vicario Episcopi.

fidelitatis praestito superiori. Non secundum, quia consulere Vicarium Episcopi, non est consulere Episcopum: ergo multo minus consulere Nuntium, est consulere Summum Pontificem. Antecedens probatur, quia quando collatio beneficij pertinet ad Capitulum cum consilio Episcopi, consulendus est ipse Episcopus, nec sufficit consulere Vicarium: alioquin quando Episcopus est in remotis, consulendus esset Vicarius; quod aperte est contra Cap. Si ad Episcopum. §. ultimo, Ne Sede vacante in 6: ergo quando Ius requirit consilium Episcopi, non possumus interpretari sufficere consilium Vicarij. Consequentia probatur, quia Episcopus & Vicarius censentur vna persona; habent enim idem Consistorium & Tribunal: unde à Vicario ad Episcopum non est appellatio; sicut à Summo Concilio Regis non est appellatio ad Regem, quia est idem tribunal; Cap. 2. de Consuetudinibus in 6. At Nuntius & Summus Pontifex habent diuersas potestates, siue agatur de Causis in quibus ille habet iurisdictionem ordinariam, siue in quibus solum delegat: nam ab omnibus eius sententijs est appellatio ad Summum Pontificem. Confirmatur, quia inter Vicarium & Episcopum tanta est connexio, vt condemnatus vel absolutus à Vicario; in Iure dicatur absolutus vel condemnatus ab Episcopo: & tamen consilium Vicarij non est Episcopi, quando Ius requirit Episcopi consilium: ergo multo minus consilium Nuntij erit dicendum consilium Summi Pontificis; cum absolutus vel condemnatus à Nuntio, non dicatur absolutus vel condemnatus à Pontifice, cum ei competat ad Summum Pontificem appellatio.

25 Industria in Consiliario requiritur, quae delogari nequit.

Tertio, Quando Ius statuit in aliqua causa requiri consilium alicuius, quaritur industria persona, vt communiter DD. tradunt: ergo non potest id extendi ad ipsius delegatū. Et sanè in proposito industriae personae requiri, manifestum est, quia dare consilium non est iurisdictionis, sed prudentiae, quae maximè censetur esse in Summo Pontifice, vt qui totum Ius in serinio pectoris sui continere dicatur.

26 Alienatio bonorum Ecclesiae refertur inter casus Maiores.

Quarto, Quia Pontifex habet illam rem inter casus maiores, quos sibi referuat; iuxta à Cap. Maiores, de Baptismo & eius effectu. Nimirū vt semper in istis alienationibus sit quaedam recognitio & dependētia ab ipsius auctoritate, qua est supremus bonorum Ecclesiasticorum vbi que terrarum existentium dispensator: ergo vicem sui in hac re nō censetur dedisse Nuntijs. Confirmatur, quia hanc causam tantū facit, vt eam in iuramento fidelitatis, quod Praelati in sua consecratione praestant, voluerit includi, adiunctis grauibz penis, in eos qui ipsum non consuluerunt: nam in Extrava. Ambitiose, sic habetur; Alienanti vero bona Ecclesiarū, monasteriorum, locorumque piorum quorumlibet inconsulto Romano Pontifice, aut contra praesentis constitutionis tenorem, si Pontificali vel Abbaciali praesulgeat dignitate, ingressus Ecclesiae sit penitus interdictus: quam poenam deinde aggravat, & totum contractum irritum decernit. Et sanè si consilium Nuntij sufficeret, nunquam ferè opus esset consulere Pontificem; quia, ferè semper sunt Nuntij in Prouincijs, per quos minora quaedam administrat; & sic maximè alienationes fieri possent absque Pontificis conscientia.

Plectitur graui poena.

Denique, Potestas gerendi hac in re, vices Pon-

tificis, neque iure ordinario competit Nuntio; cum nullus Doctorū illam recenseat inter ea quae Nuntio competunt: neque ex speciali delegatione seu cōmissione; quia id Nuntius in sua delegatione expressum haberet. Ob has rationes iudico contrariam sententiam non esse securam.

CASVS VIII.

Prioratus aliquis ante 40. vel 60. annos vendidit bona quadam immobilia inualidè ob defectum consensus Generalis: & id ipsum interea sapius fecit: neque interim vsus fuit priuilegio rescindendi tales contractus.

Alicnatio bonorum Ecclesiae.

QVAERITUR I. An possit bona illa repetere, & contractus rescindere?

QVAERITUR II. An priuilegium rescindendi tales contractus amiserit iam Prioratus, quàm Generalis?

AD Primum, Respondeo: Si bona aliqua immobilia illius Prioratus ante 40. vel 60. annos vendita fuere inualidè ob defectū consensus Generalis, & interim bona fide possessa ab emptoribus, nec repetita intra illud tempus; non possunt elapso illo tempore repeti, nec contractus rescindi: quia per vsucapionem translatus dominium.

28

Ad Secundum, Respondeo Primò, Si actum est contra illud priuilegium per 40. vel 60. annos, vendendo bona sine recurſu ad Generalem, nec illi se opposuere intra illud tempus, curando irritari talem venditionem, & repetendo bona illa sic vendita; amissa sunt non solum illa bona, ita vt repeti non possint tanto tempore elapso; sed ipsum etiam priuilegium amissum est, quo tanto tempore non sunt vti cum daretur occasio.

Respondeo Secundò, Si in omnibus vel plerisque locis illius Ordinis in prouincia aliqua sitis, non est seruata illa solemnitas recurrendi ad Generalem: sed res sunt venditae cum consensu Capituli, & auctoritate Episcopi, nec postea curatum est vt illi contractus rescinderentur ob defectum consensus Generalis, si inquam id factum est sapius in plerisque locis, iam videtur amissum priuilegium per consuetudinem contrariam, etiam si non sint elapsi 40. anni. Quia consuetudo, vt legitime censetur praescripta, secundum vniuersiorem sententiam, non requirit nisi decem annos.

CASVS IX.

Virum possim vendere aedes meas Ministro haeretico, qui nullas habet pecunias nisi ex beneficij Ecclesiasticū qua inique possidet?

Translatio bonorum Ecclesie inique possessorum.

Respondeo, Cum aedes tuas venales habeas, si Minister haereticus qui ex solis bonis Ecclesiasticis alitur, eas emere velit, non teneris illum repellere; sicut nec alij mercatores qui res necessarias vendunt, id tenentur facere. Non enim Ecclesia, posito illo rerum statu, inuita aut repugante illam pecuniam accipis à Ministro: quia haec acceptio non est vllō modo causa, cur Minister illam Ecclesiam non resituat.

29

P

Petes,

Petes, An efficiaris propriè dominus pecuniæ sic à Ministro acceptæ? Respondeo, Te non effici propriè dominum illius pecuniæ; quia Minister ille dominium rei alienæ transferre non potest: sed acquiris possessionem, quam Ecclesia, stante hoc rerum statu, concedit. Vbi tamen rebus tuis pecunia ista sic permixta fuerit, vt non possit internosci, iam dominium translatum est: vt constat ex ijs quæ habentur §. *Si dominorum*. In lit. de rerum diuisionibus & L. *Si alieni* 7. de solutionibus.

BULLA PONTIFICIA.

CASVS I.

Clausula
Priuatorum
Bullis inserta.

Quando Pontifex in Bulla seu Constitutionibus suis priuat Superiores, aliosue Prælatum, Beneficijs, Voce actiua & passiuâ, & inhabiles ad ea reddit hac formula: Eo ipso priuamus, & priuatos ac inhabiles decernimus & declaramus, &c.

QVÆRITVR, Quid illa verba operentur?

1 **R**espondeo, Illa verba, Eo ipso priuamus, ac priuatos & inhabiles decernimus & declaramus: non puto habere eam vim vt auferant beneficium, aut prælaturam iam ante iustè possessam, ita vt homo teneatur sponte dimittere ante sententiam declaratoriam Iudicis ferentem secum executionem & priuationem. Ita enim communiter sentiunt Doctores. Quia nimis graue est, nec humanæ infirmitati accommodatum, vt quis seipsum teneatur spoliare bonis iam possessis, nemine exteriori cogente.

2 Tamen quòd attinet ad inhabilitatem respectu beneficij acquirendi; puto hanc ipso facto irrogari, sicut & irregularitatem, & inhabilitatem ex simonia; vt communiter Doctores tradunt.

Idem puto de priuatione vocis actiue & passiuæ: quia hæc non requirunt executionem hominis, sicut nec censura: & ipsa censura excommunicationis habet annexam talem inhabilitatē.

Fateor tamen, Si quis hinc incurreret infamiam, v. g. quia abstinere ab eligendo, tunc posset vt iure eligendi, sicut & celebrare in irregularitate. Idem dixerim de inhabilitate & priuatione vocis passiuæ.

3 Non tamen condemnauerim sententiam quorundam Doctorum, qui putant etiam hic requiri sententiam Iudicis declaratoriam criminis. De quo videri potest Sancius lib. 9. disput. 30. Doctores quidam hoc sunt secuti in quibusdam dispositionibus, quæ alioqui nimis durè videbantur. Vnde in casu Sixti puto itam sententiam non improbabilem.

Sancius
lib. 9.
disput. 30.

CASVS II.

Bulle
publicatio
& reuocatio.

Pontifex Roma Bullam publicat qua vniuersam concernit Ecclesiam, & iubet eam ubique publicari & observari.

QVÆRITVR I. An hoc ipso Bulla illa obliget alias Prouincias?

QVÆRITVR II. Ad quem spectet eius alibi promulgatio?

QVÆRITVR III. Quid requiratur vt dicatur recepta?

QVÆRITVR IV. An si Bulla illa reuocetur Romæ, eo ipso censeatur ubique reuocata?

4 **A**d Primum, Respondeo: Probabilis est sententia Bullas Pontificias nõ obligare in alijs Prouincijs, nisi ibi sint promulgata; vt diximus in Tract. de Legibus, qu. 91. art. 4. Nisi contrarium expressè dicatur in ipsa Bulla, quod bis terue fecit Xistus V.

Ad Secundum: Episcopi tenentur eas curare promulgari & obseruari, si commodè possint. Quòd si nequeat sine magna perturbatione, vel difficultate, possunt excusari, modò bona fide faciant quod in ipsis est, vt feruentur.

Ad Tertium: Vt Bulla dicatur recepta, requiritur vt à maiore parte populi vel communitatis feruetur, cum occasio se offert. Vbi tamè promulgata est, censetur recepta; saltem in proposito & acceptance populi, nisi constet de contrariis: vnde in dubio seruanda est.

Ad Quartum: Respondeo sub distinctione. In illa Bulla Romæ reuocata, vel agitur de contractibus, & similibus ex quibus nata est sequi magna perturbatio: vel agitur de priuilegijs. Si agatur de contractibus & similibus, ex quibus postea sequeretur in Prouincijs magna perturbatio, requiritur vt illa reuocatio solemniter promulgetur more legum præceptuarum in prouincia, ibidemque recipiatur. Si vero agitur de priuilegijs, nõ requiritur solemnitas illa publicatio in prouincia, sed sufficit vt Romæ more consueto facta sit, & vt de ea certò cõstet in prouincia. Nam priuilegia cum leges non sint, multò faciliùs quàm leges reuocari possunt, quandoquidè sint gratuita concessiones, quales sunt, delegata potestas absoluedi à censuris, à casibus referuatis, Indulgentiæ &c. Hoc ipso enim quo ad notitiam delegatorum talis reuocatio perfertur, amittunt delegati omnem iurisdictionem &c. Quænam verò leges in particulari obligent in Gallia, colligendum est ex regulis Doctorum.

CASVS III.

Placitum
Aulæ.

Vtrum ad vigorem Bullæ Apostolicæ requiratur Placitum Aulæ?

6 **R**espondeo, Placitum Aulæ est impertinens ad valorem Bullæ. Hoc ipso enim quo recipitur aliqua Bulla, obstringit. Placitum Aulæ facit ad promouendam vel impediendam executionem alicuius sententiæ vel mandati Apostolici: quia absque illo non permittunt fieri executionem in præiudicium partis quæ videtur grauata.

CASVS IV.

Receptio
Bullæ
Cenæ.

Vtrum Bulla Cenæ Domini secundum omnia sua in Belgio sit admissa?

7 **R**espondeo, De Bulla Cenæ Domini non dubito quin sit recepta in Belgio quoad antiquos & ordinarios articulos, quales plerique sunt qui in eâ continentur: vix enim modò in eâ aliquid ponitur quod ab 80. vel 100. annis & amplius in vsu non fuerit. Nec refert quòd hic promulgata nõ fuerit: sufficit enim promulgatio Romanâ, & ea receptio, quam monito & cura bonorum Confessorum & Concionatorum induxit. De nouis articulis qui interdum inseruntur, maius est dubium, quia cessat illa ratio.

Nouis articuli
cui in ea
inserti.

CASVS

CASVS V.

Bulle reformatoriae acceptatio & obligatio.

Bulla quadam reformatoria concernens omnes Religiosos, recepta est in varijs prouincijs vniuersi Ordinis, non tamē in monasterijs Belgicis eiusdem Ordinis. Item recepta est ab omnibus Ordinibus in vno aliquo regno habitantibus, excepto tamen vno aliquo Ordine vel altero eiusdem regni.

QVÆRITVR I. An admissio Bullæ in varijs prouincijs vniuersi Ordinis, obliget monasteria Belgica?

QVÆRITVR II. An hoc ipso quo alij Ordines in vno regno Bullam admittunt, etiam vnus ille Ordo eam ibidem teneatur admittere?

AD Primum, Respondeo: Etsi Bulla aliqua in multis alijs Prouincijs alicuius Ordinis sit recepta; si tamen in Belgio non est in eo Ordine recepta, probabile est, ibidem non obligare, nec habere effectum, præsertim si ignoretur. Contrarium tamen est plurimorum Doctorum, præsertim quando est constitutio irritans, vel inhabilem reddens. Et iuxta hanc sententiam declarat Xistina etiam eorum qui ignoranter contra formam à se præscriptam admisi sunt vel professi, admissionem, & professionem esse irritam.

Ad secundum, Respondeo: Etsi non negauerim esse probabile, omnes Religiosos diuersorum Ordinum, in eadem Prouincia habitantium, facere vnum corpus in ordine ad receptionem vel obseruationem constitutionis, quæ generaliter ad omnes dirigitur, sicut prædictæ Xistinae ad omnes dirigitur. Tamen contrarium puto esse planè verum & probabilius. Quia in hoc Ordine possunt esse rationes recipiendi vel non recipiendi aliquam constitutionem, quæ non sunt in alio. Vario quoque iure & varijs institutis viuunt, adeo vt magis videantur distingui varij Ordines religiosi, quam variæ ciuitates eiusdem regni. Sæpius tamen fit vt lex Principis in vno oppido communiter recipiatur, & consequenter obliget singulos eius oppidi ciues; in alio non recipiatur, & ciues ibi non obligentur.

C A M B I V M.

CASVS I.

Fictum Cambiū.

Mercatores secundum rationem cambij Francofurtensis dant Curia Regia 100. quasi Curia ibi haberet pecuniam, cum pacto vt soluat recambium secundum estimationem currentem; & post terminum solutionis singulis mensibus vnum cum dimidio in 100. nomine interesse.

QVÆRITVR, An contractus ille sit iustus?

RESpondeo, Contractus ille quomodo ab iniustitiâ vindicari queat non video: Primò, Quia communis Doctorum sententia est, Non esse verum cambium, sed vsuram nomine cambij palliatam, quando Campfarius non habet pecuniam actu vel in fide amicorum eò loci, quò

cambium destinatur. Atqui Curia vel Rex nullam habet pecuniam Francofurti existentem reipsa aut in fide aliorum. Ergo hic non potest esse verum cambium, sed solum fictio cambij. Siue enim dicas cambium esse emptionem, siue permutationem, nihil habet Curia aut Rex Francofurti, cum quo fiat permutatio, aut quod possit censerī emptum in hoc contractu. Quòd si quis contendat Regem ibi posse habere pecunias, & ita iuxta quandam probabilem sententiam, quam quidam Doctores tenent de cambio Bizuntino, posse subsistere naturam cambij, hoc vt gratias demus, non tamen idè redditur licitum: quia Rex non cupit remitti Francofurtum, cum sine ingeniti dispendio non possit ibi pecuniam habere. Vnde est saltem contra charitatem: nemo enim vellet sibi, si in necessitate esset, id fieri, & cum tanto damno per tales ambages circumduci.

Secundò, Quia in eodem contractu obligatur Rex soluere recambium, quod etiam omnium iudicio illicitum est: quia nemo potest amplius petere ratione carentiæ pecuniæ suæ, quàm æstimationem interesse, & fortè etiam periculum fortis: ergo non potest præcisè ad recambium, quod plerumque longè maius est, obligari. Deinde, cum Rex nullam pecuniam Francofurti recipiat, qua specie iustitiæ poterit obligari ad recambium soluendum, perinde ac si rursus ad cambium accepisset?

Tertiò, Quia immodicum videtur vt Rex postea nomine interesse soluat vnum cum dimidio singulis mensibus, id est, 18. in annos sic enim vno contractu lucrabuntur 33. & quinque septimas in singulos centenarios; quo amplius non lucrantur publici & professi vsurarij.

CASVS II.

Vtrum Campsor tantum possit exigere, quantum baiulus realiter transferens?

Cambij pretium.

VIDetur posse: Eò quòd, id, quod Campsor præstat, æquiualeat ei, quod præstat baiulus; nam transfert pecuniam virtualiter; quæ translatio tanti est Campfario, atque si realiter transferatur. Confirmatur, quia quòd habeat faciliorem modum traiciendi, non debet ei esse fraudi, sed eius bonæ fortunæ assignandum; sicut si baiulus inueniret aliquem qui similem pecuniam in loco, ad quem fit traicctio, ei offerret, qualem accepit transferendam, non deberet realiter traicere; tamen posset pretium pactum pro reali traicctione accipere. Quòd autem minus exigant Campfiores, id prouenit ex eorum benignitate.

In contrarium tamen facit quod pretia cambiorum communi ipsorum iudicio sint constituta; ac proinde non possint excedi à particularibus: hæc autem pretia sunt longè minora, quàm ea, quæ baiulo deberentur: ergo saltem nunc non possunt amplius exigere.

Vnde sequitur non rectè excusari cambium Francofurtense (in quo campfor dans pecuniam quinto mense ante Nundinas, lucratur 5. grossos in singulos florenos; quarto autem mense dans, lucratur 4. in singulos; tertio, tres; secundo, duos; vno mense ante Nundinas dans, lucratur vnum vel nihil) eò quòd campfor dans vno mense ante Nundinas, possit exigere etiam quinque grossos,

Nemo potest testari obligari nisi vno cambium.

An Campforis & baiuli pecunias transferentis, eadem sit ratio.

Pretium pro cambij statutum, non est transgrediendum.

Cambium quoddam Francofurtense illicitum.

sicut exigebat quinto mense; quia tantum potest exigere, quantum baiulus realiter transferens, qui posset exigere quinque in singulos florenos. Hoc enim fundamentum verum non est; cum pretium cambij vnus mensis, seu ad visas litteras, sit constitutum.

5
Campfor
estimare
debet opera
sua condi-
tionem, no
commodum
campfarij.

Ad rationem in contrarium, esto, id quod prestat campfor, sit æquè commodum campfario atque ipsa realis translatio, quam facit baiulus, non tamen idcirco tantum potest exigere; quia non debet estimare commodum campfarij, sed conditionem suæ operæ; quæ non tanti valet quanti opera baiuli; longè enim minoris estimatur virtualis traiectio, quæ reipsa est solum permutatio rerum eiusdem speciei loco distantium, quàm realis; cum hæc sit difficillima & periculosissima, illa facillima, & exigui periculi; sicut longè plus exigere potest auriga qui curru rem traiecit, quàm nauta qui nauigio; & baiulus qui humeris, quàm qui equis. Ad Confirmationem: Non pertinet hic modus ad bonam fortunam campforis in re propositâ; quia non est initus contractus de reali traiectione, sed de virtuali, quæ sola campforibus vsitata. Secus esset si contractum esset de reali traiectione, & ille alibi similem omnino pecuniam numerare posset: Hoc enim ad bonam eius fortunâ pertinere censeretur. Quod pertinet exemplum baiuli qui recepit in se traiectionem realem, & inuenit commoditatem similibus pecuniæ in termino.

Cambium
est permutatio
pecuniarum
loco inter
se distanti.

His addere licet, cambium potius esse permutationem pecuniarum quæ loco inter se distat sunt, quàm locationem operarum ad eas transferendas. Vnde non sequitur eum posse tantum accipere, quantum is qui operas locat ad realem translatioem. Quod autem de benignitate campforum dicitur, videtur incredibile, cum constet quàm ingentes opes lucrentur, idque ferè eum euerlione fortunarum illorum qui ad illos crebrò coguntur confugere.

Cambiũ
vnum æ-
quiualeus
4. cam-
bijs.

CASVS III.

Vtrum Campfor dans Antuerpia 1000. vsque ad proximas Nundinas Francofurdenses, quæ erunt intra 4. menses, possit tantum exigere, quantum posset pro 4. cambijs mensuris factis singulis mensibus illis, ad visas litteras?

6
Cambium
datum ad
4. menses
æquiualeat
4. cambijs
datũ ad
singulos
menses.

Videtur posse, Probatum Primò, Quia cambium 1000. datum ad 4. menses, videtur implicitè in se continere 4. cambia eiusdem sortis mensura, quæ soluuntur in termino mensis cuiusque: ergo tantum potest exigere, quantum pro 4. Confirmatur, quia id commodius est campfarijs, qui pecuniam non possunt Francofurti, statim visis litteris, v.g. in fine mensis, restituere; & minus soluunt, quàm si 4. cambia cogerentur accipere; nam non soluunt tot provisiones pro numeratione pecuniæ. Potuerunt ergo Campfores communi iudicio sic pretia cambiorum instituire, quasi 4. cambia interuenissent; nonnihil tamen exigendo minus, quàm iure poterant, habitâ etiam ratione cõmunis cursus Bursæ, id est, praxis mercatorum mutuantium pro interesse.

Probatum Secundò, Quia in maiori mora maius est periculum sortis.

Tertiò, In maiori termino maior est incertitudo pretij futuri cambij, ac proinde maior metus: ergo.

Quartò, Campfor dans ad 4. menses, censetur implicitè velle facere 4. cambia mensura, maxime cum communi vsu mercatorum ita fiat; quorum vnanimis praxis debet potius in iustam partem sumi cum possit, quàm in iniustam; illam enim censendi sunt velle mercatores, non hanc.

Quintò, Vbi nullum est inuoluntarium, ibi non est acceptio velle retentio alieni; atqui hic nullum est inuoluntarium, nec expressum nec tacitum, nec formale nec virtuale. Confirmatur, quia cum campfarijs in prædicto casu deberet facere 4. cambia, magno eius commodo 4. contrahuntur in vnum continens virtute 4. idque ex recepto iam vsu communi mercatorum.

Sextò, Nemo sic contrahentium censetur non velle, quod velle potest, cum velit eo modo lucrari in hac terminorum concessione, quo licitissimè potest: posset autem lucrari licitè, si in 4. supradictorum mensium concessione, tria à parte rei faceret distincta cambia, etiam in primo horum mensium: ergo etiam poterit, si vnum contractum faciat, qui virtute contineat 4. Qui plura de Cambio desiderat, videat lib. 2. de Iustitia & Iure cap. 23. vbi XI. dubitationibus hæc materia fusè tractatur.

C E N S V S.

CASVS I.

Nicolaus accepturus à Paulo summam 2671. Census florenorum, promittit ei 600. florenos annuos, nullâ factâ mentione de vitâ Pauli, sed tantum de vitâ Nicolai. Moritur Paulus.

QVÆRITVR, An promissio illa se ad Pauli hæredes extendat?

Respondeo, Consideratâ formâ propositi contractus, non videtur hic propriè esse cõtractus census vitalitij: tum, quia hic non solet constitui super vitâ debitoris, sed creditoris, vel filij, vel alterius personæ ipsum contingentis: tum, quia summa capitalis nullo modo secundum rationem census respondet tantæ pensioni annuæ; nam deberet ferè esse duplo maior. Nisi velimus dicere esse censum vitalem extinguibilem duplici ratione; nimirum & morte creditoris, & morte debitoris; potuit enim iuste hoc apponi propter sortis exiguitatem.

Sed verius puto esse contractum innominatum, in quo Nicolaus habitâ ratione beneficiorum acceptorum à Paulo, & summæ 2671. florenorum præterea accipiendorum, promittit eidem se ad vitam suam daturum illi 600. florenos annuos: vbi manifestum est bonam huius pensionis partem esse donationem, seu promissionem remuneratoriâ pro beneficijs acceptis; quæ promissio solum respicit personam à qua beneficium acceptum est, non autem ipsius hæredes, nisi id exprimat. Sicut cum Princeps alicui propter multa obsequia constituit pensionem annuam; hæc pensio extinguitur non solum morte Principis; sed etiam ipsius pensionarij, nec transit ad hæredes.

Nec ob-

Nec obstat quod nulla sit facta mentio vita pensionarij, sed solum constituentis pensionem; quia in huiusmodi promissionibus remuneratorijs id per se intelligi videtur; nimirum ut non extendantur ultra vitam eius, quem cupis remunerari; quia solum ipsius commodum intenditur. Et sane si Nicolaus constituens non volebat suos heredes obligari post suam mortem, sicut expressè cavit; multò minùs volebat seipsum obligare heredibus pensionarij post mortem pensionarij; cum illi nihil cum heredibus fuerit negotij.

CASVS II.

Pensio ex capitali anticipatè detracta.

Titius dat Caio 100. florenos ad censum 6. & vnã quartã, & statim recipit 6. florenos & 5. stuferos tanquam censum canonem seu pensionem anni lapsi.

QVÆRITVR, An deinceps ad rationem 100. florenorum, an verò solum 93. florenorum & 15. stuferos pensionè recipere debeat?

Respondeo, Cùm pecunia datur ad emendum censum, vel ad societatem, vel causã mutui sub interesse, iniquum est statim repetere pensionem annuam, vel interesse, cùm re ipsa non detur tanta summa quanta fingitur. Qui enim dat centũ causã censũ, & mox repetit pensionè, nimirũ 6. & vnã quartã, reuerà non dat nisi 93. & tres quartas seu 93. florenos & 15. stuferos. Vnde in posterum nõ potest exigere pensionem de 100. sed solum de 93. florenis, & 15. stuferis. Itaque subducenda est ratio quantum, v. g. 6. annis acciperetur ex censu 93. florenorum & 15. stuferos; & quod plus acceptum est, restituendum est: vltimus tamen annus etiam est computandus. Porrò ex censu 93. florenorum & 15. stuferos acciperentur quotannis 5. floreni & 16. vel 17. stuferi circiter.

CASVS III.

Pecunia data ad modum census.

Ex pecunia pupillari mutuo data per modum census vtriusque redimibilis, accepti à te primò quotannis 6. & vnã quartã in centum. Deinde, errore illo correcto, paciscor tecum de isto redditu.

QVÆRITVR, An aliquid restituere debeam; & quomodo, id commodè possim facere?

Respondeo, Illa pecunia pupillaris quã ad lucrum dari solet, vel data fuit mercatori, vel alteri: Si mercatori data fuit secundũ usum receptum, & bonã fide, non videtur quidquam restituendum; quia censetur data eo modo quo iustè fieri potest, vt Nauarrus & alij docent. At qui iustè dari potuit ad societatem per tres contractus, exigendo lucrum secundũ rationem censuum, nimirum 6. & vnã quartã in centum. Si autem alteri data sit, qui eã lucraturus non erat, non potest videri data ad societatem lucri, quod nullum est; sed potiùs per modum census redimibilis, vtriusque: qui quoniam pluri emi debet quã census ordinarius, eò quod emptor obliget venditorem ad redemptionem, quando ipsi placuerit repetere pretium; non sufficit dare 16. florenos pro vno floreno annuo, sed dandi erunt 20; ac proinde pro 100. non recipiet quotannis nisi 5: nam onus istud facillè tanti estimari

potest, nimirum 4. florenis. Vnde sequitur si ex tali contractu acceperis per 6. annos singulis annis 6. & vnã quartã pro centum, & teneri restituere 7. florenos & medium: quia singulis annis reddendus florenus & 5. stuferi. Vide ea quã tradidimus lib. 2. de Iustitia cap. 22. dub. 10. & quã Valentia 2. 2. disp. 15. qu. 22. puncto 6. & qu. 25. puncto 2.

Potes tamen, censu iusto iam constituto, exigere quotannis pensiones currentes, etiam si ratione precedentium annorum debitori tuo tenearis aliquid restituere. Satis enim est vt postquam scis te ipsi teneri, datã opportunitate soluas, vel tantundem remittas. Nec teneris ad vsuras quanto tempore in bona fide fuisti.

CASVS IV.

Pensio cum iure repetendi fortem.

Vtrum Cives qui non sunt mercatores, nec possunt obtinere lucrum cessans, vel damnum emergens, vel periculum sortis, possint aliquo iusto titulo accipere 4. vel 5. in centum quotannis, salua sorte, cum facultate sortem repetendi?

Respondeo posse per duos contractus. Primò, Si incant contractum census, emendo censum ad rationem vnus in 15. sicut Leodij; vel in 16. sicut in Belgicis prouincijs Regi subiectis. Deinde, Si conueniat inter eos vt emptor certo pretio possit repetere pretium, nempe remittendo ex annuã pensione 1. & vnã quartã, vel 2. in 100. Sicut enim si venditor cuperet tale onus suscipere, rogaretque emptorem vt à se tale ius emat (censu iam constituto) possit emptor illud emere: ita etiam vicissim si emptor offerat & cupiat tale onus emere, potest venditor in illud consentire si velit iusto pretio. Potest autem totum simul fieri, si res vtrique sit explicata, & vterque sponte sua in talem contractum consentiat.

CASVS V.

Pecunia ad censum destinata, sed aliò conuersa.

Ioannes petenti cuidam Mercatori dedit 100. quos cupiebat apud alterum exponere in censum annuum.

QVÆRITVR, Vtrum ab hoc Mercatore potuerit petere 8. in 100?

Respondeo, In rigore Iuris non videtur Ioannes posse exigere 8. in centenarium, cùm non inierit contractum censuarium, sed simplicis mutui, vt videtur. Nisi forte potens fuerit mercator, & ita possit, ratione triplicis contractus cum mercatore, illud exigere; præsertim si generatim intendit omni titulo iusto illa accipere. Videtur etiam posse exigere ex quãdam æquitate ratione lucri cessantis; nam reliquit contractum censuarium, quem alioquin facere cupiebat cum altero, ad ipsius petitionem. Itaque non cogere ad restitutionem, sed inherere contractum reformari: vt saltem in foro conscientie sit contractus censuarium, etsi in foro externo ad vitandum sumptum vccigalis, non sic vocent.

CONFES;

CONFESSARIUS.

CASVS I.

Appobatio Con-
fessarij.

Quid Nuntius Apostolicus valeat circa
Approbationem Confessariorum?

R Espondeo, Nuntius Apostolicus habet potestatem approbadi Confessarios, etiam absentes, & per alium designandos. Imò potest Superiori Regularium dare potestatem approbandi; cum in ipso Nuntio sit potestas ordinaria ad id faciendum.

CASVS II.

Appro-
batio Cõ-
fessarij.

Utrum Capitulum possit sibi assumere potestatem approbandi & designandi Confessarios uiuente Episcopo?

R Espondeo, Aliud est approbare Cõfessarios: aliud nominare vel designare. Approbatio est solius Episcopi per Concilium Tridentinum; neque huic quæstioni potest se Capitulum immiscere. Designatio facilius ad eos pro certo loco pertinere potest: nam etiam Parochus in suâ parochiâ Confessarios designare potest, modò ab Episcopo sint approbati. Approbatio per se non tribuit iurisdictionem, sed reddit capacem vt ei detur iurisdictionis; quæ per nominationem vel designationem dari potest, modò ille sit approbatus.

CASVS III.

Appro-
batio Cõ-
fessarij.

Confessarij monasterij datum est priuilegium à Papa audiendi confessiones, etiam secularium.

QVÆRITVR, An nihilominus indigeant Episcoporum approbatione: aut possint censeri approbati quasi ex parochiali beneficio?

Priuilegium Summi Pontificis ad confessiones secularium audiendas, non supplet approbationem Episcopi iure Concilij Tridentini necessariam. Neque Cõfessarius Monialium habens tale priuilegium, potest censeri habere quasi parochiale beneficium, ita vt non sit ei necessaria approbatio; quia alioquin Confessarij conuentus apud Mendicantes, non egerent approbatione Episcopi ad audiendas confessiones secularium.

Parochiale beneficium respicit curam secularium.

Adde parochiale beneficium nõ dici nisi quod primariò respicit curam secularium: Hic autem solùm accessoriè habet secularium curam, nimirum, quia seruiunt monasterio. Denique Concilium loquitur generatim de omnibus secularibus, etiam Sacerdotibus. Itaque non videtur isti Confessarij liberi ab obligatione se presentandi Ordinario vt approbentur, si velint secularium, etiam Sacerdotum confessiones audire, etiam si fortè habeant priuilegium audiendi omnes seculares ad eos accedentes.

Non obstantia se priuilegio, cedendum est, ubi Episcopi se possint opponere.

Si tamen post Concilium Tridentinũ vsque ad hoc tempus manserunt in illâ consuetudine audiendi confessiones secularium, Episcopo non contradicente, validè potuerunt absolueri; & propter tam longam consuetudinem videntur posse continuare, donec Episcopus se opponat; qui si se opposuerit, tenebuntur cedere, propter clausulã, Priuilegijs, & consuetudine quacunque etiam immemorabili, non obstantibus.

CASVS IV.

Electis Confessarij.

Superior Religiosus tenetur ex decreto Clementis VIII. vel etiam sui Generalis, constituere duos vel plures, qui prater se, domesticorum suorum confessiones audiant; ille id facere negligit, aut recusat.

QVÆRITVR, An subditum possit sibi Confessarium eligere?

R Espondeo, Non potest inferior eligere sibi Confessarium, etiam si Superior ex decreto Clementis VIII. duos vel plures constituere tenetur, idemque Generalis fieri iusserit, & Superior exequi noluerit. Ratio est, quia non apparet vnde iste ita electus possit habere iurisdictionem. Nam in decreto illo Clementis solùm dicitur §. 2. Non liceat superioribus Regularium confessiones subditorum audire, &c. & §. 3. Superiores in singulis domibus deputent duos, vel tres, aut quatuor pro subditorum numero, &c. quibus verbis Superioribus non auferitur potestas, sed solùm redditur vsus illicitus, & iniungitur vt alijs potestatem dent. Vnde nec alijs conceditur vlla potestas, sed iubetur vt Superiores concedant. Quare si ipsi nolint concedere, non habebunt isti electi potestatem. Et sanè, si alia mens Põtificis fuisset, id aliquo modo explicasset.

Vsus illicitus potestatis, sed validus.

Itaque in hoc casu recurrendum iudico ad Generalem; vel, quod facilius & expeditius est, ad Nuntium Apostolicum, vt ipse inferioribus hanc potestatem eligendi Confessorem concedat; vel Superiorem immediatum cogat vt decretũ Clementis VIII. seruet. Interea debent Superioribus confiteri: quia hi soli iurisdictionem habent. Hoc intellige in peccatis mortalibus nunquam antea confessis. Nam de venialibus alia est ratio.

Quid tali casu agendum.

CASVS V.

Rudes.

Quid faciet Confessarius cum rudibus, qui non habent fidem explicitam & distinctam Trinitatis, & Incarnationis?

R Espondeo, Probabilis sententia est fidem explicitam & distinctam Trinitatis & Incarnationis non esse necessariam ratione medijs, sed solùm præcepti: quam in praxi sequi possumus. Vnde possumus absolueri eos qui hæc ignorant, si promittant se daturos operam vt discant prima opportunitate: maximè quando periculum est ne moriantur antequam possint reuerti, vel putentur non reuersuri. Si enim putarentur reuersuri, melius esset eos absque absolutione dimittere, vt vbi didicerint, reuertantur: sed hoc rarum est. Interdum sunt satis capaces, & subito instrui possunt vt rem aliquo modo apprehendant; & tales, si tempus ferat, sunt breuiter instruendi, & postea absoluedi, iniuncto onere melius vt eadẽ discant. Expediret etiam Catechismos ante solemnia Festa quibus confiteri & communicare solent, instructi varijs locis, & hæc necessaria breuiter & dilucidè explicari.

Si horum fides explicita non sit necessaria, absolue.

Quando, & quomodo hi sint instruendi.

Iuxta alteram sententiam non possunt absolui si sint in peccato mortali: quia fides illa explicita est medium necessarium ad iustificacionem. Non tamen est medium necessarium, vt is, qui iam iustus est, saluetur, si contingat illum mori. Nec ob defectum huius fidei amittit iustitiam, nisi, quãdo occasio est discendi illa mysteria, & ex crassa negligentia prætermittit.

Si sit necessaria hæc fides, nõ absolue.

CASVS

Pueri

CASVS VI.

Quandonam Confessarius censerebatur pueros capaces Absolutionis sacramentalis?

9 Respondeo, Pueri videntur capaces Absolutionis sacramentalis, si sciant quid euenturum sit malè agentibus, quid bonè. Tunc enim concipiunt timorem Numinis, & affectum seruitutis erga Deum. Itaque de hoc rogandi. Si dubitetur, potest illis dari bona precatio & benedictio, quæ magni est æstimanda. Nec est quod Sacerdos hîc se implicet aut vexet.

animo se oblectandi. Si affirmant, satis constat esse morosam; nec opus est rogare an turpes motus sint exorti. Si dicant post perfectam animaduersionem displicuisse, non sunt condemnandi peccati mortalis. Similiter si solti curiositatis causâ, vt scirent, non vt delectarentur re cogitata, dicant se cogitasse; quamuis hoc rarius sit. Non debet Confessarius circa hoc esse anxius: non enim est necessarium vt ipse semper possit statuere, an peccatum fuerit mortale, an veniale hîc & nunc; id enim sæpè impossibile: sufficit vt inquireat circumstantias necessarias, & prout videt pœnitentem esse capacem.

Confessarius ut hîc sit animus

Crebrò relabentur.

CASVS VII.

Quid Confessario agendum cum his qui in eadem peccata crebrò relabuntur?

10 Expedi. ordinariè eos sine absolutione remittere. Respondeo, Qui ita crebrò relabuntur in eadem peccata, si post tres vel quatuor confessiones certis interuallis factas, non apparet vlla emendatio, aut conatus resistendi, expedit ordinariè eos remittere sine absolutione (explicato periculo in quo versentur, & absolutionem ipsis fore noxiam, cùm non videantur habere sincerum propositum) vt conentur resistere, & adhibere remedia quæ præscribuntur. Si non redierint, committat illos Deo, nec se ob id cruciet.

11 Non est id absolute necesse. Dico, Expedire ordinariè: quia absolute non est necessarium, si dicant se valde dolere, & promittant emendationem. Quòd autem sæpè cadant vt antè, id infirmitati humanæ, quæ sanè maxima est, adscribendum. Vnde etiam Dominus septuagies septies peccatum in fratrem vult ignosci. Fieri etiam potest vt expediat sæpius absolui, si putetur id eis fore magis salutare. Hæc enim est regula qua Confessarius vti debet circa Pœnitentem in absoluendo, vel remittendo, in magnis vel paruis pœnitentijs iniungendis, Vt spectata conditione pœnitenti, faciat id, quòd iudicat ei fore magis salutare. Si dubitet, vtatur nunc hoc, nunc illo modo. Sæpè hæc repulsio est illis salutis, quia sic magis imprimunt animo rei momentum.

Occasio relapsus.

CASVS VIII.

Quam occasionem Confessarius censere debeat proximam Pœnitenti ad lapsum?

12 Respondeo, Ea occasio censenda est proxima alicui, in qua dum ille constituitur, plerumque succumbit, & rarò euadit illæsus. Itaque quando post aliquot confessiones deprehensum fuerit Pœnitenti conuersatione aliquam esse causam propinquam peccandi, cogendus est illam relinquere, & efficiendum vt alibi habitet. Si id ob iustas rationes impetrari non possit, cogendus est vitare illam conuersatione, quantum fieri potest. Si promittat se id facturum quantum poterit, præscriptis in particulari aliquot modis, poterit absolui: aliàs est remittendus.

Delectatio morosa.

CASVS IX.

Quomodo inuestigabit Confessarius an delectatio, de qua pœnitens se accusat, fuerit morosa? & an in eam consenserit?

13 Delectatio, quando morosa. Respondeo Primò, Vt sciatur an delectatio fuerit morosa, quærendum an inhæserint cogitationi turpi postquam aduerterunt esse talè,

Respondeo Secundò: Tunc in delectationem consentis, quando tibi placet ea voluptas, quæ resultat in parte inferiore ex imaginatione actus carnalis, vel turpium contactuum; quæ voluptas est eiusdè rationis, ac ea, quæ ex opere nascitur, nâ similiter concitatur sanguis & spiritus, & excitantur membra ad rebellionem, & seminis effusione.

14 Quando in delectationem non est seminis effusio.

CASVS X.

Qualis pœnitentia convenientissimè pœnitenti imponatur?

Pœnitentia seu satisfactio.

15 Respondeo, Illa pœnitentia convenientissimè pœnitenti imponitur, quæ omnibus consideratis, iudicatur ipsi pœnitenti fore magis salutaris. Huc enim omnia tendunt, vt iste perducatur ad salutem.

Hinc fieri poterit vt pro 10. adulterijs, vel fornicationibus, non imponatur pœnitentia grauis homini simplici; nimirum si non putaretur eam expleturus; vel non habeat commoditatem propter vxorem & familiam; vel si alienaretur in posterum à confessione &c. Tunc enim tali possent imponi quinquies Pater & Aue per medium annum; & vt confiteatur quinquies vel sexies magnis Festis per annum; idque ad tres vel quatuor annos, & similia.

Quòd si persona sit capax, & putetur ei fore vtile, conueniens erit imponere etiam ieiunia, & afflictiones corporis. Verùm quod ad graues pœnitentias, attinet, facillè pœnitentes possunt eas redimere per Indulgentias, vt diximus in Tract. de Indulgentijs cap. 3. dub. 2. Vnde magis sunt inducendi vt sponte sua peccata castigent, quàm strictè obligandi, nisi quando Confessor iudicat hoc magis expedire.

CASVS XI.

Quid faciet Confessarius cum surdastros imperfectè conscientibus in magno populi confluxu?

Surdaster.

16 Respondeo, Non existimo surdastros in magno populi confluxu, qui imperfectè confitentur, posse absolui; sed esse remittendos in aliud tempus quo possint examinari, & instrui de necessarijs; nisi forte essent in periculo mortis &c. multoque minus id licet quando præceptum confessionis non obligat.

CASVS XII.

Quid faciet Confessarius cum Nobilibus, qui accusantur à suis creditoribus de defectu solutionis?

Debitor.

17 Respondeo & dico Primò, Non facillè deneganda est Nobilibus illis absolutio ob defectu solutionis respectu suorum creditorum, nisi constet eos in

eos in ea re iniquè agere. Suspicionibus & dicta creditorum sæpè non sufficiunt.

Respondeo Secundò, Si agatur de solutione reddituum personalium, vel etiam realium, faciliùs excusari possunt, etiam si aliquot annis non soluant; quia ferè consuetudine receptum est, vt in pensionibus annuis non fiat ita prompta solutio.

Respondeo Tertio, Si ipsi in confessione se non acculant, quòd debita non soluerint, & putentur bona fide existimare, se posse adhuc solutionem differre; possit Sacerdos dissimulare eam inquisitionem, si animus eorum crederetur inde offendendus, & maius bonum quod intenditur, impediendum timeretur. Si tamen non putentur esse in bona fide, vel ignorantia videatur crassa, suauiter sunt monendi, & instruendi.

CASVS XIII.

Peccata oblita.

Vtrum teneatur Confessarius monere penitentem vt confiteatur peccatum mortale quod olim commisit, & per obliuionem prætermisit?

18 **R**espondeo, Rectè dicitur me non teneri monere Titium vt confiteatur peccatum mortiferum quod olim commisit, & per obliuionem prætermisit confiteri; quia illa ommissio præcepti diuini positui fuit absque culpa, nec obest illi ad salutem aut bonam vitam &c.

CASVS XIV.

Sigillum confessionis.

Confessarius dubitat an malè absoluerit penitentem à casu reseruatò: de eo, ipse confitetur apud Confessarium istius penitentis.

QVÆRITVR, An ille omnino teneatur cauere, ne iste Confessarius possit conijcere illi penitentem rursus in talem casum incidisse?

19 **R**espondeo, Confessarius qui dubitat an malè absoluerit penitentem à casu reseruatò, tenetur cauere ne ita confiteatur illud suum peccatum, vt Sacerdos possit conijcere illum penitentem rursus in talem casum incidisse. Et si enim sciebat illum aliàs talia commississe, ignorabat tamen hunc peculiarem lapsum. Nec refert quòd id per accidens conijciat: quia tenetur Confessarius cauere ne villo modo det occasionem, vnde alius deueniat in notitiam peccati, quod ipse in confessione audiuit. Secus fortè esset quando idem casus illi Sacerdoti esset notus: tunc enim penitens non censetur inuitus, maxime si erat necessariū ad petendum consiliū. Si tamen ab alio consiliū haberi poterat, non potest conferre cum eo, qui conijciat personam. Expedi in hac materia esse strictum. Vide quæ diximus in Additionibus ad 3. Partem de Pœnitentia q. 11. de Sigillo Confessionis.

CONFESSIO.

CASVS I.

Dispositio penitentis.

Qualis dispositio sufficiat ex parte doloris, delectationis, & propositi ad absolutionem sacramentalem?

1 **R**espondeo, Illa dispositio, qua quis, reuocatis in memoriam suis peccatis, ex considera-

tionem malignitatis eorum, prosilit in hunc actum animi internum: *O maledicta peccata quibus Deum meum offendi, vel quibus animam meam gratia diuina priuauit, & penis æternis obstrinxit!* & simul proponit illa explicite confiteri, & in posterum abstinere, & sic accedit ad confessarium eaque confitetur: illa, inquam, dispositio est sufficiens ad obtinendum beneficium absolutionis, & remissionem peccatorum, etiam si dum Confitetur, nouum actum internum non eliciat. Imò talis dispositio est valde bona & perfecta. Est enim abominatio & detestatio vitæ præteritæ quatenus offendit Deum, & sic est vera contritio: vel si tendat in peccata, vt faciunt reum penæ æternæ, est attritio supernaturalis, ac proinde sufficiens cum Sacramento. Porro in ista abominatione expressè continetur illud nolle, quo quis nollet peccasse: Sicut enim amare, est velle; ita detestari, odisse, abominari (quæ omnia idem valent) est nolle. Denique ex hoc actu necessariò oritur dolor, saltem in parte superiore, etiam si homo non semper id aduertat. Impossibile enim est in se ipso videre aliquod malum ingens, & illud detestari seu abominari, & non dolere de eius presentia &c. Quare dubitandum non est quin tales confessiones validæ fuerint, & nullo modo sint repetendæ.

CASVS II.

An, qui dolet se non satis dolere de peccatis, cum absoluto proposito in posterum abstinendi, sufficienter sit dispositus ad absolutionem?

2 **R**espondeo, Si res moraliter consideretur, qui dolet se non satis dolere de peccatis, videtur habere sufficientem dolorem, modò ad sit propositum absolutum in posterum abstinendi. Qui enim dicit se dolere ob defectum sufficientis doloris peccatorum, hoc ipso satis indicat peccata displicere, & nolle se ea commississe, quamuis illam displicentiam non ita sentiat. Si ergo ad sit propositum absolutum emendationis, censeri potest ille dolor sufficiens.

CASVS III.

An dolor pridie excipitatur sufficiat vt postridie absolutionem consequatur absque nouo dolore?

3 **R**espondeo, Dolor semel conceptus de peccatis in ordine ad confessionem recogitatis, si quis ex vi illius, & propositi tunc concepti, applicet se etiam postridie ad confessionem, sufficiens est ad fructum Sacramenti, etiam si quis in actu confitendi nouum dolorem non concipiat. Manet enim iste dolor virtute. Sicut cum quis ex vi propositi quod hodie facit, crastino die se applicat ad aliquam peregrinationem, illud propositum tendendi ad talem terminum manet virtute. Idem cernitur in alijs bonis operibus.

CASVS IV.

Si Confessarius apprehendat vt scrupulos, quæ vere sunt mortalia: Aut vt non facta à penitente,

nitente, quæ tamen reuerà fecit: An teneatur repetere?

4 **R**espondeo, Sive Confessarius apud se iudicet penitentem quædam non verè patrasse, quæ tamen verè patrauit, & confitetur; aut putet esse scrupulos, (vt interdum fieri potest cum de consensu interpretatio agitur) quæ verè sunt peccata mortifera: bona est absolutio; modò tamen Confessarius conferat absolutionem in omni euentum, cogitans se posse decipi in hoc iudicio, & ideo tum ratione illorum, tum aliorum quæ constat esse peccata, dandam censet absolutionem. Ratio est, quia penitens ex parte sua fati se explicuit, vt suppono, & Confessarius ipsum factum fati intellexit (quamuis priuato errore putauerit illud non esse peccatum, vel non esse à penitente commissum) & intendit illum ab omnibus peccatis confessis absolueret.

CASVS V.

Confessio malè intellecta.

Virum valida sit confessio si Confessarius solùm apprehendat vt venialia, quæ tamen sunt mortalia, & ritè à penitente sunt exposita?

5 **R**espondeo, Si Confessarius ex ignorantia putauit esse venialia, quæ erant mortifera, penitens tamen ex parte sua fati illa cum circumstantijs explicuit, ita vt Confessarius factum intellexerit, etiamsi putauerit in eo non nisi venialem culpam latere: non ideo confessio est inuvalida: ac proinde neque repetenda. Nullo enim iure aut solida ratione contrarium probari potest; essetque res plena scrupulis, & valde grauis penitentibus. Sufficit vt penitens talem Confessarium non quæsierit, nec eius ignorantiam in confessione aduerterit: si enim aduerteret, deberet illum instruere, vt rectè iudicare possit. Hanc sententiam docent passim hoc tempore Doctores. Vide Suarem disp. 28. n. 14. & sequent.

CASVS VI.

Confessio malè explicata.

An qui explicuit peccatum in proprio gradu malitia, vt potuit, putans esse veniale, & postea deprehendit esse mortale, teneatur id iterum confiteri?

6 **R**espondeo, Qui intendit confiteri peccatum in proprio gradu malitiæ, & illud explicat quantum nouit, etiamsi putet illud esse veniale, non tenetur postea repetere cum intellexerit esse mortale. Quia illa priuata opinio non excludit intentionem cõfiteudi illud secundum omnem eius malitiam. Secus est si solùm intenderet confiteri vt veniale, & cuperet ita persuasum Sacerdoti, quod ordinariè non contingit.

Cum autem dubitat an commiserit, & tãquam dubiũ confitetur, tenetur postea vbi certus fuerit, iterum confiteri. Ratio est, quia dubium crimen & certum mutant totam iudicij rationem. Longè enim aliter censendus reus & puniendus (si tamen puniri potest) qui dubitat an crimen commiserit, aliter qui certo commisit. Vnde etiam fit vt confessio criminis dubij, non sit sufficiens materia Sacramenti. Loquor de dubio negatiuo, nimirum cum in neutram partem potest formari probabile iudicium.

CASVS VII.
Quomodo dubia negatiua sint confitenda?

Confessio Dubiorum.

Respondeo Primò, Scrupulosus in multis potest excusari; quia sæpè potest formare iudicium practicum, quod non potest is, qui mente est tranquilla. Vt in præfenti casu potest inducere in animum se tale peccatum, de quo dubitat, non commisisse; sed scrupulum esse, qui cum torquet: *Scrupulis non esse parendum, &c.*

7 *Quid agat Scrupulosus in dubijs.*

Respondeo Secundò, Absolutè tamen in dubio negatiuo tenemur confiteri, sed sub conditione. Primò, cum peccatum est mortale, & dubitamus an illud fecerimus, an non. Secundò, cum scimus nos commisisse; sed dubitamus sitne veniale, an mortiferum. Tertio, cum scimus nos commisisse, & esse mortiferum, sed dubitamus an simus confessi, an non. In hisce casibus manente dubio negatiuo, hoc est, in quo non possumus probabile iudicium in alteram partem formare, tenemur confiteri, iuxta communem Doctorem sententiam.

8 *Dubitium negatiuum est triplex.*

De Tertio casu, non est dubium; quia obligationi certæ non satisfacimus solutione incertâ.

9 *In tertio, confitenda.*

De Secundò etiam patet: quia vt aliquid censeatur materia necessaria confessionis, non est necesse vt constet esse mortale, vel absolutè putetur esse mortale (distinctio enim peccatorum mortalium & venialium semper habita fuit obscurissima:) sed sufficit vt constet esse peccatum, & non habeatur probabilis opinio esse veniale; tunc enim ob rei obscuritatem, suspectum haberi debet malitiæ mortalis. Nec obstat quòd in dubio æquali homo non teneatur ad onus voti: nam si constat illum, vouisse, sed dubium est an plenè in illud consenserit, tenetur voti, quia præsumitur habuisse sufficientem consensum, si ætas adfit, nisi constet de contrario. Eodem modo si materia erat grauis, præsumitur habuisse sufficientem deliberationem ad peccatum mortale, ita vt teneatur confiteri.

10 *In secundo similiter.*

In Primo casu cum dubitas an commiseris tale quid, an non, probabile mihi est te non teneri confiteri. Ratio est, quia nemo censendus est reus ob crimen dubium, sed in omni iudicio est absoluentus vt innocens; non enim præsumenda sunt in dubio delicta. Ita puto intelligendos Doctores qui hanc sententiam insinuant, nempe Henriques lib. 8. c. 45. & Sà V. Eucharistia nu. 23. Tenetur tamen tunc confiteri, nisi dubium possit deponere.

10 *In primo, nõ teneris confiteri.*

Sed dices, Nemo in dubio tenetur ad onus voti: ergo nec ad onus confessionis.

Respondeo, Ideò in dubio neminem teneri ad onus voti, præcepti, &c; quia par non est vt tantum oneris imponatur cum res est dubia, quantum imponitur cum est certa; quod tamen fiet, si dubius, voto teneretur. At hoc non fit in nostro casu: Non enim in dubio imponitur ei vt confiteatur crimen absolutè, sicut fieri debet cum res est certæ; sed solùm vt confiteatur sub conditione, & sub dubio; quod longè minus est & facilius. Vnde non obligatur ad aliquid quod excedat illam dubitationem, sicut obligaretur dubius voti, si teneretur votum implere.

10 *In dubio nõ teneris ad onus voti.*

CASVS

CASVS VIII.

Confessio speciei & numeri.

Verum in Confessione teneamur explicare species & numerum omnium peccatorum mortalium?

11 Respondeo, Certum est apud omnes, penitentem teneri confiteri distincte omnia quae nouit: unde si sciret distincte species & numerum omnium, teneretur explicare. Nulla enim est ratio cur in quibusdam generibus peccatorum satis sit explicare species subalternas, in alijs etiã oporteat vltimas. Et vnde sciemus in quibus illo vel hoc modo fieri debeat? Vel enim in omnibus sufficeret explicare species subalternas, quod plane fallum: vel in nullis, vel in aliquibus; si hoc vltimum, in quibus, & in quibus non? Itaque nulla certa regula dari poterit. Verum quia pauci norunt omnes illas specierum distinctiones, solum obligantur prout commodè possunt, adhibito examine diligenti pro capacitate personae & causa grauitate.

12 Hinc tamen non sequitur illos debere esse anxios, quia satis est eos facere quod commodè possunt: nec ad amplius tenetur Confessarius.

Sufficit ut Confessarius sciat distinctione venialium & mortalium in genere.

Neque hinc sequitur paucissimos esse idoneos Confessarios: quia si ille solus esset idoneus qui omnes peccatorum distinctiones nosset, nemo esset idoneus. Quis enim nouit distinctionem mortalis & venialis in casibus particularibus? id tamè videbatur maximè necessarium ad hoc iudicium. Vt ergo confiteatur idoneus, satis est vt sciat distinctionem venialium & mortalium in genere, & distinctiones specierum passim à Doctoribus traditas, quae non difficulter ex circumstantijs colliguntur.

13 Numerus exponendus si commodè scribi possit.

Quod ad numerum attinet, is aperiendus, si sciatur: si nescitur, vel non facile in memoriam reduci potest, sufficit dicere numerum verisimilem; vel si hoc non potest, consuetudinem. Sanè in praxi non vidi hac in re tantam difficultatem. Si enim Confessarius est dexter & minimè scrupulosus, facile & speciem & numerum à confitente eliciet, saltem quantum satis est, vt eius statum cognoscat.

CASVS IX.

Variae species peccatorum.

Proponantur varia peccatorum species, & quomodo haec in confessione explicanda?

14 Osculum libidinosum.

Respondeo Primò, Osculum libidinosum, si in sola voluptate illius osculi steter absque desiderio coitus, esse eiusdem rationis seposito scandalo, siue fiat circa coniugatam, siue circa solutam; nec esse necessarium explicare illam obiecti circumstantiam.

Delectatio morosa.

Secundò, Idem semper sensi de delectatione morosa. Quod etiam docet Vasquez 1. 2.

Affectus copulae.

Tertiò, Non tamen idem sentio de affectu copulae, etiamsi ob timorem poenae, vel alia simili causa non velis ad actum externum prodire. Desideras enim in eorde tuo feminam; ac proinde es adulter coram Deo, iuxta Domini sententiam. Ratio est, quia desiderium illud accipit speciem ab opere desiderato tanquam obiecto, & exiret in opus, nisi impediretur extrinsecus.

Quartò, Puto omnes haereses, in ratione haereticis, esse eiusdem speciei: unde sufficere vt dicat, se negasse vel dubitasse de aliquo articulo fidei.

Quintò, Periurium per Deum & Sanctos esse eiusdem rationis. Idem existimo de periurio execratorio & simplici: nam in omni periurio tacite continetur execratio.

Sextò, Blasphemiam in Deum & in Sanctos, immediatè esse diuersae speciei, sicut & laudem & cultum.

Septimò, Probabile est in infamia & iudicio temerario non necessariò explicandã esse speciem peccati de quo infamauit, vel temerè iudicauit. Quia probabile est omnes detractiones esse eiusdem speciei: similiter omnia iudicia temeraria, & contumelias. Etsi enim crimina sint diuersa, opinioniones tamen hominum de te, quatenus sunt contra famam vel honorem tuum, censentur eiusdem speciei; & solum differre secundum magis & minus: sicut variae laciones corporis, vel bonorum fortunae. Tota enim fama est vna species bonorum, sicut diuitiae. Vnde sufficit dicere, Detraxi in materia graui, nec opus est explicare quid dixeris. Ita etiam docet Sã in Romana magistri S. Palatii correptione. Idem probabile de blasphemijs in Deum, ob eandem causam.

Octauò, In speciebus diuinationis, materiale instrumentum non mutat speciem moralem.

Nonò, In incestu, excepto primo gradu cum parente & cum sorore, puto probabile ceteros esse eiusdem speciei.

CASVS X.

Quomodo peccatorum numerus in Confessione sit explicandus?

DE numero, Non est magna difficultas. Nam si absque magna molestia non possit exactè numerum attingere, sufficit dicere rudi modo: v. g. fortè vices, aut circiter, plus minùs: Si hoc non potest, dicat suam consuetudinem, vt Doctores tradunt.

Quando autem agitur de opere externo exequendo, sufficit dicere quamdiu ea in re fuerit occupatus: v. g. Occidi illum, & fui per mensem in eo conatu parando arma, proficiendo, & captando occasionem. Eodem modo si conatus fuerit pertrahere feminam ad turpia.

Quod ad interruptionem attinet, si voluntas tendat ad executionem, non censetur interrumpi nisi per retractationem & mutationem propositi: vt si decreuisti manè non audire sacrum, vel non recitare officium, & sequatur omisio exterior, censetur vnus peccatum, etiamsi decies habueris illam voluntatem; & toties illam alijs cogitationibus intermiseris; Si autem non sequatur executio, sunt diuersa numero peccata. Sed si hic numerus ignoratur, satis est dicere. Fui diu in voluntate non audiendi sacri, tamen postea audiui.

Numerus actuum interiorum difficulter sciri potest, nisi contrarijs actibus fuerint interrupti, Vnde ordinariè explicandus est per durationem temporis, & hoc satis est. Confessarius mediocriter doctus, qui non est scrupulosus, non habet in his rebus magnas difficultates. Quod si sit scrupulosus, etsi doctissimus, vbique haerebit, eritq; anxius.

CONSE-

Consecratio calicis.

CONSECRATIO.

CASVS I.

Cuidam Abbati per bullam Pontificiam concessum, ut possit monasterij sui, siue suorum calices &c. consecrare vel benedicere.

QVÆRITVR, An possit accedente salte Ordinarij licentia similiter externorum calices &c. consecrare vel benedicere?

Respondeo, Verius videri non posse. Quia sicut Ordinarij non potest Abbati dare tale priuilegium (vt communiter Doctores fatentur :) ita neque datum à Pontifice, & restrictum ad certam materiam, nempe ad calices sui monasterij, extendere ad calices suæ diocesis. Eiusdē enim rationis est concedere aliquam facultatem, & limitatē concessam extendere ad aliam materiam. Confirmatur, quia hæc duo priuilegia multum differunt, Possē consecrare calices sui monasterij, & Possē consecrare quosuis permittentibus Ordinarijs. Accedit quod in priuilegijs quæ exorbitant à iure communi strictior interpretatio sit faciendā: vt docet Panor. in Cap. *Quod dilectio*, de consanguinit. Et affinit. Quam sententiam dicit esse certam & communem. Adde tamen, si talis Abbas ex vi talis concessionis, vel quia vitur insignibus Pontificalibus, haberet consuetudinem consecrandi calices quosuis qui ad ipsum deferuntur, posse eam consuetudinem retinere, modò sit legitime præscripta; nempe per 40. annorum spatium cum titulo, vel à tempore immemoriali sine titulo.

CASVS II.

Virum Episcopus vel Archiepiscopus ex causa possit committere consecrationem Virginum Abbati vel alteri non Episcopo?

Videtur posse quia res illa non est tanti momenti; & sæpe grauiiores eius occupationes possunt impedire.

Respondeo tamen breuiter, non posse. Colligitur ex Cap. *Aqua*, de Consecrat. Eccl. & altarium: vbi Gregorius IX. statuit Episcopum non posse committere simplici sacerdoti reconciliationem Ecclesie polluta, etiam si aqua per Episcopum sit benedicta. & contrariam consuetudinē dicit esse corruptelam. Rationem subdit: *Quia licet Episcopus committere valeat quæ iurisdictionis existunt; quæ Ordinis tantū Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus Clericis demandare.* Vnde infert Glossa, non posse etiam illum demandare consecrationem Virginum, quia pertinet ad Ordinem Episcopalem. Idem docent communiter Caponitæ in illud Cap. & in Cap. *Deuotis*, 20. q. 1. & omnes Theologi qui hanc materiam attingunt. D. Thomas in 4. d. 38. q. 1. a. 5. in Corpore ait: *Propter hoc solus Episcopus, cui cura Ecclesie committitur, Virgines desponsat, velando, non sibi, sed Christo, tanquam paranympus & amicus.* Richardus in 4. d. 25. a. 1. q. 1. D. Antonius 3. p. t. c. 2. in principio Paludanus in 4. dist. 38. & ex illo Siluester V. *Consecratio Virg.* nu. 3. vbi ait: *Velare Virgines nullus potest nisi Episcopus; quia ipse est quasi paranympus desponsans Virgines Christo.* Imò hoc Episcopus demandare non possit non Episcopo; quia hoc est ordinationis & conse-

trationis Episcopalis, sicut consecrare Ecclesias, & non iurisdictionis. Idem tenent ceteri Doctores in suis Summis: Fumus V. *Virginum Consecratio*, n. 1. Rossella eodem V. nu. 1. Angelus V. *Consecratio Virg.* n. 1. Deniq; passim idem docēt recentiores: Sà V. *Consecratio* n. 4. & 5. Nec vllum legere me memini auctorem, qui diceret hoc ab Episcopo posse committi Presbytero vel Abbati: quia annexum est Ordini Episcopali, & fundatur in ipsa consecratione, per quam factus est Episcopus, non in Iurisdictione, sicut consecratio Ecclesiarum, altarium, calicum, & similiū, vt constat ex dicto Cap. *Aqua*. De Consecrat. Eccl. & altar.

Fatentur tamen Doctores posse hæc à Summo Pontifice committi sacerdoti: tum quia non sunt essentialiter annexa Ordini Episcopali; tum quia sunt ex institutione Ecclesie.

Nec obstat Cap. *Si iuber*, & sequens, 26. q. 6. ex Concilio Carthaginensi II. & III. vbi apertè dicitur Presbyterum ex commissione Episcopi posse puellas consecrare: quia id correctū est per Cap. *Aqua*. Vnde Glossa ibidem dicit *illud fuisse locale vel temporale: hodie enim solis Episcopis competere.* Idem clarè colligitur ex Pontificali Romano, vbi habetur formula illius consecrationis, foliū; Episcopo tribuitur.

CASVS III.

Virum Puella occultè corrupta, facta professione, & accepto velo virginittatis, possit manere cum ceteris. Item an talis puella possit accipere velum consecrationis?

Respondeo, Possē, & omnino debere: quia verè est professa, cuius professionis vis nō pendet à velo & formā qua velum datur. Imò potuit hoc velum accipere, quia non est velum consecrationis, quod datur solū anno 25. ætatis, idque ab Episcopo cum magna cæremonia; sed est velum professionis. Nullus autem est Canon qui requirat ad hoc integritatem corporis. Accedit quod hæc sit virgo in foro externo.

Verum probabile est posse etiam velum consecrationis accipere. Hoc tamen limitarem, si non potest commodè detestare absq; suspitione corruptionis. Sed hæc consecratio est modò rarò in vsu.

CASVS IV.

An vestes benedictæ lapides & ligna monasterij possint vendi in vsus prophanos?

Respondeo, Vt vestes benedictæ vendantur in vsus prophanos, non aulim concedere; quia est contra reuerentiam rebus sacris debitam. De lapidibus & lignis, quia benedictio perijt, non videtur tanta difficultas. Conceditur passim vt impendantur in ædificationem vel reparationem monasterij. Non est tutum in huiusmodi à communi Doctorum sententia recedere.

Sitamen alicubi vestes sacre venderentur in vsus prophanos, deberent antè dissui, & profusus dissolui, alioquin res non esset tolerabilis.

Societas hæc nullum habet priuilegium præ ceteris monasterijs.

Facile ex vestibus sacris attritis potest aliquid aliud fieri quod Ecclesie seruiat. vt ex duabus Albis veteribus & laceris potest fieri vna bona &c.

CONTRA-

Potesse Pontificem committere Presbytero.

Velum Virginittatis & consecrationis.

4

Venditio rei consecrata.

5

Contra-

Consecratio Virginum.

2

Contractus illicitus bona fide putatus licitus.

CONTRACTVS.

CASVS I.

Virum qui bona fide fecit contractum illicitum, credens esse licitum, possit tantundem sibi detinere ex eo, quod super sortem accepit, quantum fuisset lucraturus ex alio contractu licito?

Opus est distinctione. Alioquin hoc absolute falsum esse, patet hoc exemplo: Emisti anticipata solutione lanam vel aliam mercem infra dimidium iusti pretij, persuasus ab alijs ita posse fieri, nec habes rationem lucri cessantis aut alterius tituli extrinseci; potuisses tamen per cambia vel alijs industrijs tantundem lucrari: certum est te teneri explere iustum pretium. Quia contractus intrinsece est iniquus, cum sit inaequalitas. Similiter si quis persuasus lucrum Bursa esse iustum, deserat iusta mercimonia; & mutuet cum lucro supra sortem, putans hoc per se iustum, sine villo respectu ad interesse. Et ratio est, quia non potest quicquam accipi in contractibus ratione lucri cessantis, quando illud non est generatim vel particulatim deductum in aestimationem, quia tunc non censetur pars pretij, aut rei quae venit in contractu.

CASVS II.

Contractus venditionis.

Mercatores ineunt contractum venditionis panni cum Rege, quo dant vnam pannum 60. assibus vel 61. ea lege vt nomine recompensa Rex in singulas vlnas det 27. asses, iuxta proportionem consuetam.

QVAERITVR, An illud iurum sit iustum?

Respondeo, Hic opus est distinctione: Si enim Rex debet illos 27. asses ex iustitia aliunde, licite potest tale pactum in venditione panni apponi. Verum non apparet ob quem titulum possit haec summa determinata esse debita; nisi forsan ratione interesse: quia venditio fit credito, & ad 4. menses differtur solutio vel tota vel ex parte. Sed hoc interesse videtur exorbitans: nam erit 25. in singulos centenarios intra 4. vel 5. menses. Vnde intra annum facile lucrabitur 100. in 100. & amplius; quod nescio cui non posset videri enorme, & excedens omnem iustitiae modum. Quod si non debetur ex iustitia, non potest poni in contractu vt ex iustitia debeatur. Nam tunc re vera, & secundum aestimationem moralem, habet nomen pretij, vt facile potest explicari exemplis vsurae, & simoniae. Vnde re ipsa, sepositis nominibus, vna pannum 60. assium vendetur 87. qua ratione lucrabuntur 45. in 100. in quouis contractu.

CASVS III.

Contractus venditionis adiecta poena.

Titius Iuuenis 23. annorum, egens pecunia, agit per amicum suum Caium cum Sempronio, vt ab eo pecuniam accipiat. Sempronius per suum actorem Andream vendit illi ligna ducentis libris Anglicanis solendis intra sex menses, addita poena ducentarum librarum, si intra illud tempus non solu-

uerit. Sciebant Titium non fore soluendum. Itaque cum non solueret elapso termino, incurrit poenam. Titius per suum amicum Caium reuendit ligna Sempronio, seu eius actori Andreae, pro 120. libris. Pater Titij vocat actorem Sempronij in ius, quod fraudem videretur fecisse filio. Post multas utrimque expensas, offeri Pater Titij sexto anno post 240. libras in commodum Sempronij.

QVAERITVR, Ad quid teneatur Sempronius, cum deductis expensis litis solum lucratus sit decem libras?

Respondeo, Multa hic inuolui, quae seorsim sunt consideranda.

Primò, Si ponamus potuisse ligna illa iuste vendi 200. libris pretio summo: non poterunt ab eodem venditore redimi 120. libris. Non enim potest esse tanta distantia inter pretij summum & infimum, iuxta communem aestimationem. Sed si pretium summum iudicio intelligentium erat 200. librarum, infimum erit 170. vel 160. Quo posito, si Titius soluisset illas 200. libras, deberent ei 30. restitui.

Secundò, Non potuit exigi illa poena à Titio, cum scirent illum absque sua culpa non fore soluendum. Itaque fuit facta iniuria Titio cum illa poena exacta fuit. Non enim potest constitui poena, neque constituta exigi in contractibus, nisi debitor committat culpam, non soluendo intra terminum elapsum.

Hinc sequitur, Sempronium teneri ad restitutionem damni ex lite secuti, si lis intentata fuit à patre Titij ad euitandam solutionem illius poenae: quia iniuste illam litem sustinuit Sempronius contra patrem Titij ad obtinendam solutionem poenae.

Excusari tamen posset à restitutione illius damni Sempronius, si bona fide putauit se illam litem posse sustinere, ob consuetum sibi usum fori externi in huiusmodi poenis, vel ob aliam causam: ita vt non peccauerit, saltem mortifere, illam sustinendo: quia tunc non fecit formalem iniuriam illam sustinendo. Item, si lis illa fuit intentata ad elidendum totum debitum. Nam Sempronius potuit sustinere litem, saltem quae parte agebatur de pretio lignorum, & de interesse illius pretij: vt si pro certo illud impendisset ad alia lucra, si tempore debito solutum fuisset. Haec enim omnia sunt consideranda vt aliquid certi de quantitate restitutionis possit statui.

Ex his patet Primò, Sempronium posse ex dicta summa 240. librarum, quas accepit à patre Titij retinere quantum erat pretij summum & rigorosum lignorum, quae per Andream Titio vendidit. Quantum autem id sit, à peritis aestimandum.

Secundò, Posse etiam retinere vel exigere aestimationem lucri cessantis, vel damni emergentis, ex eo, quod pretium illud, intra terminum statutum non fuit solutum; & postea per sex annos dilatum. Intellige tamen, si culpa lata Titij, vel patris eius, pretium non est solutum, & re vera Sempronius illud utiliter impendisset. Itaque facienda erit aestimatio illius lucri cessantis, vel damni emergentis, & tantundem ex illa summa detrahi potest & retineri à Sempronio.

Tertiò, Si nulla culpa commissa est in dilatione solu-

Titius

3
Pretium redemptio- nis est hic nimis vile.

4
Poena fuit per iniuriam adiecta.

5
Hinc Sempronius tenetur ad expensas litis.

6
Excipio casus.

7
Sempronius retinere potest pretium rigorosum.

8
Item lucra cessans.

9
Excipio casus.

ne solutionis, nihil ex hoc capite potest Sempromius exigere.

Quartò, Si malà fide sustinuit illam litem, exigendo penam 200. librarum; tenetur ad expensas litis, quas pater Titij eo nomine incurrit.

CASVS IV.

Titius non soluit Canonem ex contractu elocationis perpetuæ.

QVAERITVR, Vtrum ex non solutione amittat in hac elocatione vile dominium?

Contractus perpetuæ elocationis.

6 Respondeo, Cùm iste contractus sit contractus elocationis perpetuæ, qui distinguitur secundum lura à contractu Emphyteuscos, non potest locator vti iure contractus Emphyteuscos; ac proinde ex eo quòd Emphyteuta amittat Emphyteusim, non soluendo Canonem per tres annos, non potest concludere etiam in hac elocatione vile dominium amitti ex non solutione. Neque verba illa, Quamdiu soluerit Canonem, permittimus illi usum fructum &c. sufficiunt, vt à contrario sensu inferamus rem esse commissam, si aliquot annis non soluerit: nimis enim dura est illa interpretatio: sed solum significatur posse retrahi, si monitus absolure nolit amplius soluere.

CASVS V.

Rusticus conductor agrorum, nesciuit alicui parti illorum maius decimarum onus impositum, quam reliquis: & haecenus bonà fide non soluit, neque exactum fuit amplius.

QVAERITVR, An ad aliquid teneatur in praeteritum, vel in futurum? & an possit damnum sarcire à locatore?

Contractus elocationis ignorato onere decimarum.

7 Respondeo, Istum rusticum conductorem ad nihil teneri, neque in praeteritum, neque in futurum; nisi constiterit re vera tale onus inesse. Vnde, cùm lis ea de re sit mota, ad nihil tenetur, donec lata fuerit sententia, aut aliunde moraliter certum fuerit partem illam tale onus habere. Quod addo: Quia sufficit vt de re constet, etiamsi sententia ob aliquam causam lata nõ fuerit, vel actor defectu probationis destitit prosequi litem.

8 Vtrum autem possit hoc damnum sarcire à locatore, pendet ex forma contractus. Si enim locator simpliciter locauit non specificatis oneribus, sed generatim vt conductor solueret omnes decimas soluendas, &c. non tenetur locator sarcire; nec potest conductor vti compensatione. Nisi fortè illud detrimentum sit tantum, vt conductor nollet tanti conducere, si sciisset. Tunc enim ratione illius deceptionis, possit detrudere de pretio conductionis, quanti minoris conductor fuisset, si sciisset. Idem dicendum si in contractu expressè fuisset dictum, vt non teneretur ad alia onera, quam ad ea, quae tunc temporis erant nota.

Petes Primò, An possit elocator petere restitutionem in integrum, si ipse solum recipiat XI. libras Flandricas, conductor verò recipiat XXVII.

Respondeo, Non videtur dubium quin possit elocator petere restitutionem in integrum saltem pro illis annis quibus conductor recepit XXVII. libras Flandricas, ipse verò solum XI. Idem cre-

Restitutio in inte. gram.

do etiam quando solum accipit XVI. quia est grauis laesio.

Petes Secundò, Si terris ad flumen sitis sensim accrescat terra, fructus ex accretà terrà prouenientes, eruntne elocatoris, an conductoris?

10 Fructus est accretæ terra.

Respondeo, Sicuti accretæ terra ad elocatorem seu dominum agri spectat, ita etiam ad eundem spectant fructus ex ea prouenientes: vnde potest à conductore exigere pretium pro illis fructibus: hæc enim terra non erit comprehensa in primo contractu conductionis.

CASVS VI.

Titius in emphyteusim dedit terras quasdam Caio. Caio illas non colit: ac proinde Titius vt derelicta occupat & excolit.

QVAERITVR, An Titius teneatur repetenti Caio fructus restituere?

Retractio fructuum in emphyteusim.

11 Respondeo, Cùm Titius sit dominus directus illarum terrarum, easque derelictas videat, probabile videtur quòd possit eas excolere, & fructus retinere. Durum enim videtur dominum directum, quando videt bona sua deserta, non posse ea colere in suum commodum, sed teneri emphyteuta restituere fructus detractis solum expensis culturae, & ijs canonibus qui ipsi erant soluendi. Sic enim non plus posset quam extraneus nullum ius habens in illas terras. Sanè in pignore non tenetur fructus computare, cùm sit dominus directus: ergo à pari neque hic.

CASVS VII.

Titius annis abhinc 20. emit domum à Caio 300. aureis. Veritus ne retraheretur à consanguineis Cai, ad fraudandum retractum, egit cum Caio, & conuenit inter eos, vt in instrumento contractus scriberetur pretium 500. aureorum.

QVAERITVR, An Titius teneatur ad aliquam restitutionem?

Fraus in Retractu.

12 Respondeo, Titium non teneri ad vllam restitutionem. Ratio est, quia non peccauit contra iustitiam commutatiuam: quamuis possit videri commississe dolum quendam, quem generali nomine vocant Stellionatum; etsi non putem hunc adeò fuisse grauem, vt pertigerit ad culpam letalè.

Non peccasse contra iustitiam commutatiuam, patet; quia iustitiæ ratio non postulat, vt in instrumento contractus exprimat verum pretium, sed potest poni maius vel minus vero, modò id fiat consensu contrahentium. Nec vllum ius id præcipit. Vnde etiamsi lex civilis concedat ius Retractus consanguineis venditoris (nimirum vt reddito pretio quod emptor numerauit, possint rem sui facere mancipij:.) emptor tamen, etiam interrogatus, non tenetur eis pretium verum indicare, nisi ex virtute veracitatis: neque lex civilis hanc ei obligationem imponit.

12 Retractus habendo non peccat contra iustitiam.

Nec contra vllum ius.

Idem dico de venditore (etsi minor de hoc videatur ratio, eò quòd ipsius non tanti interit retractum non fieri, quanti emptoris) quia nulla talis obligatio inuenitur.

Idem confirmatur à simili: quia si quis emens merces certi generis, v.g. pannum argenteum, simulet se singulas vlnas emere 20. florenis, cùm nõ

13 Idem dico de venditore.

A simili.

emac

emat nisi 13; vel 14, non facit per hoc iniuriā alijs quibusdā emptoribus paratis emere, si verum pretium sciuisent: nec peccat contra Iustitiam commutativam; non enim id facit vt alij plures emant pannum illum, quā valet; sed vt ipse solus emat, & alij magnitudine pretij deterri, nō aufint emere: qua in re sibi consulit. Idē dico etiam si merces improbet & vituperet coram alijs mercatoribus, vt solus emat omnes. Nemo enim cū de notabili commodo agitur, tenetur alteri veritatē aperire, quā cognitā, ille commodū istud impediret, vel ad se pertraheret. Neque mendacium tale censetur perniciosum, sed officiosum.

Si quis tamē habens ius Retrotractus refudisset Caio quingentos, putans eum tanti emisse, teneretur Caius ex Iustitiā restituere ducentos, cū ipse solum trecentis emerit. Ille enim ius habet, vt refuso eodem vero pretio, rem sibi vindicet.

Deniq; Retrotractus facillē eludi potest hac ratione, nimirum, si conueniat inter cōtrahentes, vt res, v. g. domus, ematur quingentis, & illud pretium scribatur in instrumento; sed simul se obliget venditor ad condonandū post contractum ducentos: Atqui eo ferē modo videtur accidisse in casu proposito, vel facillē huc reuocari potest: quia in foro externo censetur domus vendita quingentis: & tali instrumento in foro externo posset Titius petere quingentos, & obtineret. Itaque hoc ipso quo promisit se id non facturum, intercedit hic tacita quaedam condonatio. Omitto alia quæ in hanc sententiam adduci possent.

CASVS VIII.

Dubium
debitum
ex con-
tractu.

Titius à Caio acceperat 100. dato chirographo. Mortuus est Titius & Caius. Huius heredes reperio chirographo petunt ab heredibus Titij solutionē, qui sese nihil debere affirmant, quod solum in libro rationum inueniant.

QUÆRITVR, Vtrum iuste negetur & petatur solutio?

15 **R**espondeo, Heredes Titij si omnino credunt parentem soluisse illos 100. florenos (quod merito credere possunt, cū inueniant id in libro parētis ipsius manu annotatū assignato die certo) non tenentur soluere nisi à Iudice compellantur. Heredes tamen Caij, quia reperiunt apud se chirographum seu obligationē Titij, si omnino credunt non esse solutum, possunt petere in iudicio. Si propter contrarias probationes inierint compositionem v. g. vt soluatur illis dimidium; non possunt reliquum occulta compensatione repetere; quia compensatio locum non habet nisi vbi certa est iniuria: hic autem non est certa iniuria.

CASVS IX.

Mendacium
mercatorum.

Vtrum mercator interrogatus ab alio mercatore teneatur fateri scientiam priuatam de pretio mercium aliarum Prouinciarum, si negatio vergat in damnum interrogantis?

16 **R**espondeo, Mercator qui rogatus ab alio de pretio frumenti in tali Prouinciā, respondit minus pretium, & dixit ibi esse magnam frumenti copiam, ne alter eō suum frumentum destinaret; siquē contingeret ipsum suum frumentum, quod

ibi habebat, minoris vendere; non videtur cogendus ad restitutionē. Receptum enim est inter mercatores, vt veritatem in huiusmodi non aperiant; quia id in eorum damnum cederet.

DEPOSITVM.

CASVS I.

Petrus Edilis depositam apud se habet pecuniam Ecclesiæ.

Depositum
vltus.

QUÆRITVR, An possit ea vti in suum, vel in publicum commodum?

Respondeo Primò, Qui pecuniam Ecclesiæ accepit in custodiam per modū depositi, nō potest ea vti in suum vel aliorum commodū absque consensu Rectoris Ecclesiæ: & tenetur illam restituere quando repetita fuerit. Quod si non restituerit, & inde lucrum cesset Ecclesiæ, eō quod illa pecunia fuisset impensa in emptionem censūs, vel rei fructifera; tenetur ad interesse, quia est in mora; sicut fur qui alienum detinet. Confirmatur, quia si illa pecunia non esset expensa, sed adhuc extraret apud depositarium, & depositarius nollet illam reddere cum expetitur, teneretur ad interesse: ergo etiam tenetur postquam expensa est: quia quod sit expensa, hoc non potest præiudicare Ecclesiæ, cū sine eius consensu id factum sit.

Respondeo Secundò, Non refert quod illa deposita pecunia in publicum commodum expensa sit: quia commodum publicum non debet solius Ecclesiæ expensis, sed publico sumptu procurari. Vnde communitas debet contribuere, vt nō sola Ecclesiatorum onus ferat. Similiter non refert quod hac ratione communitas fuit defensa à milite, & ita non fuerit coacta cum magno Ecclesiæ incommodo confugere ad Ecclesiam: quia Ecclesia non tenetur gratis illud refugium permittere: imò communitas debet potius contribuere ne cogatur Ecclesiam conspurcare.

Respondeo Tertiò, Non solum tenetur ad interesse ex eo tempore quo detentio cepit esse damnosa Ecclesiæ; sed etiam tenetur ad auctarium, si specierum valor auctus est, & ipse promisit se eadem species restitutum. Ratio est, quia absque consensu Ecclesiæ illam pecuniam expendit, & ita fuit illi causa damni: si enim illam pecuniam custodisset vt depositam, sicut tenebatur ex contractu, creuisset in Ecclesiæ commodum.

Addo tamen, Ecclesiam quoque pro sua parte in sumptum venire debere. Et hac ratione posset fortè aliquid detrahi restitutioni, siue quoad monetæ augmentum, siue quoad interesse pensionis.

CASVS II.

Ex qua culpa teneatur depositarius si forè depositum deponenti sartum reatum non praestiterit? Item, An quis possit se obligare ad custodiam depositi cum damno Reipublicæ?

Respondeo Primò, Quando depositum factum est in commodū solius deponentis, & depositarius nihil inde percipit vtilitatis, depositarium nō teneri nisi ex culpa graui vel dolo, si forè depositum deponenti sartum reatum nō praestiterit. l. 1. Depositi. Estque communis Doctorū sententia, Ita-

tia. Itaque quando maior vis ingruit, aduersus quã, sine grauissimo damno non potest depositum tueri, extra omnem culpam est si illud à se dimittar: nõ enim cum tanto suo damno videtur illius custodiam voluisse præstare, cum nullum inde commodum esset percepturus. Actus enim agentium non operantur vltra intentiones eorum, vt Doctores dicunt.

Respondeo Secundo, Quemlibet posse se obstringere ad custodiam depositi, etiam cum manifesto periculo & damno rerum propriarum quarum est absolutus dominus, & liberã habet dispositionem: non tamen cum damno publico, quia non est dominus honorũ Reipublicæ sed solum administrator, etiamsi sit Rex aut Princeps in temporalibus superiorẽ non agnoscens. Vnde absque consensu Reipublicæ, seu eorum qui Rempub. representant, vt apud Belgas sunt Status Generales, non potest facere aliquas promissiones in præiudicium boni communis; vel si aliqua facta sunt, quas rerum successus ostendit in damnum publicum celsuras, non tenetur eas seruare; imò per se loquendo, nec potest. Sicut enim non potest bona subditorum in suum commodum conuertere, ita non potest ea suis priuatis cõtractibus periculo bellorum vnã cum vitã ipsorum exponere. Tenetur enim omnis Princeps Reipublicam administrare prout expedit ad bonum commune, & non aliter. Et hic est scopus quẽ in omnibus spectare debet. Hoc enim est discrimen inter Principem iustum & tyrannum, quod Princeps iustus spectet in omnibus bonum commune Reipubl. cui conseruando & promouendo est præpositus: tyrannus spectet commodum & honorem suæ personæ.

Ex quibus manifestè consequens est, Principem non teneri coram Deo, & apud Sapientes, promissione quam priuatim fecit, nisi quantum commodè potest absque damno publico.

HÆRETICORVM CVM CATHOLICIS CONVERSATIO.

HABITATIO.

CASVS I.

An liceat Principi seu potestati publicæ concedere hæretico ob artem vel scientiam habitationem in locis suæ iurisdictioni subiectis?

Respondeo, Non licere Principi seu potestati publicæ concedere hæretico habitationem in locis suæ iurisdictioni subiectis, etiamsi ille præclara arte instructus sit. Nam otis consistendo intra Iuris naturalis limites nõ videatur illicitum, modè caueatur vt absit periculũ contagij, tamen est aperte contra Ius Ecclesiasticum, & contra iuramentum quod præstare debet potestates seculares. In Concilio enim magno Lateranensi sub Innocentio III. c. 3. sic dicitur, *Moneantur & inducantur, & si necesse fuerit, per censuram Ecclesiasticam compellantur seculares potestates cuiuscumque officij, vt reputari cupiant & haberi fideles, ita pro defensione fidei præstent publicè iuramentum, quod de terris suæ iurisdictioni subiectis, vniuersos hæreticos ab Ecclesiã denotatos, bonã fide pro viribus exterminare studeant; ita quod amodo quando-cumque quis fuerit in potestate suæ spiritualis suæ temporalem assumptus, hoc teneatur Capitulum firmare, & cetera quæ sequuntur.*

Neque hic fit vlla exceptio artis aut scientiæ

sicut nec secundum rectam rationem fieri debet: quia ob aliquod temporale compendiosum, fides aut Religio periclitanda non est: præsertim cum hæretici, qui magno sunt ingenio, plurimum nocere possint, etiam occultè & obiter.

Accedit quod leges seruandæ sunt iuxta tenorem verborum, nisi aliquid contrarium intentioni legislatoris inde obuenerit: vt si maius malum fecuturum valdè probabiliter timeretur; quod hic non videtur locum habere: non enim magnum malum, quod alioquin hæretici ea arte fruuntur, nisi fortassis talis esset ars illa, vt per eam graua damna essent Catholicis inferenda; vt si quis esset valdè peritus constandi tormenta bellica, vel conficiendi pulueris tormentarij, & similes non reperirentur apud hæreticos.

Neque dici potest illam constitutionem Concilij non esse receptam: constat enim receptam esse, & à Catholicis Principibus hoc iuramentum præstari. Quod si à quibusdam potestatibus secularibus interdum non præstetur, negligentia est & abusus: neque idcirco constitutio Concilij definit illos obligare.

Neque hic viget quod dicatur S. Hieronymus cum Iudæis familiariter cõuersatus, & ab ijs multa arcana didicisse. Quia D. Hieronymus non fungebatur potestate publicæ, vt ipsius esset admittere vel expellere Iudæos. Deinde, non nego quin priuatus possit aliquid discere ab hæretico iam inter Catholicos commorante, si aliunde non potest & absit periculũ peruersionis; vt D. Hieronymus absque periculo animæ suæ à Iudæis multa didicit. Sed hic quæritur an liceat potestati publicæ dare hæretico facultatem commorandi inter Catholicos; quod dico non licere, maxime ob constitutionem Concilij.

Neque etiam excusat quod fortè talis inter Catholicos possit conuerti: quia facilius vnus hæreticus peruerteret Catholicos multos, quã Catholicus multi vnũ hæreticum conuertent. Alioquin cur Apostolus ad Titum 3. v. 10. post vnã vel alterã correptionem iubet eum de uitari, tanquam subuersum, & proprio iudicio condemnatum; idque quia sermo eius tanquã cancer serpit? Cur S. Ioannes Euangelista epistolæ suæ secundæ v. 10. & 11. nec Aue vult ei dici? Cur Dominus Matth. 18. v. 17. vult eum haberi tanquam Ethnicum & Publicanum? Rarissimè abest omne periculum contagij, præsertim quando sunt homines ingeniosi, & ab aliqua scientia vel artificio auctoritatem sibi vindicant. Debent igitur Superiores quantum possunt eos expellere & exterminare, & nullo modo ad suas ditaciones admittere.

CASVS II.

Virum Serenissimus Princeps possit bonã scientiã permittere, vt mercatores Angli negotientur Antuerpiæ, & ibidem commorentur, sicut olim consuetum?

Videtur non posse id permittere, quia periculum est ne ciues inficiant, cum plerique illorum sint hæretici.

Sed si quis re penitus inspiciat, non videtur esse vlla iusta ratio dubitandi cur non possit permittere, & etiam eos inuitare in cõmodum primarij sui emporij, quod alioquin hoc tempore extremam videtur minari ruïnã.

Qui Primè,

Non excusat artem aut scientiam.

Leges seruandæ iuxta tenorem verborum.

Soluuntur obiectio- nes.

Exemplum S. Hieronymi.

Spes conuer- sionis.

Comer- cium hæreticorũ in emporio Catholico.

4

Possunt Angli mercatores Antuerpiã.

Princeps non potest bonã Reip. quorum solum est administrator, & cetera.

Habitatio hæretici inter Catholicos.

Concil. Lateranense dicitur id prohibet.

Roma & in Polonia permittuntur Iudæi.

Primò, Summus Pontifex in ipsa Religionis Christianæ arce Roma permittit tot millia Iudæorum, qui quotidie per urbem discurrunt, & cum ciuibus exterisque negotiantur. Idem facit Rex Polonite in primarijs regni sui oppidis. Neq; quiscumque Doctorum censet eos hac in re suam ledere conscientiam. Cur nõ possint Antuerpię permitti aliquot mercatores Angli causâ negotiationis? Maius enim est periculum scandali à Iudæis, quibus omnes sui ritus permittuntur, & fixam omnino sedem habet, & linguam probè norunt, & magnum suę Religionis zelum habent quàm ab istis mercatoribus, qui plerumque parùm Religionis suę sunt addicti, & linguam patriam ignorant, & pauci sunt numero.

In Hispania tollerantur mercatores hæretici.

Secundò, In ipsa Hispania, ubi maximè Religionis Catholicæ cauetur, permittuntur tales negotiatores; nec quisquam idcirco Regem accusat. Cur ergo non possint hæc admitti, ubi ipsa necessitas cogit admittere maiorem libertatem quàm in Hispania. Possit enim Rex Hispaniæ, si vellet, non admittere viros hæreticos, & expellere omnes; tamen propter bonum regni sui non facit. Hic autem maximo numero admittuntur.

Tolerantur eos in Belgio Carolus V. & Philippus II.

Tertiò, Tempore glor. mem. Caroli V. Imperatoris permitti fuerit: & cum anno 1550. graui edicto hæreticos perculisset, propter quod etiam Angli excessuri erant, paucis tamè mensibus post, de re tota per sororem Mariam Hungariæ Reginam, probè instructus; edictum suum mitigauit, declarans illud ad mercatores exteros nõ extendi. Pari modo permitti fuerit sub imperio Philippi II. Cur ergo nõ possent permitti? Si enim Carolus V. & Philippus II. bona conscientia eos admittere potuerunt, cur non etiam sua Celsitudo possit? maximè cum modò sit longè maior necessitas.

Hollandiis id permittitur.

Quartò, Sua Celsitudo permittit omnes negotiatores imò omnes hæreticos Prouinciarum vnitatarum liberè versari, nõ solum Antuerpiæ, sed etiam per totam regionem; à quibus tamen longè maius periculù peruersionis imminet Catholicis: quia linguam norunt, & amicos habent, & longè familiarius, quàm exteri, cum omnibus versantur. Si illi passim permittuntur, & tãto numero, à quibus longè maius est periculum, & parum comodi: cur non possint vno loco pauci quidam admitti, à quibus nihil ferè periculi Religionis, & maxima spes comodi, ac restitutionis nobilissimi empori, alioquin, vt nunc videtur, tendentis ad ruinã, cum maximo Principis & regionis totius damno.

Nullum hinc periculum Religionis.

Quintò, Hactenus non est intellectum aliquos ex ciuibus vel incolis ab Anglis Antuerpię fuisse peruersos: sed è contrario constat plurimos ex illis ab heresi ad Religionem Catholicam conuersos. Ergo vel ob hanc solam causam, nempe ob spem conuersionis, bonã conscientia admitti possent, etiam si nihil comodi temporalis ab illis ciuitati esset obuenturũ. Charitas enim Christiana suadet vt ubi tãta spes boni spiritualis & salutis animarum affulget, à Principe non negligatur.

Catholici negotiantur inter hereticos.

Sextò, Longè maius est periculum peruersionis cum nostri mercatores ad hæreticas regiones proficiscuntur, & ibidem cum hæreticis versantur, & comorantur. Ibi enim est summa libertas, & nihil ferè nisi blasphemias & disputationes in Catholicam Religionem audiunt: Vnde hæc maximè ratione initio hæreses introducunt, nimirum ab incolis alibi infectis. Itaque si conscientie & Religionis

ratio habeatur, prohibendi essent potius incolę ne in regionibus hæreticis negotientur; quàm excludendi exteri à regione Catholica. Parùm enim ex illorum commoratione periculi, eò quòd non audeant liberè loqui, vel disputare contra Religionem Catholicam, & plerumque lingua eorum plebi sit ignota; & ipsi toti negotijs suis sint intenti.

Quare hæc non sit timendum Antuerpia.

Septimò, Quæ omnia maximè locum habent hoc tempore propter copiam Doctorum & piorũ virorum, qui publicè & priuatim, omnem etatem, diligenter in Religionis negotio instituant, & omnes hæreticorum versutias detegunt, adeò vt non sit metuendum Antuerpię hæresim facturam progressum; sed summo operè sperandũ eam sensim extinguendam, vel saltem valdè debilitandam.

Euitabuntur multa incommoda.

Octauò denique, Si suprãdicti mercatores non admittantur, multa timenda sunt incommoda, nõ solum temporalia, sed etiã spiritualia. Multorum enim affectus à Principe auertetur, tanquam qui de industria tam nobile emporium velit perdere, cum facillè possit illud erigere & saluare. Multi per iram & impatientiam Principi omnia dira imprecabuntur: & quia prætextu saluandæ Religionis dicetur id fieri, etiã ab ipsa Religione animo alieni reddentur, & ad loca hæretica se transferent.

Quibus omnibus consideratis, non solum videtur Princeps posse, sed etiam debere permittere, vt ista negotiatio permittatur; adhibita eã moderatone, quę aliã propõsita fuit.

STVDIOSI. CASVS III.

Virum Catholicum Philosophiæ Professor in hæretica Vniuersitate qua nec à Pontifice neque à legitimo Rege instituta est, post discipulos suos præmissis examine promouere ad Magistrum seu Doctoratũ Artium, hac formã: Ego N. Artium Magister, nomine & auctoritate Facultatis artium, creo te Magistrum artium, & Philosophiæ Doctorem, & porrecto libro Aristotelis facit eidem potestatem docendi Philosophiã, ac de eius questionibus publicè disputandi.

Promotio in Vniuersitate hæretica.

Respondeo, Videri id per se illicitum. Primò, Quia ad creandum Magistrum vel Doctorem artium, requiritur legitima auctoritas, sicut ad creandum Nobilem, Baronem, Comitẽ: atqui in illa nuncupata Facultate artium non est legitima auctoritas; cum hæc nõ habeatur nisi à Pontifice, vel certè à Principe, aut consentiente etiam Principe, vt constat consuetudine recepta in populo Christiano. Ratio est, quia Doctoratus seu Magistrum, non est solum nudum testimonium eruditionis, sed est dignitas quædam & nobilitas ratione doctrinæ collata, vt passim DD. docent; quam in Republica nemo conferre potest nisi auctoritate Principis Ecclesiastici, cuius est vbique curare vt ea doctrina tradatur quæ fidei orthodoxæ non repugnet. Præterea, etiam requiritur consensus Principis secularis in Vniuersitatibus secularibus; quia eius quoque interest quinam in eius ditionibus ad hos honores promoueantur. Secundò, Id per se illicitum videtur, quia per talem actum conciliatur auctoritas Vniuersitati hæreticæ.

Per se est illicitum.

Si tamen

Ex circūstantia potest esse licitum.

Si tamen circumstantia spectetur, videri potest licitum; nempe si id fiat ad maiora mala euitanda: vt si non possit omitti, nisi is qui docet, relinquat professionem, & tunc successurus sit aliquis hereticus, qui heresim studiosis infilllet. Tunc enim ceteri possunt Pontifex & Rex seu Princeps ratum habere ad maius malum vitandum: Quod si ille potest declinare hanc promotionem sine tali incommodo, tenetur abstinere.

ramento professionis fidei renuntiare, protestatio est perfidia: & iuramento Vniuersitatis renuntiare, iniurium est Vniuersitati: nec propter hanc renuntiationem desinet obligatio iuramenti. Hinc sequitur, graue esse peccatum abiurare hæc iuramenta, id est, iurare se non habere ea pro legitimis, & nolle seruare.

Est graue peccatum

FESTA ECCLESIAE.

CASVS IV.

An Absolutio seu dispensatio iuramenti facti à Studiosis dum gradus recipere in Vniuersitatibus Catholicis, peti possit à Ministris hæreticis, vel Magistratu hæretico?

Absolutio Studioforū à iuramento per Ministrum hæreticum.

13 Quinam possint tollere vinculum iuramenti.

Respondeo, Negative. Primò, Quia nemo potest vinculum iuramenti tollere seu in eo dispensare, nisi pars in cuius fauorem facta est; vel Prælati Ecclesiastici qui id auctoritate diuinitus accepta faciunt; vel Princeps, qui interdum in poenam partis liberat alteram partem à iuramento. Sed nullo horum titulorum id possunt in hoc casu Ministris hæreticis eorumque Magistratus: ergo.

Secundò, Quia petere absolutionem seu dispensationem iuramenti ab ipsis, est suo facto agnoscere, & profiteri in ipsis esse aliquam iurisdictionem spiritualem ligandi & soluendi. Atqui hoc est omnino illicitum: nam hæreticum est dicere in Ministris illis, vel Magistratu, esse spiritualem potestatem ligandi & soluendi. Maior patet, quia ab ipsis non peteretur absolutio tamquam à parte, in cuius fauorem iuramentum factum est: neque etiam tamquam ab habentibus iurisdictionem in eos in quorum fauorem factum est; sicut interdum Princeps potest subditum liberare vinculo iuramenti quod factum alteri suo subdito in iustam poenam: ergo tamquam ab habentibus iurisdictionem spiritualem, & potestatem ligandi & soluendi. Confirmatur, quia alioquin liceret etiam petere ab illis absolutionem peccatorum, & dispensationem in votis, & similia.

Petere absolutionem à iuramento, est hic agnoscere iurisdictionem spiritualem.

14 Iniurius est Deo & Vniuersitati petens talem dispensationem.

Tertiò, Quia iuramenta quæ sunt in promotionibus, Partim sunt de retinenda professione fidei iuxta formulam ordinariam; quæ iuramenta sunt Deo & Ecclesiæ; & ab horum vinculo nemo potest liberare, & nemo petere liberationem, quia non potest subesse vlla ratio liberandi: Partim in fauorem Vniuersitatis; & ab his etiam nemo potest inuita Vniuersitate, nisi legitimus Superior Ecclesiasticus, idque ex iusta causa: ergo petendo ab his liberationem, agnoscunt & habent illos pro veris Superioribus: quod omnino illicitum est.

Finis huius dispensationis est illicitus.

Quartò, Quia tota illa constitutio hæretici Magistratus, qua imperatur vt studiosi in Catholicis Vniuersitatibus promoti, talem absolutionem vel dispensationem à se, vel Ministris suis petant, eò videtur tendere, vt promoti ad gradus agnoscant Ministros vel deputatos pro legitimis Superioribus habentibus auctoritatem eximendi à iuramentis huiusmodi, tanquam hosti factis; vel potiùs vt eis renuntient tanquam illicitis & nefarijs, eaque abiurent: nam non apparet quis posset esse alius vsus huius absolutionis petendæ. Atqui hoc penitus est illicitum: nam iu-

CASVS V.

An hæretici teneantur præceptis Ecclesiæ de clandestinis matrimonijs? Item de Ieiunio & abstinentia ciborum? Item de audiendo sacrificio Missæ &c?

Hæretici obligantur præceptis Ecclesiæ.

Respondeo ad Primum, Certum est hæretici matrimonium, in loco vbi decretum Concilij Tridentini de clandestinis matrimonijs est promulgatum, esse invalidum si fiat absque Parocho: vnde cum redeunt ad Ecclesiam, coram Parocho & testibus est renouandum. Apertè id colligitur ex decreto Concilij Qui aliter quam præse Parocho. Quod decretum etiam hæreticos cõstringit. Cur enim per heresim sint exempti Ecclesiæ legibus? Sicque ante 24 annos responsum Romæ pro Belgio, & in præxim reductum.

15 Clandestina hæreticorum matrimonijs sint irrita.

Respondeo ad Secundum, Hæretici non minus ligantur his legibus quàm Catholici. Vnde toties peccant mortaliter quoties ieiunium violant, vel carnes die ieiunij comedunt. Non enim par est vt ipsorum malitia proficit illis ad exemptionem ab Ecclesiæ obedientia.

16 Tenentur præceptis Ecclesiæ.

Respondeo ad Tertium, Hinc tamen non sequitur eos obligari interesse rei diuinæ, quia id ab Ecclesiâ illis prohibetur; nec est vlla ad id obligatio nisi ex Ecclesiæ præcepto; quod præceptum cessat quando ob aliquam causam contrarium præcipit.

Non tamen interesse rei diuinæ.

CASVS VI.

An aliter liceat vti diebus festis operâ hæreticorum, quàm Catholicorum?

Conductio operarū die festo.

Respondeo, Non aliter licet vti diebus festis operâ hæreticorum, quàm Catholicorum: quia hæretici non minus obligantur præceptis Ecclesiæ quàm Catholici. Vnde quando est talis necessitas vt liceat Catholicos operi admouere diebus festis, licitum etiam est adhibere hæreticos ibidem habitantes, præsertim si alij commodè haberi nequeant. Loquor autem de eo, qui non tenetur, vel qui non potest eos expellere: nam is qui & potest & tenetur eos expellere, non potest eorum operâ vti, nisi fortè ad breue tempus, idque si aliter res suas expeditas habere nequiret, præsertim quæ publico bono sunt necessaria.

17 Nulli licet magis vti operâ hæreticorum die festo, quàm Catholicorum.

Multò minus id licet is qui potest vel debet hæreticos expellere.

Si quis autem putet diebus festis licere vti operâ hæreticorum potiùs quàm Catholicorum, eò quod hæretici non sint dies festos seruaturi, fallitur: quia non licet petere ab hæretico, quod ipse sine peccato præstare non potest: atqui non potest laborare die festo sine peccato, si tunc Catholicus non posset; quia non minus obligatur præceptis Ecclesiæ, quàm Catholicus.

18 Hæretici aequè ac Catholici obligantur præceptis Ecclesiæ.

Mancipia Christiana non possunt diebus festis occupari.

Neque verum est posse dominum mancipia Christiana diebus Festis occupare; nisi necessitas excuset: quia etsi mancipia excusentur ob domini metum, dominus tamen non excusatur; quia tenetur curare vt festa non violent, multoque magis cauere ne illis ipse sit auctor violandi.

Non Excusat quod sponte sunt Hæreticus sic operaturus.

Nec obstat quod hæreticus ille sua sponte die festo sit operaturus; quia id non est facturum, nec potest facere sine peccato, vnde non potest ad hoc conducere.

19 Primus potest hic negatus se habere.

Potest tamen priuatus aliquis opus aliquod dare faciendum siue hæretico siue Catholico, quamuis putet illum etiam die festo in hoc opere verfatum; modò illum ad hoc nullo modò inducat; & ille nihilominus aliquid erat operaturus; tunc enim merè passiuè se habet ad illam festi violationem.

Non tamen superior.

Hoc tamen intelligendum est de eo qui non tenetur curare vt ille festum seruet, & à seruilis opere ablineat: qui enim tenetur id curare, vt superior, non potest permittere, sed debet cogere vt festos dies non violet.

Translatio Festorum illicita.

FESTA ECCLESIAE.

CASVS VII.

An liceat Catholicis in locis hæreticorum transferre Pascha & alia mobilia festa, eò quod hæretici antiquum Kalendarium velint seruari?

20

Respondeo, Vbi Kalendarium Romanum Gregorij XIII. est receptum, & vsu annorù comprobatum, non possunt Catholici Pascha, & alia mobilia festa transferre, eò quod hæretici antiquum Kalendarium velint seruari. Quia hæretici non possunt legem illam de celebrandis festis talibus temporibus abrogare; sicut nec Natalem Domini trāsferre. Itaque, cessante graui periculo, tenentur Catholici suis temporibus ea celebrare.

Aperire officinam die festo.

CASVS VIII.

An liceat Catholicis in locis hæreticorum, diebus festis ab Ecclesia præceptis, suas officinas aperire?

21 Si præceptum hoc sit partiale.

Respondeo Primò, Si Magistratus hæreticus mihi in particulari præcipiat vt die festo ab Ecclesiâ Catholicâ præcepto aperiam officinam: vel id facit in contemptum Ecclesiæ; vel non. Si in contemptum Ecclesiæ, idque aliquo signo externo prodat, v. g. vt abroget superstitionem Papisticam (vt loquuntur) quam ego seruo; non possum obedire, vt passim omnes D. D. docent. Quia obedire cum his circumstantijs, est exequi prauam voluntatem Magistratus in cõtemnendis Ecclesiæ mandatis. Si ob aliam causam præcipiat, v. g. vt merces non desint, vt sit vniformitas in ciuitate, possum obedire.

22 Si generale.

Respondeo Secundò, Quod si per statutum generale præcipiatur vt talibus diebus officinæ aperiantur, v. g. omnibus diebus præterquam Dominicis. Possum obedire, si absque graui damno non possem omittere. Quia quando est generale præceptum, non censetur statim quiuis in particulari obedire quo ad modum operis seu finem extrinsecum à legislatore intentum, sed solum secundum substantiam. Debet tamen abesse scandalum.

CASVS IX.

An liceat Catholicis ibidem officinas suas claudere iussu Magistratus die dicato orationi hæreticorum?

Claudere officinas die Praecum hæreticorù.

Respondeo, Id licere, quando graue damnum ex contrario impenderet; et mihi in particulari præciperetur. Solum enim iubeor hic abstinere ab aliquo opere publicè obeundo.

23

CASVS X.

An liceat Catholicis canere Psalmos in conuiuijs?

Cantus Psalmorum.

Respondeo, In conuiuijs canere Psalmos duplici ratione potest esse illicitum. Primò, ratione scandali; quia videtur professio hæreseos. Secundò, ratione præcepti Ecclesiæ: prohibentur enim tales libri, & consequenter vsus eorum quæ illis continentur; etsi forte tale præceptum ibi non fuerit vnquam receptum. Certè ratione scandali non videtur facile permittendum.

24

CASVS XI.

An Iuueni Catholico liceat esse organistam in templo hæreticorum, & vespere ludere Psalmos, ipsis in templo ambulantijs. Item ludere sub concionem, aut canam Calumnistam?

Organista in templo hæreticorum.

Respondeo, Sicut non licet voce canere Psalmos in conuentibus hæreticorum, eorumque cætibus & concionibus; ita nec instrumento musico. Est enim hoc publica quædam istius religionis approbatio & professio. Eadem ratione liceret se adiungere cætui hæreticorum, & vnà cum illis Psalmos canere, eorumque sacrilega sacra & preces condecorare.

25

IEIYNIYM ECCLESIAE.

CASVS XII.

Titius iubetur sub periculo mortis die Veneris in contemptum Ecclesiæ carnes manducare.

Abstinètia à carnibus.

Quæritur, An hic Titius possit obedire?

Respondeo, Doctrina illa Doctorum vera est, Præcepta Ecclesiæ non obligare cum periculo mortis vel fortunarum. Si tamen in particulari præcipiatur mihi aliquid quod est contra præceptum Ecclesiæ, idque in contemptum Ecclesiæ, non possum obedire: non quia præceptum Ecclesiæ obligat cum periculo mortis, sed quia præceptum diuinum de non cõtemnenda Ecclesia obligat cum periculo mortis. Censetur autem cõtemnere, si sic præcipienti obtemperem. Debet autè aliquo signo exterius apparere illum in contemptum Ecclesiæ præcipere.

26

Secus est quando statutum sit generale: quia tunc quiuis in particulari non censetur obedire nisi Secundum substantiam operis præcepti, non autem secundum prauam finem præcipientis. Vnde si magistratus in contemptum Ecclesiæ, vel ad cognoscendum qui sint Catholici, præciperet vt omnes diebus Veneris & Sabbathi carnibus vescerentur,

27

Possum obedire si statutum sit generale seposito.

erentur, possem ego, sepulchro omni scandalo, in graui periculo, ad meam occultandam Religionē carnes edere, nempe quando non edendo deprehender & puniret, vt in Anglia. Si tamen in particulari iuberet in contemptum Ecclesie vt carnes ederem, non possem, etiamsi mors oppetenda foret. Idem locum habet quando aliquid præcipitur in contemptum alterius virtutis; ita vt si obtemperem, censear velle illam virtutem contemnere. Sed quia id nimis manifestam turpitudinem continet, ideo nihil tale præcipi solet.

dano dubito, quia ex professo hoc agit vt causam Lutheri commendet. Hi, & similes, in facultate ista continentur quam quidam Religiosi habent concedendi potestatem suis penitentibus alijsque externis libros prohibitos, qui non sunt editi ad stabilienda dogmata hæretica.

Vbi aduerte, mentem Sæ Sanctitatis esse, vt cū conceditur potestas legendi huiusmodi libros, moneantur lectores, vt errores occurrentes deleant: quod etiam colligitur ex instructione Indici librorum prohibitorum præfixa.

Abstinētia à carnibus.

CASVS XIII.

An Catholico liceat hæretico coquere, & apponere carnes die ab Ecclesia prohibito?

28 **Q**uando Dominus vult comedere carnes in contemptum Ecclesie, vel Religionis Catholice; non est per se illicitum illi coquere & ministrare. Vnde famulus potest eas coquere & porrigere, si sine graui damno non possit euitare; quia actio quæ præcipitur famulo non est ea quæ intendit Dominus Ecclesiam contemnere, sed ipsa domini manducatio. Neque difficile est aduerte vtrum aliquid in contemptum Religionis præcipiatur: quia id signo externo indicari debet, alioquin si nullum tale signum appareat, præsumi potest quod non præcipiatur ex contemptu Ecclesie &c.

Abstinētia à carnibus.

CASVS XIV.

Verum leporarius & auceps in terris hæreticorum possit in Quadragesima venari, & prædam vendere?

29 **R**espondeo, Cessante scandalo puto leporarium & aucupem posse illis locis in Quadragesima venari & prædam vendere. Quia opus illud per se non est prohibitum: & valde remotè cooperatur violationi præcepti Ecclesie. Imò quibusdam in locis in Quadragesima venditur caro pro ijs qui facultatem habent, quod illorum conscientie relinquitur.

Hospites videntur propinquius cooperari, quia cibos coctos apponunt. Permittunt tamen Auctores, si sine notabili incommodo suo non possint denegare; vt, si hospites illic nolent diuersari.

LIBRI.

CASVS XV.

Quinam verè libri hæretici.

Quidam Religiosi habent potestatem concedendi suis penitentibus facultatem legendi libros prohibitos, qui tamen non sunt editi ad stabilienda dogmata hæretica.

Quæritur, Quinam libri non censentur editi ad stabilienda dogmata hæretica?

30 **R**espondeo, libri illi non censentur editi ad stabilienda dogmata hæretica, qui non ex professo hoc agunt vt hæresin probent, aut introducant, sed aliud argumentum tractant, & obiter subinde aliquid hæreticum admiscet: qualia sunt opera Erasmi Rotterodami (exceptis quibusdam colloquijs) & Ludouici Viues. Wetembecius, Bodinus de Republica, Munsteri historia. De Sle-

CASVS XVI.

Quid faciendum de libris corrigendis?

Respondeo, In hisce locis qui habent libros corrigendos, possunt eos apud se retinere donec tradant Correctori, vel ipsi obtineant facultatem corrigendi.

Episcopus his locis potest Religiosis & etiam externis dare facultatem corrigendi etiam libros externorum; vt patet ex instructione Clementis VIII. quæ habetur in Indice librorum prohibitorum.

Similiter potest Episcopus dare facultatem legendi libros prohibitos viris idoneis, modò tales sint vt corrigi possint; vt patet ex eadem instructione. Vbi verò est Inquisitor, ab utroque facultas obtinenda.

CASVS XVII.

Virum liceat Catholicis Typographis libros hæreticos lucrì causâ excudere? Item an liceat Bibliopolis libros hæreticos vendere?

Respondeo Primò, Non est permittendum Catholicis Typographis vt libros, qui ex professo hæresin tradunt, lucrì causâ excudant. Ratio est, quia librum excudere, moraliter est doctrinam libri per orbem disseminare: quod sicut voce non licet, ita nec scripto.

Respondeo Secundò, Similiter non est permittendum Bibliopolis vt hæreticorum librorum faciant mercaturam, eos alibi conquirendo, & inferendo in patriam, vel efferendo, vt diuendant. Ratio est, quia hoc est operam suam locare vt doctrina falsa disseminetur; quod constat esse illicitum.

CASVS XVIII.

An liceat compingere libros hæreticos?

Respondeo, Spectando Ius naturæ non damnauerim Inuenem illum librorum hæreticorum compactorem, præsertim si alia ratione vitium querere non potest. Inter alios enim libros compingere etiam libros hæreticos per se malum non est; & abstinendo non impedit illorum lectionem: non enim deerunt alij qui compingant: & sine tali compactura legi possunt.

Bulla tamen Cœnæ excommunicat etiam habentes tales libros: & ex hac parte posset esse illicitum; nam contraria consuetudo non videtur adhuc legitime præscripta. Biblia tamen hæreticorum non videntur illa Bulla comprehendi.

Q. iij

CASVS

Libri corrigendi

31

Typographus & Bibliopola.

32

Bibliopagus.

33
Iure naturæ non est id per se malum.

Bulla Cœnæ prohibet.

Retentio
libri hæ-
retici.

CASVS XIX.

*Vtrum liceat in Prouincijs confederatis Belgij
apud se habere libros hæreticos?*

34

Respondeo, Vix dubitauerim quin olim Bulla Cœne fuerit isthic recepta, sicut modo hęc est, saltem quoad illum articulum de hæreticis & hæreticorū libris. Et licet ibidem secuta sit religionis mutatio, tamen apud Catholicorum cœtum non ideo desijt esse recepta.

Et quamuis fortè Catholici cepissent vti moribus contrarijs, nihilominus nondum elapsi sunt anni quadraginta necessarij ad legis Canonice receptæ abolitionem, seu vt contra eam legitime compleatur præscriptio; vt communiter DD. tradunt, & colligitur ex Cap. Finali. De Consuetud. Quamuis non sit improbable decennium sufficere, si bona fide contra factum sit.

CASVS XX.

*Vtrum liceat reuendere libros hæreticos vel
obscenas picturas?*

35

Respondeo, Qui libros pestilentes vel picturas obscenas emerunt, non possunt ea vendere ijs quibus inde aliquid periculi putatur vel dubitatur obuenturum: erit enim peccatum scandalali. Si quis fortè per imprudentiam noxium librum emit, vbi aduerterit, potest dissoluere contractū & repetere pecuniam, quia deceptus est: nā res habet vitium occultum, & dolus dedit causam contractui. Si tamen venditor nolit, non ideo potest emptor indifferenter cui libet talia vendere, vt se indemnem præstet.

Venditio
libri Hæ-
retici.

CASVS XXI.

*An hæreticus ad fidem conuersus in locis
hæreticorum, possit vendere suos libros
hæreticos?*

36

Respondeo, Hæreticus ad fidem conuersus in locis hæreticorum, potest vendere suos libros hæreticos ijs, qui possunt tales libros legere. Vt alijs vendat, non facile permittendum, propter Ecclesiæ prohibitionem. Si tamen inde esset graue damnum passurus, videtur posse dissimulari si vendere velit bibliopolis hæreticis, qui talium librorum copiam habere solent: quia per hoc causam Catholicam non facit deteriorem, nec alicui ex illo actu periculū peruersionis impendet, cū similibus librorum copia ibi suppetat. Confirmatur, quia in illis circumstantijs censerī potest Ecclesiā nō velle id prohibere, cū desideret talibus fauorem impendere, vt eos alliciat.

Venditio
libri Hæ-
retici.

CASVS XXII.

*An liceat Catholico vendere libros hæreticos
hereditate à Parentibus acceptos?*

37

Videtur posse tolerari in locis hæreticorum, vt illi qui in bibliothecā à parentibus relicta libros hæreticos reperiunt, damni vitandi causā, eos commutent cum libris catholicis, tradendo eos bibliopolis etiam hæreticis, vel alijs: præsertim quando in particulari non putant inde aliquā

accessionem hæresi stabiliendę futuram. Ratio est, quia tunc non censetur locare operam vel moraliter cooperari ad doctrinā falsę propagationē, sed facere id quod per se malum non est, vt damnum euitent. Dare enim alicui vel vendere librum hæreticum per se malum non est, quia bene fieri potest. Vnde accedentibus certis circumstantijs (vt si fiat ad notabile malum auertendum) in particulari non erit illicitum. Expedi tamē hortari vt potius comburant zelo fidei: Deum enim hoc damnum facile posse compensare suā prouidentia, alijs in rebus prosperos successus largiēdo.

MATRIMONIUM.

CASVS XXIII.

*Vtrum in locis vbi hæresis dominatur, licitum
sit persona Catholica contrahere matrimo-
nium cum hæretica?*Matrimo-
nium cū
hæretico.

Respondeo, Id ibi non videri illicitum, concurrentibus his circumstantijs. Primò, vt nullum sit periculum peruersionis, & Catholica persona permittatur liberè viuere iuxta suam Religionem. Secundò, vt permittatur ipsi educare proles catholicę. Tertiò, vt catholico non sit facile inuenire parē & commodum coniugem inter catholicos. Quartò, vt hæreticus non sit denunciatus, nec notorius percussor clerici. Quintò, vt ibi passim sit consuetudo ita contrahendi, ita vt nullum sit scandalum. Ratio est, quia tribus prioribus circumstantijs concurrentibus, cessat ius diuinum: & consuetudo tollit ius humanum, quo id erat prohibitū. Accedit quod Summus Pōtiffex sciat & permittat in multis regnis ita fieri vbi hæretici & Catholici permixti viuūt. Ita docet Azor lib. 8. Inlit. moral. cap. 11. q. 5. Sanchez lib. 7. de matrim. disput. 72. n. 5. Faut Nauarrus lib. 1. Consil. tit. de cōsilit. Conf. 1. n. 59. & 60. Andreas Victorellus in Emanuelem Sā V. impedimenta dirimentia, n. 8. Ad do tamen, non facile suadendum, sed dissuadendum quantum commodè fieri potest.

38
Circum-
stantia ex-
cisantes
seu permit-
tentis tale
matrimo-
nium.

CASVS XXIV.

*An liceat contrahere Matrimonium coram
Ministro hæretico, ea mente, vt postea co-
ram Catholico legitimo Sacerdote Matrimo-
nium renoues?*Matrimo-
nium co-
ram mi-
nistro hæ-
retico.

Respondeo, Dubium non est quin peccent qui coram ministro hæretico contrahunt: tum quia videtur esse professio quædam perfidię hæreticę; nam minister videtur adhiberi vt persona quædam sacra: tum quia est scandalum plerumque; nam alij Catholici inde sensim ad consuetudines hæreticorum sese accommodant: tum vel maxime si habeant intentionem consummandi; tunc enim consentiunt in fornicationem, quod est contra Ius diuinum.

Proclamationes tamen fieri possunt, in templis hæreticorum, sicuti proclamationes aliorum contractuum, modò absit scandalum.

CASVS

Renouatio Matrimonij coram ministro hæretico.

CASVS XXV.

Virum is qui ante legitime iunctus est coram Catholico Sacerdote, possit denuo iungi coram ministro hæretico?

40 **R**espondeo sub distinctione: Si ille Minister adhiberi solet ad quandam cæremoniam religiosam, v.g. ad benedictionem nuptiarum, legitime ante iunctus non potest denuo iungi coram Ministro hæretico; ob rationes num. præcedenti dictas: Neque excusat periculum mulctæ vel infamiae.

41 *Licit, si ob causâ politicam adhibeatur.*

Si ille Minister adhibeatur ob causam politicam, nempe vt legitimæ personæ coniungantur, & impediatur nuptiæ illegitimæ, & vt hortetur ad Matrimonij fidem, sic non videtur per se mali, quamuis coram illo verba Matrimonij pronuntianda essent, & concio ab illo habenda, vel aliquæ preces recitandæ: modò nulla interna vel externa reuerentia & veneratio habeatur illius concioni vel orationi, qualem hæretici præstare solent. Ratio est, Quia tunc adhibere Ministrum non censetur cæremonia religiosa, sed quidquam pertinens ad politiam externam. Non enim adhibetur vt minister Ecclesiæ qui aliquid conferat Sacramento, sed vt persona politica. Vnde etiam apud Ethnicos possent incolæ Christiani sic coniungi si similis lex vel consuetudo esset vt nullum matrimonij possent fieri nisi coram sacerdote idolorum, quamuis ipse Sacerdos ad castitatem & alia honesta hortaturus esset; modò nihil pertinens ad infidelitatem adhiberetur; hoc enim externo signo recusandum esset: neque ipse sacerdos adhibeatur vt persona sacra, sed tanquam publica, quæ optimè norit matrimonij leges, & hortari ad eius fidem; & sine qua matrimonia habeantur suspecta.

42 *Sic adhiberi possit Sacerdos idolorum.*

43 *Non licet tamen id permittere.*

Verum, Etsi hæc per se non sint mala, tamen ratione scandali non est facile permittendum: nã & ipsi contrahentes facile ad reuerentiam Ministrorum, precum, & concionum inducuntur; & alij Catholici putant eos animo hæretico id facere; quò fit, vt ipsi sensim hæreticorum consuetudines & ritus suscipiant. Quod summopere cauendum. Deinde, cum tantam mali speciem habeat, non est permittendum nisi ob graue malum auertendum. Vbi autem abesset omne scandalum, & impenderet graue damnum, non video cur non sit licitum.

44 *Non licet iuxta formulâ, quæ ordinariis in hæreticorum prouincijs seruatur.*

Verum postea lectâ formulâ quæ in Prouincijs hæreticis seruatur, aduerti Ministrum adhiberi vt Ministrum Ecclesiæ, & dare firmitatem matrimonio, & orare super coniuges, & populum hæreticum habendum pro Ecclesiâ Christi &c. Vnde iuxta priorem partem Responsonis cenfeo nõ esse licitum.

CASVS XXVI.

Conuiuium nuptiale hæreticorum. *An liceat Catholico Conuiuium nuptiale hæreticorum honestate presentia sua vel munere?*

44 **R**espondeo, Id ordinariè non licere. Ratio est, quia Matrimonium est nullum: vnde coniuictio illa est fornicaria. Conuiuium, autem celebratur & munera dantur ad gaudendum &

gratulandum de coniunctione: Nullo autem modo licet gaudere & congratulari de illa coniunctione.

Quia tamen adire tale Conuiuium, etiam aliũ vsum habet, nempe ad seruandam amicitiam, ad pascendum corpus; ideò non videtur per se malum, modò coniunctis non gratulentur de coniunctione.

Licit ali- quando, & quâ causâ.

Idem videtur dicendum de munere dando: nã cum hæc functiones duplicem vsum habeant, alter potest ab altero separari. Deberet tamen adesse causa: nam magnam speciem mali habent.

Verum cum vix fieri possit vt aduentes talia conuiuia & dantes munera, non gratulentur, putarem in praxi non esse permittendũ: nisi in casu in quo abesset omne scandalum, & possent vti tali modo loquendi, quo re vera non gratuletur coniunctioni nefarie; vt quando oratio est ambigua, & grauis causa subesset. Si tamen passim putaretur verum Matrimonium, possent quis gratulari tanquam putatio Matrimonio.

SEPULTURA ET FUNVS HÆRETICORVM.

CASVS XXVII.

Virum liceat hæreticorum funera comitari, eoque sepelire?

46 **R**espondeo, Non est per se illicitum hæreticorum funera comitari. Quia non est cæremonia religiosa, sed honor politicus.

Nec refert quòd in loco Sacro sepeliantur, id est, in loco sepulture ordinario. Quia qui comitatur, non videtur consentire in loci sacri iniuriam, (qui quamuis prophanatus sit, tamen adhuc sacer manet, cum consecratio, manente saluâ rei substantiâ, perseueret: solum enim defuncto honorem exhibere censetur. Quod autem in hoc loco sepeliatur, pendet ex aliorum voluntate. Non tamen potest cum hæreticis psalmos concinere.

Cauendum verò hic est scandalum. Deinde, nõ comitandum nisi grauis aliqua subit causa.

Sepeliens autem excommunicatus est, non verò is qui tantummodò comitatur.

HORÆ CANONICÆ.

CASVS I.

Virum teneatur Capitulum deserere officium propria Ecclesiâ mutilum, & Romanam acceptare?

Officium mutilum.

47 **R**espondeo, Si officium propriæ Ecclesiæ est mutilum, vel carens rubricis & iusto directorio, ita vt sciri nequeat quomodo superioribus temporibus maiores eo sint vsi, vel vti nunc oporteat; tenetur Capitulum illud deserere, & acceptare Romanum. Ratio est, quia concessio illa de retinendo officio propriæ Ecclesiæ ducentis annis antiquiore, intelligenda est de Officio completo, quod decorè, & absque confusione iuxta certam regulam obiri potest. Non enim credibile est Ecclesiam velle concedere, præsertim in celebratione Missæ & actione Liturgica officium imperfectũ, vagum, & legitimâ normâ destitutum, quod sine periculo

periculo irreuerentia celebrari vix potest, in quo quilibet pro suo affectu vel phantasia ritus, gestus, caeremonias addere & mutare potest, cum nullam certam regulam habeat. Credibile est officium illud nunc mutilum, olim suas rubricas & regulas directorias habuisse: alioqui maiores nostri ab insigni negligentia in re omnium maxima excusari non possent. Debent enim haec regulae esse certae, nec a priuatis villo modo augeri aut minui possunt, vt omnes Doctores tradunt. Sunt enim ritus liturgici pleni mysterijs. Vnde etiam in constitutione Pij V. praecipitur ne quis in Missa celebratione alias caeremonias, vel preces, quam quae in Missali continentur addere vel recitare praesumat. Et Conc. Tridentinum sess. 22. in decreto de obseruandis & vitandis in celebratione Missae, praecipit ne Sacerdotes alios ritus aut alias caeremonias & preces in Missali celebratione adhibeant, praeter eas, quae ab Ecclesia probatae ac frequentis & laudabili vsu receptae fuerint.

Officium mutilum.

CASVS II.

Quid si Capitulum velit Officium antiquum imperfectum retinere, An singulis fas sit in priuatis Missis vti Romano?

Respondeo, Si Capitulum nolit acceptare Romanum, sed velit retinere officium & Missale ita imperfectum, & suis necessarijs regulis destitutum, singulis fas erit in Missis priuatis vti Romano. Ratio est, quia non subest iusta causa retinendi prioris, aut prohibendi vsus Romani, ac proinde deueniendum est ad Romanum: imò, vt dictum est, Capitulum tenetur acceptare Romanum. Nam quod ad sumptus in hac mutatione faciendos attinet, facile erit obtinere, vt fructus aliquot annorum beneficij proximè vacantis in eam rem applicentur.

Nec obstat quod summus Pontifex permittat hanc mutationem fieri de consensu Praelati, & vniuersi Capituli; vnde à contrario sensu colligas sine illo consensu fieri non posse: hoc, inquam, dictis non obstat; quia Pontifex loquitur de mutatione in officijs publicis, non autem in priuatis. Vnde passim videmus etiam in Ecclesijs, vbi officium antiquum adhuc publicè viget, multos priuatim seruari vsus Romanum; quia re vera id non est contra illius constitutionis mentem. Quod maiori sane ratione locum habet cum proprium Ecclesiae officium est imperfectum.

CASVS III.

Quid eo casu singuli faciant in officijs publicis?

Officium mutilum.

3

Respondeo, In publicis officijs quibus Capitulum non permittit seruari vsus Romanum, sed vult seruari antiquum, puto seruandas rubricas Romanas, easque illis officijs aptandas, prout, commodè fieri potest. Cum enim sint proprijs destituta, vti supponitur, nec ea res possit relinqui arbitrio cuiuslibet priuati; nec possint diuina officia sine decoris & congruis ritibus obiri, hoc solum restare videtur, vt Romani, qui ab Ecclesia sunt approbati, adhibeantur: nec ea res multum difficultatis habet. Et quamuis sit contra mentem Summi Pontificis vt rubricae Romanae

Vtiantur officij mixto.

alienis aptetur Officijs (hoc enim est quodammodo nouam Officij formam constituere) tamen necessitas hic exulat inferiores, & personas singulas: minus enim incommodum est sic fieri, quam officium antiquum sine congruis ritibus celebrari. Viderint illi qui ad has angustias cogunt, & causa sunt cur legitima mutatio fieri nequeat. Quod si Capitulum vult omnino vsus antiquum in sua Ecclesia retinere, curet rubricas & regulas idoneas accommodari; & totum à Summo Pontifice approbari: Nam sine tali approbatione non potest id fieri posse. Ritus enim & caeremoniae non minus sunt significatiuae mysteriorum, quam verba. Vnde sicut verba & preces non possunt ex Romano Missali in Officijs antiquum illi Ecclesiae proprium transferri (hoc enim esset diuersa Officia miscere, & nouum quodammodo cudere, quod priuatis omnino est prohibendum:) ita nec ritus & caeremoniae. Priuati tamen ob necessitatem, vt diximus, excusantur. Imò ipsi consulendum vt sic faciant; quia melior ratio non supponit, illis circumstantijs positis.

Si tamen Capitulum permittet in Officijs publicis vsus Romanum absque vlla mixtione, hoc omnino esset praefendum, etiam si nullo communi decreto statuisset Romanum recipere: quia posita Capituli permissione, nihil est quod obstat cur Romanum celebrari non possit; quamuis communi consensu non sit absolute receptum. Et licet videatur aliquid incommodi quod hoc die seruetur vsus Romanus, alio vsus antiquus; minus tamen hoc est, quam quod fiat in vno eodem Officio illa mixtio & confusio diuersorum. Deinde, hac ratione sensim disponuntur ad Romanum absolute recipiendum, & antiquum abolendum.

CASVS IV.

An in eadem Missa Collegiata vti quis possit ista Rubricarum & Officiorum mixtura?

Respondeo, Non videtur improbandum (posito officio adeo imperfecto & incerto, & Capitulo non permittente vsus Romanum) vt Sacerdos sacrum collegiatum peragens, in ijs quae publicè cauenda sunt, vt in Collectis, Gloria, Credo, Praefatione &c. sequatur ordinem suae Ecclesiae; in caeremonijs autem priuatis, praesertim in Canone, Missale Romanum: quia non videtur commodior ratio iniri posse rebus ita constitutis. Putarem tamen etiam in Introitu, Epistola, Graduali, Euangelio, Offertorio, & post Communionem se antiquo conformare debere: quia absurdum est, vt in his dissentiat à Choro vel cantu publico, & in vna missa sit duplex Introitus, duplex Epistola, duplex Graduale, & caetera praeter Canonem & pauca alia, sint duplicia. Itaque hoc vitandum: & in his se debet accommodare Choro. In Canone autem si omnia more Romano fiant, nihil est incommodi.

CASVS V.

Vtrum singula monasteria Ordinis S. Benedicti possint amplecti nouum Breuiarium à Paulo V. approbatum, & Roma in hunc finem

Breuiarij commu-

finem excusum, etiamsi alia monasteria eiusdem Congregationis id non acceptent?

CASVS VI.

Prælatus cum suo Capitulo in Ordine S. Benedicti notabiliter immutauit Breuiarium S. Benedicti post editam Bullam Pij V. Breuiario Romano præfixam.

Breuiarij alterati.

QVÆRIITVR, An Religiosi illi satisfaciant præcepto Ecclesie de horis legendis?

Respondeo Primò, Certum videtur non posse Prælatum cum consensu Capituli inducere notabilem mutationem seu alterationem in Breuiarium S. Benedicti. Nam Pius V. in Bulla præfixa Breuiario Romano abolet omnia Breuiaria non Romana, præter ea quæ iam à ducentis annis consuetæ sunt in aliqua Ecclesia vel Conuentu legi. Atqui Breuiarium S. Benedicti notabiliter immutatum & alteratum, non est Breuiarium cõsuetudine ducentorũ annorum receptum, sed nouum planè. Et sanè dubitandum non est quin Pontifex permittat Ecclesijs & monasterijs vsum illorum ob antiquitatem & cõtinuationem, & quia graue illis fuisset tam diuturnam consuetudinem relinquere. Vnde nulla ratione permittit ea sic immutari vt quodammodo noua videatur. Quòd si aliqua mutatio facienda videatur, ea primùm exhibenda Sedi Apostolicæ, vt approbetur & possit in vsum deduci, sicut in quibusdam locis vidi fieri.

10 Nemo potest alterare Breuiarium.

Hinc sequitur, eos qui sunt auctores huius mutationis, non satisfacere præcepto de Horis legendis, vt colligitur ex eadem Bulla. Expressè enim Pontifex declarat eos non satisfacere, qui legunt aliud Breuiarium, quam Romanum, vel aliud à se permissum, quale est, quod à ducentis annis est receptum, non autem quod sic est immutatum.

11 Auctores huius mutationis non faciunt præcepto.

Addo tamen, Eos qui non sunt auctores huius mutationis, qui coguntur publicè cum alijs officium istud sic immutatum obire, non teneri priuatim aliud dicere. Ratio est, quia hi non sponte suâ, sed coacti Superioris iussu & Capitali consensu id faciunt, & qui ita statuunt, non ex contumacia aduersus Sedem Apostolicam statuunt, sed quia putant expedire ad edificationem, seque ad hoc potestatem habere. Vnde non est credibile Sedem Apostolicam subditos istos velle obligare vt Officium priuatim repetant.

12 Alij subditos satisfaciunt.

Nec obstat, quòd Pontifex in eadem Bulla decernat eos non satisfacere suæ obligationi, qui legerint aliud Breuiarium, quam Romanum, vel quod iam à ducentis annis in sua ipsorum Ecclesia fuerit receptum: quia loquitur de illis qui sua sponte id faciunt, non autem de illis qui coactè: nam intentio illius est per hunc rigorem cõpelle- re illos ad capeffendum Breuiarium Romanum. Itaque non habet locum in illis qui non sunt sui iuris, nec habent in sua potestate, hoc vel illud Breuiarium quod legant, capeffere; sed coguntur sequi naturam suorum Superiorum in publico officio obeundo. Igitur per iustam episcopiam sunt excipiendi, etiamsi verba decreti eos comprehendere videantur: quia contra mentem legislatoris est & contra æquitatem, illos duplici onere inuoluere.

Adde, eos qui per inconsiderationem vel errorem legunt Officium vnius diei pro alio, non teneri repetere (vt multi Doctores docent) quia non

1. Quia hæc est mens Pontificis.

8

Nec obstant illa verba Pontificis, Omnes eiusdem Ordinis Religiosos ad Breuiarium, & libros chorales reformatos, vniuersimiliter recipiendos, in Domino hortantes &c. Non enim vult insinuare non posse recipi ab vno monasterio, nisi alia monasteria, vel tota congregatio consentiat. Hoc enim longè abest à mente Pontificis, sed solum indicat se desiderare, vt nemo in toto ordine sit, qui repugnet, aut se opponat. Desiderat enim vt omnes tam eximium munus obuijs vlnis excipiant. Hinc tamen nullo modo sequitur quin quoduis monasteriũ possit recipere, etiamsi alia monasteria in hoc non cõspirent. Itaq; sicut cum Pius V. promulgauit Romanum Breuiarium, & facultatem fecit Capitulis vsum antiquiorem ducentis annis habitibus, illud acceptandi, modò Episcopus & vniuersum Capitulum in eo consentirent, non habita ratione aliorum Capitulorum eiusdem diocesis: ita modò Paulus facit potestatem, & hortatur singula monasteria, vt illud acceptent, modò Prælatus, & maior saltem pars monasterij consentiat: non curando an alia monasteria eiusdem Ordinis vel congregationis cõsentiant. Accedit, quòd huiusmodi ordinationes dirigantur per se primò ad ipsa monasteria quæ sunt sui iuris, nec dependent ab alijs nisi quoad visitationem: & planè insolens est aliorum consensum requirere nisi id expressè declaretur.

A simili.

9. Quia id Præsidentis est iniungere.

Idem conuincitur ex litteris Præsidentium generalium in quibus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub formali præcepto iniungitur omnibus & singulis, vt admittant prædictum officium, eoque vtantur, nec vlla fit mentio consensûs aliorum monasteriorũ. Itaq; singuli Abbates nõ solũ possunt, sed etiam tenentur recipere, item singuli, & omnes religiosi non expectato consensu aliorum Abbatum vel religiosorum. Neque vlla modò occurrat ratio cur merito hæc de re debeat dubitari.

non est mens Ecclesie obligare cum id non sponte fit. Ergo cum etiam isti id sponte non faciant, non sunt cogendi repetere, idque eod. modis, quod nulla eorum culpa interueniat. Habet hic Reuerenda Paternitas tua quid mihi absque vlla dubitatione videatur. Saluo tamen in omnibus meliore iudicio.

CASVS VII.

Breuiarij
commu-
tatio.

13 **Utrum** Clericus Ecclesie, v. g. Aquisgranensis post relicto Missali & Breuiario proprio suae Ecclesie, in qua habet beneficium & residet, uti officio Ecclesie Coloniensis vel alterius?

Respondeo, Clerico Ecclesie Aquisgranensis ius non esse ut relicto officio proprio suae Ecclesie in qua habet beneficium & residet, utatur officio Ecclesie Coloniensis vel alterius. Quod aperte confirmatur ex constitutione Pij V. Missali Romano praefixa; ubi praecipitur, ut omnes capeant usum Romanum, exceptis illis solum, quorum Ecclesie habent officium ducentos annos superans. His enim, quia durum videbatur eos cogere tam diuturnam consuetudinem deferere, & nouum officium amplecti, permittitur ut consuetudinem suam retineant. Quod si eam cupiant deserere, fit illis potestas commutandi eam in officium Romanum, nullo autem modo in officium alterius Ecclesie. Nulla enim subest ratio talis commutationis, imo est directe contra intentionem Pontificis, qui vbique cupit introduci Romanum, nec permittit vllum aliud nisi causa tam longinqui vsus in Ecclesia propria continuati. Idem dicendum de Breuiario seu officio Horarum canonicarum, ut ex alia constitutione Breuiario Romano praefixa perspicuum est.

CASVS VIII.

Nouum Bre-
uiarij pri-
uilegium.

14 **Utrum**, Ecclesia Collegiata vel quodlibet aliud monasterium qua acceperunt usum Breuiarij Romani, teneantur sub peccato mortali in Choro persolvere diebus in Breuiario praescriptis, (supposito quod ante acceptionem illis vterentur) officium B. Mariae Virginis, Vigiliis mortuorum, Psalmos Graduales & Penitentiales cum Litanis?

Respondeo, Non teneri ad quidquam horum, praeterquam ad Horas B. Virginis; ut aperte colligitur ex Bulla Breuiario praefixa: quia tollit Pontifex obligationem horum, salua consuetudine officij B. Virginis in Choro dicendi, si antea ea consuetudo erat. Hac autem concessio Pontificis pertinet ad omnes eos qui Breuiarium nouum acceperunt. Itaque hi non obligantur amplius nec in Choro, nec extra, ad officium Defunctorum, ad Psalmos Graduales vel Penitentiales, illis temporibus, quibus singulis mensibus, vel per Quadragesimam & Aduentum praescribuntur in Breuiario Romano.

CASVS IX.

15 **Utrum** Monasteria que retinent Breuiarium Bursfeldense, teneantur sub peccato mor-

taliter dicere officium mortuorum quotidie: Obligatio in illis sit consuetudo orta ex reformatione Congregationis Bursfeldensis, in qua sic dicitur: Quotidie post vespas regulares, dicimus in Conuentu officium Mortuorum, praeterquam in festis duodecim lectionum, & profectis?

Respondeo, Id pendet ex modo quo haec consuetudo recepta est: Si enim ita recepta est ut Religiosi communiter putent se mortifere peccare si omittant, sic obligat sub mortali. Secus est, si non putent se peccare, saltem leuiter. Puto tamen eos non obligari sub mortali peccato; sed, vel sub veniali, vel solum sicut ad alia monastica statuta, quae poenalia tantum sunt, non autem obligatoria in conscientia. Quod magis locum habet dum priuatim extra Chorum Horae leguntur: etsi Nauarrus, Toletus, & quidam alij putent eos qui antiquum Breuiarium legunt, teneri sub peccato Mortali ad Horas B. Virginis, & etiam ad officium Defunctorum, ijs temporibus, quibus praescribitur, quia sunt pars officij diuini. Sed id iure probari non potest: vnde pendet ex consuetudine quae neque est vniuersalis (multis enim locis ante Breuiarium Pij V. non legebatur paruae Horae B. Virginis, nec officium Defunctorum:) neque forte instar legis strictae obligantis recepta, vbicumque viget.

CASVS X.

16 **Utrum** Canonici teneantur quotidie interesse singulis Horis cantandis vel legendis in Choro?

Respondeo Primo, Haud dubie nimis laxa est illa sententia; imo est aperta corruptela, quae dicit Canonicos non teneri interesse diuinis officijs, nisi quando aliquid ipsis muneris obeundum. Sic enim sepe semper possent abesse, & alibi residere, accurrentes tunc quando functio ipsorum recurrit. Quid enim iuuat residentia sine suo vsu, qui est frequentatio Chori? Paria sane sunt non residere, & rarissime comparere. Neque Canones aliam ob causam residentiam requirunt, nisi ut beneficio deseruiant in officijs publicis: ut patet Cap. Quia nonnulli. Cap. Cum ad hoc. Cap. Clericos, & alij multis, De Clericis non residentibus. Beneficium enim datur propter officium, non tam raro obeundum, sed quotidianum. Vnde non solum est contra Canones, sed etiam contra primum finem institutionis Canonicatum & beneficiorum. Idem satis aperte colligitur ex Concilio Trident. sess. 24. c. 12. de Reform. ubi iubet illos compelli ut per se, & non per substitutos diuina officia obeant. Sane nisi ex ipsa institutione tenerentur, non iuberet compelli. Accedit quod quando simul vivebant in communi, & nihil preter simplicem victum & vestitum haberent, non erat illis liberum abesse a Choro: quanto minus nunc liberum esse debet, quando tam amplas opes habent, & splendide viuere possunt. Absurdum profecto est dicere illos tam opima stipendia sacra accipere, ut quantaxat certis quibusdam diebus praesentes se exhibeant.

Respon-

17
Neque, ut
vni vel al-
teri Hora,
vel sacrificio
Missæ.

Respondeo Secundò, Opinio eorù qui dicunt sufficere vt Canonici quotidie intersint vni duntaxat ex maioribus Horis, vel duabus, vel sacrificio Missæ tantùm, singulis diebus intersint; sed vt ordinariè. Quorsum enim concedant illam absentiam, si nulla causa rationabilis subsit, cum ex institutione ad omnes teneantur, & ideò tam magna stipendia suscipiant, nimirum vt toti huic rei possint incumbere? Nec obstat quòd diebus solemnioribus distributiones sint constitutæ ijs, qui vni ex Horis maioribus interfuerint: id enim factum, non quòd sufficiat vni interesse, sed ne facillè se excusent ob causas occurrentes tunc temporis.

18
Tenetur
ordinariè
interesse
quotidie
singulis
Horis.

Respondeo Tertio, Mihi magis probatur opinio eorum qui dicunt Canonicos teneri ordinariè interesse quotidie singulis Horis, nisi aliqua causa excuset. Hanc tamen obligationem non iudico ita rigidè & asperè explicandam, vt adstringat ad peccatum mortale, quando Superiores dissimulant, non vtentes iure præcipiendi & cogendi: quia vnus vel alterius diei absentia etiam sine causâ, non notabiliter lædit finem principalem institutionis, qui est, vt regulariter cultui diuino intersint. Si tamen absque causa multis diebus absissent (exceptis tribus illis mensibus quos Concilium Tridentinum permittit, vel breuiori tempore, prout habet vsus Ecclesiæ illius) non videretur excusandi à peccato mortali; quia peccant contra principalem finem institutionis.

19
Abusus
aliorum
alios non
excusar.

Si quis obijciat vsum Colonienfium Canonico- rum, & aliorum multis locis Germaniæ receptum: Respondeo, Abusum illum non esse tolerabile, nisi ad grauiora incommoda vitanda; quæ tamen non sunt vbique timenda, etiamsi Canonici cogantur ad chorù. Accedit quòd consuetudo tolerata & recepta, illos vticumque fortasse excuset: quæ consuetudo non est communiter Leodij.

CASVS XI.

Absentia
à choro.

Canonici Ecclesiæ Cathedralis vel Collegiatae subinde solent se à choro absentiare præsertim dum sunt prolixiora officia, & nihilominus distributiones recipere.

QVÆRITVR Primò, An illas distributiones possint recipere?

QVÆRITVR Secundò, Cui teneantur perceptas distributiones restituere?

QVÆRITVR Tertio, An in Confessione illis Canonici faciendus scrupulus?

QVÆRITVR Quarto, An is potest distributiones percipere, qui sanitatis causâ ab inchoato officio recedit, eò quòd longa continuatio illi sit noxia?

20
Nō possunt
distributio-
nes recipere.

AD Primū: Resp. Canonici Eccl. Cathedralis vel Collegiatae, qui nō intersunt summo Sacro, vel alteri diuino officio, quando prolixius fuerit, non posse percipere distributiones, quæ ratione illius officij dātur, nec perceptas retinere. Nam Cap. vnico de Clericis nō residentibus in 6. statuitur Vt absens (nisi infirmitas, vel iusta corporis necessitas, aut euidens Ecclesiæ utilitas excuset) non ac-

quirat dominium verum sic receptarum, nec facias eas suas; imò ad omnium restitutionem teneatur. Idem renouat Concil. Trident. sess. 24. c. 12. de Reform. non obstantibus quibusuis consuetudinibus, excludens simul omnes collusiones & condonationes.

Nec obstat quòd viri docti, atque aded omnes Canonici illius Ecclesiæ id liberè faciant (excepto vno qui ob id scrupulosus habetur:) quia res est nimis aperta, & notoria, iure antiquo statuta, & à Concilio Tridentino renouata; & rationi quàm maximè consentanea. Et sanè nō video quo modo efficacius & clariùs possit significari eos ad restitutionem teneri, quàm à iure antiquo, & Concilio Tridentino significetur: vt valde mirum sit viros doctos, quibus sit aliquid bonæ conscientiæ, posse hoc pro scrupulo habere.

Neque obstat consuetudo: tum quia hæc debet esse rationalis, & legitime præscripta, vt possit contra legem scriptam valere: hæc autem neque est rationalis, cum distributiones sint stipendia præsentium, & ideò introductæ vt solis præsentibus darentur: neque legitime præscripta; quia non potuit bona fide esse continuata per quadraginta annos; cum per Concilium Tridentinum omnis talis consuetudo sit sublata.

Neque refert quod Episcopus permittat: quia non potest dispensare in decretis Conciliorum & Pontificum.

Ad Secundum: Respondeo, Videtur quòd teneantur Ecclesiæ restituere perceptas distributiones. Quia cum Canonici illi non acquirant earum dominium, manent in dominio Ecclesiæ.

Cauendum tamen ne accrescant alijs qui similiter absunt. Quod si putaretur futurum, dandæ sunt fabricæ, vel in quosuis alios pios vsus, iuxta Concilium Tridentinum sess. 22. c. 3. de Reform. Neque opus est arbitrio Ordinarij, nisi ipse per sententiam vel statutum alicui pio loco applicasset.

Ad Tertium: Vtrum omnibus istis Canonicis Doctoribus veniētibus ad confessionem faciendus sit scrupulus, præcipuè, si hæc in confessione non attingant? Respondeo, Faciendum esse scrupulum, rogando an absentes tales distributiones non acceperint. Si fatentur, ostendendum est esse illicitum: si negant, nihil amplius faciendum. Tebetur enim Confessarius instruere penitentiam, quem videt versari in errore culpabili; qualis est iste.

Ad Quartum: De eo qui è choro recedit, eò quòd illi notabiliter noxia sit continuatio: Respondeo, Eum posse abesse à choro. cui iudicio Medici notabiliter oboeset longa officij continuatio, eumq; posse distributiones percipere, etiamsi interim sanitatis causa deambulet. Secus verò si illa continuatio non putetur notabiliter oboeset. Cauendum tamen scandalum, ob quod, deberet se domi continere, & deambulare in cubiculo vel horto. Quòd si publicè deambulet, possunt ei istæ distributiones negari ob præsumptionem, & statutum.

CASVS XII.

Vtrum Canonici qui ante finem exeunt, sint ipso iure priuati distributionibus?

Respondeo, Concilium Tridentinum non priuat Canonicos distributionibus ipso facto, nisi absentes. Itaque qui præsentibus sunt, etiamsi ante finem exeant, non sunt ipso iure priuati. Di-

Est omnia
passim in
receptant.

Sicq; con-
suetudo.

Et Episcopus
per per-
mittat.

Facienda
restitutio
Ecclesiæ.

non
de

Facienda
est in Con-
fessione
scrupulus.

Si noxia
sit con-
tinuatio
officij.

Absentia
à choro.

ipso facto

R
gni tamen

gai tamen essent quilibet modo multarentur, qui sine causa exeunt: sicut & illi qui multum confabulantur. Statuta autem cum poenam solùm habeant irrogandam, vt indicat verbum (priuentur) non obligant ad poenam, nisi mandentur executioni.

CASVS XIII.

Fabula
in choro.

Virum Canonici aliique beneficiarij per substitutos officium celebrantes, possint alijs canonicis, inter sese diuini & liberè colloqui?

25

Respondeo, Canonicos & Capellanos, qui tempore diuini officij ordinariè per notabile tempus, & ad omnem occasionem fabulantur, non possum excusare à graui peccato; tum propter scandalum, tum quia lege diuinæ iustitiæ tenentur diuino officio interesse. Et quamuis propter receptam consuetudinem non teneantur per se canere, sed possint id per cantores & Capellanos explere, tamen ipsi suâ presentia debent omnia moderari vt decorè transigantur. Vnde tenentur exhibere presentiam religiosam, & decoram. Idè enim tam ampli fructus constituti vt saltem religiosâ & graui presentia suâ diuinum officium exornent, & decorè peragere curent. Neque illos excusat, quòd priuatim officium recitent: quia etsi non teneantur in choro canere; tamen non possunt se liberè à choro absentare, sed tenentur ibi presentiam debito modo exhibere. Non enim fructus recipiunt pro officio quod domi priuatim legunt, sed quod publicè exhibent. Tenentur ergo illud congruo modo, & cum debitis circumstantijs obire.

CASVS XIV.

Monialium
obligatio
ad Horas
Canonicas.

Virum sententia Caietani de Monialibus choro mancipatis, eas non teneri sub peccato mortali Horas Canonicas recitare, sit probabilis?

26

Non erat operæ pretium ex Belgio de hac, & duabus subsequentijs quaestionibus petere iudicium, cum Hispania viris doctissimis sit referta, adè vt hodie palmam sapientiæ teneat. Verùm quia Reuerendissimo Domino placuit meum sensum exquirere, dicam quod in Domino ea de re sentiam, saluo saniori iudicio. Itaque ad primam quaestionem

Respondeo, Sententiam Caietani de Monialibus choro mancipatis, eas non teneri sub peccato letali Horas Canonicas recitare, mihi semper visam etiam in praxi probabilem. Idem sentio de Religiosis professis choro mancipatis, qui nondum Ordine sacro insigniti. Quam sententiam tenet etiam Ioannes Medina vir doctissimus qu. 7. de Oratione sub finem: vbi etiâ apertè indicat, quòd si ex consuetudine tenentur, eam consuetudinem non obligare ampliùs, quàm statutum Regulæ. Et Emanuel Sà V. Horæ Canonicae nu. 1. vbi dicit hanc sententiam esse probabilem. Nec obstat quod addit, non esse vsu receptam; hoc enim nihil aliud est, quàm Religiosos & Moniales putare se obligari sub mortali, & se peccare mortiferè si aliquando omittant. Fauet etiâ huic sententiæ Petrus Arragon qu. 83. art. 11. & Angelus V. Hora Canonica n. 10. vbi approbat sententiam Richardi tanquam humaniorem, qui docet nõ esse mortale omittere

Horas ex negligentia, sed ex fastidio diuini cultus, vel contemptu, vel consuetudine. Itaque si aliquoties omittantur ex negligentia, nisi toties id fiat vt censeatur inducta consuetudo, nõ erit peccatum mortiferum, iuxta istos duos Doctores. Quæ sententia etsi mihi non probetur quoad Beneficiarios & ordinatos Ordine sacro; tamen videtur valdè rationalis quoad moniales & professos nõ ordinatos. Fumus V. Horæ n. 4. probat opinionem Caietani tanquam veriorem, etiamsi alij communiter contrarium teneant; Quia, inquit, eorum opinio nullo iure probatur.

Probari potest hæc sententia: Primò, Quia Moniales non tenentur ad Horas Canonicas aliquo voto, vel ex vi suæ professionis, vt passim Doctores fatentur; neque ex aliquo Ecclesiæ præcepto; neque ex vi alicuius statuti aut regulæ; sed solum consuetudine, vt cõmuniter Doctores admittunt. Atqui illa consuetudo non est ita durè interpretanda vt sub peccato mortali obligare singulis vicibus censeatur: tum quia id parum humanum esset, & sæpè periculosum saluti; tum quia consuetudo regularis non debet censi magis obligare quàm expressum statutum regulæ. Atqui si esset expressum statutum regulæ de Horis à singulis recitandis, illud non censeretur obligare sub peccato mortali, sed solum sub reatu regularis correptionis, vel vt summum sub peccato veniali, & poena regulari; sicut alia statuta regularia. Nisi fortè haberet verba quæ perspicuè maiorem obligationem designarent, qualia sunt, *Præcipimus in virtute s. Obedientiæ. Præcipimus, strictè iungimus, &c.* Verùm nullum est statutum regulare, vt existimo, quod verba tam obligatoria habeat. Confirmatur, quia obligatio sub mortali est res valdè odiosa, ac proinde minimè præsumenda, nisi vbi necessitas cogit. Atqui hic nulla cogit necessitas præsumendi aut inducendi tam grauem obligationem: Quia sicut ad alias regulas & ad disciplinam religiosam seruandam sufficit obligatio ad poenam & castigationem regularem, ita etiam ad seruandam hanc consuetudinem. Alia ratio est de Beneficiarijs, & Ordinatis: Beneficiarij enim stipendia ab Ecclesia accipiunt vt officium diuinum persoluant; vnde instar mercenarij tenentur ex quasi-contractui & officio. Ordinati verò Ordine sacro sponte se in ministerium Ecclesiæ tradiderunt: ad hoc enim ordinantur vt Ecclesiæ seruiant; ac proinde æquissimum fuit vt Ecclesiæ illis tanquam suo ministerio mancipatis hoc onus imponeret. Moniales verò non idè deferunt sæculum, & se in monasterium abdunt, vt aliquod Ecclesiæ ministerium obeant, aut vt stipendia ab Ecclesiâ percipiant; sed vt suæ perfectioni vacent, & Deo seruiant: alimenta autè gratis percipiunt vt pauperes. Itaque ex hoc capite nulla fuit ratio tam grauis vinculi imponendi. Et sanè cum illæ sæculum deferant, omnes opes, voluptates, propriam voluntatem, & in latebras perpetuas monasterij se abdunt, vt occasiones peccatorum vitent, & liberi spiritus Deo seruiant; parum videtur humanum, si nouus ille laqueus illis iniiciatur, & sub peccato mortali ad preces tam longas & multiplices, quas non intelligunt, adstringantur. Sat enim ipsæ sibi oneris imponunt cum tribus votis se obstringunt, & discipline Religionis subiiciunt. Quis nouâ illam obligationem adè grauè non reformidet? Non esset hoc sacras Virgines ad Religionem allicere, sed abferrere.

Non

Nec Mo-
niales nec
professi
nondum
sacris
initiatii
tenentur
ad Horas
sub mor-
tali.
Ioan. Me-
dina.

Manuel
Sà.

Arragon.
Richardus
& Ange-
lus.

Fumus.

27
Non obli-
gantur sub
mortali ex
consuetu-
dine.

Neque ex
statuto
regula.

28
Alii Be-
nificarij
& Ordina-
ti, aliter
Moniales
ad Horas
obligan-
tur.

29
Superiores
ad publicū
Officium
conueniunt
sub mortali,
non tamen
sub
dita.

Non nego quin Conuentus ad officium publicum arte vinculo teneatur: huius enim omisso grauis censeretur: vnde Superior sub peccato mortali teneatur procurare vt quantum fieri potest, non omittatur. Sed ago nunc de obligatione singularum: vt si aliqua in choro sponte per aliquot Psalmos animo euagetur, vel cesset à cantu, vel si non frequentans chorum (vt pote alteri muneris destinata) non recitet priuatim, sed partē aliquā notabilem, vel totum, semel bis tunc omittat, non existimo eam mortifere peccare. Et contrarium videtur mihi durum, & parum humanum; quia sine vlla necessitate, vel notabili vtilitate prebetur occasio plurimorum peccatorum mortalium, & infinitorum scrupulorum, quibus plurimæ bonæ virgines creberrimè implicantur. Abundè satis erat correptio regularis, sicut in alijs regulis & statutis.

30
A simili,
de Conuer-
sis.

Accedit quòd Conuersis qui non sunt choro mancipati, multæ aliæ preces imponantur, quas quotidie Deo persoluant, non tamen dicendū est eos sub peccato mortali ad hoc teneri (etsi aliqui Doctores contra senserint, sed infirmâ ratione) sed solum veniali, vel regularis pœnæ correptione, vt plerique sentiunt. Si Conuersi, qui verè sunt Religiosi, & pensum præcum bene longum sibi assignatum habent in dies singulos, non tenentur ad eas sub peccato mortali; cur mancipati choro teneantur ad preces Canonicas sub mortali? Cur illa mancipatio sit illis adeo onerosa? Sicut autem in monasterijs virorum sunt Conuersi qui ad ministeria domestica admittuntur; ita inter Moniales sunt Conuersæ, quibus similiter multæ preces quotidie imponuntur. Vnde cum hæc Conuersæ non teneantur quotidie sub peccato mortali ad suas preces; neque ceteras putamus teneri ad suas, sed solum sub correptione regulari &c.

31
Item à si-
mili de
Canonicis.

Præterea sunt in Belgio & Germaniâ Conuentus Virginum, quæ vocantur Canonissæ, ex primarijs totius nobilitatis familijs, quæ publicè canūt Horas Canonicas insigni magnificentiâ, sicut Canonici, & habent præbendas instar Canonicorū; & tamen multi viri docti putant eas dum à choro absunt, non teneri sub peccato mortali ad officium diuinum; neque etiam in choro si aliqua non cantant, vel sponte distrahantur animo: Si iste non, tenentur tanto vinculo, quæ tamen certi modi præbendas habent; cur illud imponemus Monialibus, quæ aluntur vt pauperes, nec vilas habent præbendas aut obligationem ex fundatione quæ singulas constringat?

32
Male ap-
prehendi-
tur con-
suetudo hic
obligare
sub mortali.

Neque obstat, quòd dicantur consuetudine teneri sub mortali: quia, vt rectè Cajetanus & alij, de tali consuetudine habente tale vinculum non constat. Etsi enim satis constat de consuetudine qua Moniales consueuerunt publicè Horas canere, non tamen satis constat de consuetudine, quæ tantum vinculum singulis priuatim sit impostum. Deinde hæc consuetudo non aliter potuit inducere talem obligationem, quàm mediante hominum opinione, qui putarunt se obligari sub mortali, & iudicabant se peccare mortaliter si omitterent. Talis autem obligatio facile tollitur, si ostendatur opinionem illam non solido nitū fundamento. Sicut olim ante Sorum communis erat opinio omnem beneficiarium sub peccato mortali teneri quotidie ad Horas, etiam si beneficium solum duos vel tres aureos ei penderet: &

ita consuetudine & Doctorum opinione tenebantur sub mortali: verum postquam Sorus pgedaro iudicio docuit contrarium, passim cæpit illa rigida sententia exolescere. Simili modo putabatur esse peccatum mortale facere Sacrum ante preces matutinas: Itaque talis obligatio statim euanescit quoad grauitatem peccati mortalis, simulatque ostensum fuerit eam solido fundamentum minimè nitū.

33
Res grauis
sub leui
pœna po-
tess im-
poni.

Denique probabilissima sententia est posse obligationē imponi sub veniali, etiam si materia secundū se sit grauis, & capax obligationis sub mortali; maximè quando iusta ratio subest non imponendi maiorem obligationem, sed sistendi intra limites venialis: Hic autem iustissima videtur esse ratio non imponendi aut interpretandi maiore obligationem, quàm sub veniali iuncta simul regulari correptione. Sic enim abundè obtinebitur finis statuti, & conscientie infinitis scrupulis & periculis peccati mortalis eximentur. Sequitur nunc secunda questio.

34

Vtrum Confessarius in praxi hanc sententiam sequi possit, & Virginibus Religionem ingressuris id ipsam significare?

Hæc sen-
tentia est
iusta in
praxi.

Respondeo, Posse Confessarius sequi hanc sententiam in praxi, & Virginibus illis quæ timore tantæ obligationis sunt anxie, & absterrentur à Religionis ingressu, dicere quod sub leali non obligentur. Vnde etiam in choro sint distractæ, vel cessent canere per spatium aliquot Psalmorum, non peccaturas mortaliter. Similiter si cum non frequentant chorum, contingat aliquando ex negligentia partem aliquam officij, vel integrum officium omitti. Expedi enim vt sententia probabilis ob tantum bonum promouendum; sicut ad aliquod malum impediendum interdum vtitur sententia aliqua etiam parum probabili. Ad hoc probabile esse neminem in recitando Officio peccare mortifere qui exterius benè recitet, etiam interius voluntariè animo diuagetur, vt patet ex ijs quæ diximus lib. 2. de Iustitia c. 37. dubit. 11. Sequitur tertia questio.

Voluntaria
distractio
interna
non est
mortalis.

35

Concesso quòd Moniales choro mancipatæ peccent mortifere omissione Horarum: Vnum etiam Moniales quæ ratione alicuius officij permittuntur priuatim Horas recitare, teneantur sub mortifero peccato eas recitare?

Respondeo, Existimo Doctores qui tenent Moniales choro mancipatas peccare mortifere dū omittunt Horas, idem sentire de illis quibus ratione alicuius officij permittitur vt priuatim recitent. Nam choro mancipatæ dicuntur omnes, quæ admittuntur vt aliæ sorores ad functiones spirituales; etiam si ob aliquod officium chorum non frequentent, & distinguuntur contra Conuersas, quæ ad externa domus ministeria recipiuntur. Quòd si sint aliqua monasteria feminarum, quæ ex instituto non habent chorum aut officium publicum, sed priuatim & singulatim orant (quale tamen ego nunquam vidi) crediderim Doctores de talibus non loqui.

Precum
obligatio.

CASVS XV.

In Monasterio N. tenentur Conuersæ indices legere Psalmum Misereere, quod aliquoties omiserunt.

R ij

QVAE-

QVAERITVR, Vtrum peccarint mortaliter, ex eo quod saepe parua omiserint, vnde tandē materia notabilis orta sit?

36 **R**espondeo, Videri eas peccasse mortaliter sepius omitendo legere Psalmum Miserere. Ratio est, quia sicut 100. asses efficiunt materiam notabilem, siue soluendi sint simul eodem die; siue sensim diuersis & continuis: ita 100. Miserere efficiunt materiam notabilem. Idem dico de 100. salutationibus Angelicis. Pari modo et si die ieiunij modicum quid sumere nō sit peccatum veniale; tamen si quis decies vel duodecies id faceret, peccaret mortiferē. Sic magnas interdum pœnitentias iniungimus per plures dies distributas, quarum plures omittere, esset peccatum mortale.

37 Hęc tamen intellige quando obligatio operis quotidie faciendi, non expirat lapsu termini, sed manet. Cū enim imponitur à Superiore, vel voto suscipitur opus aliquod quotidie faciendum eo modo, vt singulae obligationes sint alligatae diei, & vnā cum die expirent; tunc ex obiectis non componitur quid vnum; & dici debet ex illis omissionibus nō exurgere peccatum mortale. Vnde si illa obligatio Psalmi Miserere quotidie dicendi esset ita alligata diei, sicut Horæ Canonicæ, (quod non est improbable) tunc prior ratio vim non haberet, nec omisio esset mortale.

Canonicarū obligatio ad Horas Canonicas.

CASVS XVI.

Vtrum Canonice Montenses, Malbodienses & Niuellesenses peccent mortaliter si Officium non dixerint quotidie?

38 **V**T solidè respondeatur, oporteret legisse illarum Canonicarum statuta, & præbendarum institutiones. Sed quia hæc non suppetunt, dicam quid probabilius mihi videatur.

Ista præbenda non sunt vera beneficia.

Suppono Primò Præbendas illarū, etsi ad imitationem Canonicatum, qui sunt beneficia, instituta sint, tamen non esse veros Canonicatus, seu beneficia. Quia verum beneficium requirit Ordinem, vel certè primam Tonfuram; & animum perpetuè se addicendi statui Ecclesiastico; & habitum clericalem. Vnde quæ in Iure vel à Doctoribus dicuntur de Beneficiarijs, non sunt intelligenda de istis Præbendarijs feminis: neque obligationes & pœnæ aliorum ad istas extendendæ: odia enim & pœnæ sunt restringendæ.

In istis Canonicis est aliqua obligatio ad officium diuinum.

Suppono Secundò, Illas habere aliquam obligationem quamdiu sunt in eo statu sicut ad certum habitum saltem in Ecclesia gestandum, ita etiam ad officium diuinum: tum quia ad imitationem Canonicatum ista Præbendæ videntur instituta (Canonici enim illo tempore sanctè viuebant, & in multis nobilibus Ecclesijs videmus non nisi Nobiles admitti:) tum quia si non obligarentur, non tam sedulo illud obirent. Hinc

39 Conuentus tenetur sub mortali quotidie curare vt fiat officium diuinum.

Infero Primò, Conuentum seu Capitulum illarum, & singulas de Capitulo obligari sub peccato mortali vt quotidie officium diuinum fiat: ita vt si quæ id impediret, vel præsentia suæ ad id necessaria subtractione (vt si admodum essent pauca) vel alio modo, illa esset peccatura mortaliter. Quia officium diuinum publicè obeundū, est præcipua functio ad quam & Canonicatus, & Præbendæ illæ sunt institutæ.

Infero Secundò, Absentiam vnus, duorum, vel etiam trium dierum, alicuius personæ non necessariæ Choro, non esse censendam peccatum mortale, etiam si commodè posset adesse. Quia etiam si interim non concurrat ad officium publicum; non tamen inde aliquod notabile sequitur incommodum illi officio, ratione cuius deberet censerī illa absentia peccatum mortale. Idem iudico de Canonicis residentibus. Non tamen excusarem eas à peccato veniali, si absque causa legitima absint.

Infero Tertiò, Omittere officium vno vel altero die, dum Chorum non frequentant, non videtur peccatum mortale. Primò, Quia non tenentur ratione veri beneficii, vel Ordinis, vt patet. Neque etiam ratione suæ Præbendæ tam strictè sunt obligandæ: quia hæc non sunt potissimum institutæ vt orent pro Ecclesiā; sicut Præbendæ Canonicorum; sed vt ibi honestè alantur, & piè instituantur, vt postea, vbi statum firmum capesserint, sciant viuere sicut decet Christianas &c. Officij recitatio solum videtur annexa tanquam pium exercitium, quod iuuet illas ad pietatem. Secundò, Quia nisi Ecclesiā tam grauiter iniungeret beneficiarijs quotidianam precum recitationem, & Doctores omnes in hanc sententiam irent; non interpretarentur illorum obligationem tam seuerè, nempe sub peccato mortali eos teneri quotidie recitare, modò officium publicum fiat in Ecclesia. Quia non videtur illa fuisse mens fidelium, qui illas fundaciones fecerunt. Hi enim non videtur respexisse nisi ad publicum officium. Ergo multò minùs id faciendum in hoc casu. Tertiò parum mihi videtur credibile S. Waldetrudem, & alias sanctas Fundatrices, tam seuerè illas nobiles Virgines intendisse obligare ad quotidianam recitationem, modò fieret officium publicum. Primaria enim intentio non erat vt orarent pro Ecclesiā tanquam Ministræ Ecclesiæ, sicuti orant Canonici; sed vt hoc exercitio se ad pietatem formarent: quæ intentio non multum violatur si aliquoties officium omittant priuatim dicere; præsertim dum parentes inuisunt.

Si tamen ad longum tempus omitterent, v. g. ad mensem integrum, vel fortè etiam ad hebdomadam vnā, credibile est eas mortaliter peccare. Quia etsi non multum sit contra finem institutionis, & intentionem Fundatricis ad paucos dies omittere hoc pietatis exercitium; tamen videtur multum repugnare si ad longum tempus id fiat.

Vtrum autem amittant fructus suarum Præbendarum, pro eo tempore quo non recitarunt officium, dubitari potest. Omnibus ritè perpensis, censo non amittere ipso facto; ac proinde non teneri ad restitutionem. Primò, Quia neque Canonici illos amittunt (quidquid aliqui dixerint) seclusà ordinatione Pontificis & Concilij Lateranensis sub Leone X. quæ ad ipsas extendi non debet, cū sit pœnalis. Loquor de Grossa quam vocant, seu Corpore, nō autem de distributionibus. Secundò, Quia illa Præbendæ non sunt potissimum institutæ vt orent pro Ecclesia, & vt sint instar stipendij, sicut Præbendæ Canonicorum. Addo tamen, Possè statui, vt, si omittant, præsertim per multos dies, non possint accipere fructus, vel certè vt illis detrahantur, seu vt non dentur.

CASVS

Canoniarum obligatio ad residentiam.

CASVS XVII.

Statuit Carolus V. glor. mem. ad instantiam Canoniarum Montensium ad impediendas longas absentias (quia tunc ordinariè aberant tres vel quatuor annos) ut sint obligati a quous anno ad residendum sex menses sub pena perdendi grossos fructus suarum prebendarum, vel pro rata temporis, quo excedent dictos sex menses.

QVAERITVR, Virum virtute illius statuti, debeant priuari dictis fructibus domicelle, quae superiori anno abserunt ab oppido Montensi propter contagionem, sicut prætendunt sex vel septem domicella quae manserunt?

44

Expensis verbis & mente Statuti Imperatoris, censemus non esse priuandas: supposito quod illis domicellis iudicio Medicorum fuerit notabile periculum infectionis, si mansissent in oppido eo tempore. Ratio est, quia contra hoc statutum non peccarunt. Non enim mens statuti fuit eas in notabili vitæ periculo obligare ad residentiam, sed solum quando absque incommodo gratij possent residere. Hanc esse statuti mentem manifestè ex multis colligitur: Primò, Ex persona stantientis. Quis enim credat Imperatorem tam durè & inhumanè voluisse illas virgines tractare, ut etiam cù periculo vitæ vellet eas residere, & nisi residerent, priuare sua portione? Secundò, Ex conditione ipsarum virginum, quas non decet tam durè tractari. Tertiò, Ex occasione qua hoc statutum est conditum: Non enim petierunt illae dominae tale statutum fieri propter eas quae iusta de causa abessent, sed ad tollendum abusum, quo vni vel plures annos pro arbitrio aberant. Hæc fuit tota ratio illius statuti condendi: ac proinde secundùm hanc limitandum est & interpretandum. Ratio enim & finis legis est anima legis, ut rectè dixit Baldus in L. Si quis seruo, C. de Furtis. Quartò, Idem colligitur ex eo quod possint ob causas longè minoris momenti, ut ob nuptias, baptismum, exequias parentum, & similes, abesse supra illos sex menses: Vnde contra rationem foret eis non permittere absentiam durante periculo vitæ.

Absentes virgines ob pestem à Choro & urbe, non sunt priuanda grossis fructibus.

45 Peri beneficiarij eo casu non priuantur fructibus.

Denique non minùs strictè obligantur Canonici & alij beneficiarij ad residentiam, sed multò strictiùs; & tamen in tali casu non possunt priuari fructibus propter absentiam; vt docet Couarr. lib. 3. Variarum. cap. 13. n. 8. & Franciscus à Ripa in tract. de Peste p. 2. n. 145. quem citat Couar. vbi dicit, quod absens à loco beneficij tempore pestis, præcipuos ac principales fructus percipere debeat, non tamen distributiones quotidianas, quae solis præsentibus dari consueuerunt. Nos hic solum de fructibus præcipuis agimus, non de distributionibus. Si Canonici & alij beneficiarij qui multò arctiùs obligantur ad residentiam, non sunt priuandi fructibus maioribus propter absentiam tempore pestis, eò quod hæc causa absentie sit iusta, multò minùs priuanda sunt illae virgines, quarum præbendæ non sunt beneficia Ecclesiastica, sed subsidia honestæ educationis. Valdè enim inhumanum foret velle illas virgines nobiles & sæculares statuto Principis sæcularis duriore

vinculo constringere ad residentiam, quam Ecclesia per suos Canones constringat Canonicos.

Dicit aliquis Dominae seniores iam à viginti annis ceperunt hoc statutum seruare, cum eo rigore: ergo iam præscriptione acquisierunt ius vt possint in posterum illud curare seruari.

46 Non est contra eas præscriptum.

Ad hoc respondetur, non potuisse hoc ius priuandi eas quæ tempore pestis essent absentes, præscribi intra viginti annos, cum intra illud tempus ille casus nisi semel, nempe superiori anno acciderit. Itaque nunquam hoc iure vsæ sunt, nec vnquam in huius iuris fuerunt possessione; ac proinde non potest huius iuris prætendi præscriptio, aut consuetudo, quæ requirit longi temporis possessionem. Imò nec refert quod propter absentiam ex morbo semel quandam priuarunt; quia casus morbi est diuersa rationis.

Ex quibus omnibus concludo supra dictas domicellas ex vi illius statuti non esse fructibus præbendarum suarum priuandas, ne quidem pro rata temporis, quo abserunt durante periculo prædicto.

ILLEGITIMVS.

CASVS I.

Titius famulus Caij & Lucretia, viuente Caio ex Lucretia genuit Terentiam, quæ ideo spuria est. Mortuo Caio duxit Lucretia in uxorem Titias, & curauit Terentiam suam per Nuntium Apostolicum legitimari.

Illegitimi legitimitatio.

QVAERITVR Primò, Virum Lucretia iuxta legem oppidi istius possit tertiam partem bonorum suorum dare Terentiae, non obstante iure communi, quo prohibetur dare quidpiam spurij præter alimenta.

QVAERITVR Secundò, Si non possit dare in præiudicium liberorum Caij, virum poterit illi dare illam tertiam per fideicommissum?

AD Primum: Respondeo, Lucretiam non posse relinquere tertiam suæ filiae spuriae. Est communis sententia Doctorum; vt patet ex Couarruua de Matrimonio parte 2. c. 8. §. 5. num. 5. & Iulio Claro l. 3. §. testamentum qu. 31. & alijs. Probatur Primò, Authentica Licet, C. de Natural. lib. in fine: Qui ex damnato sunt coitu, omni prorsus beneficio secludantur. Et Nouella 74. cap. 6. dicitur, Nulla eis participanda clementia est; & infra, Vt sciant nihil habituros paterna concupiscentia filios: huius autem Authenticae dispositio est in vlu, & obseruanda in vtroque foro, vt docet Clarus, Couar. & alij. Hinc colligunt DD. si Pater spurio aliquid in testamento præter alimenta relinquat, nihil per hoc iuris illi acquiri, sed teneri in conscientia restituere legitimis heredibus; vt docet Couar. nu. 11. & Molina dist. 168. quia per leges factus est incapax. Idem sentiunt omnes DD.

1 Negatur posse.

Dices, Iestas leges loqui de patre, non de matre, quare cum materia sit odiosa, non esse extendendam ad matrem.

leges quæ de patre, etiam de matre sunt intelligenda.

Respondeo, Eas loqui in genere, Omni prorsus beneficio secludantur: sciant eos nihil habituros, vbi apertè excluditur etiam beneficium maternum.

R iij Idem

Nem apertè conuincitur ex L. Si qua illustri C. ad S. C. Orfilianum, vbi dicitur mulierem illustrem, si proles habeat legitimas, non posse quidquam dare, vel testamento relinquere suo spurio. Denique, hæc est communis sententia DD. Vide Couarr. §. 5. n. 20.

2
Potius ex
traneis
quàm spu-
rijs possunt
parentes
beneficere.

Dices, Cur mater non potest disponere de illo triente in spurium, cum possit in extraneum? Respondeo, Quia lex reddit spurios incapaces talis beneficij à parentibus accipiendi, idque in peccatam adulterij; vt docet Clarus supra: vbi dicit, Pater spurij potest cuius in testamento relinquere, præterquam filio spurio; & filius spurius potest à quouis, præterquam à patre, sibi relicta accipere: Sub patre, etiam matrè intellige à fortiori. Præterea si posset mater filie spurie relinquere trientem, plus ei relinqueret, quàm legitimis prolibus: hoc autem iniquum esse, docent DD. nam illegitimo etiam legitimato nõ potest maior portio relinqui, quàm sit minima relicta alicui ex legitimis; vt docent Additiones ad Iulium Clarum ex Decio, & alijs.

3
Alimenta
ijs possunt
relinquere,
nisi aliunde
de ea ha-
beant.

Possunt tamen proli spurie relinqui alimenta si aliunde non habeat; vt patet ex Cap. Cum haberet, de eo qui duxit in vxorem, quam per adulterium polluit. Est communis sententia DD. teste Couarr. §. 6. num. 9. Quod si aliunde habeat, non potest ei quidquam relinqui; leges enim ne alimenta quidem illis relinqui volunt: quod Ius Canonicum moderatum est, vt parentes teneantur necessaria subministrare, non amplius; id est, quæ ad victum, vestitum, institutionem, habitationem, & similia sunt necessaria, spectatà conditione personarum. Itaque si hæc aliunde habeat, non possunt parentes ea dare. Idem docet Molina dist. 168. Itaque cum Terentia à patruo religionem ingresso relicta sint annui mille octingenti floreni & amplius, non possunt illi à matre alia facultates ad alimenta relinqui.

4
Non potest
per fidei-
commissum
spurij
providere.

Ad Secundum: Respondeo, Lucretiam non posse vti illo artificio fideicommissi. Si enim det vel relinquat extraneo cum onere fideicommissi substituendi filie, peccat mortiferè; vt docet Molina & alij passim. Et heres si acceptet, promittens implere, similiter peccat mortiferè. Et si ex vi huius substitutionis hereditatè transferat in spuriam, totum est irritum, nec potest in foro conscientie retinere; vt idem Molina & ceteri DD. passim docent. Ratio est, Tum quia violant legem grauissimis pœnis munitam; tum quia spuria est incapax, vt sic accipiat.

5
Quid Lu-
cretia sua-
dendum.

Suadendum omnino sentio Lucretie vt ab hac machinatione desistat: grauissima enim inde mala sequi possunt: nam supra modum offendit proles suas legitimas, totamque stirpem. Satis afflictionis illis dedit, primò per lapsum turpem; deinde per matrimonium cum Titio suo famulo, stirpe sua parum dignum. Tertio, Per tam importunam exactiõem dotis, ratione prioris matrimonij cum Caio, à legitimis prolibus sibi debitæ, quam ratione suæ culpæ amiserat. Quarto, Seipsam, maritum defunctum, & consequenter totum genus suum infamando in tot Tribunalibus.

Addo, Etsi proles legitima & generi cum ea quandam transactionem (Appointment) fecerint, tunc cum non scirent se ratione illius culpæ esse liberos à solutione dotis promissa per patrem; tamen Lucretia exigere non debet; quia ex ignorantia proprii iuris illam transactionem fecerunt, non intendentes iure suo cedere. Vnde reuerà & in conscientia nihil iuris matri per talem transactionem acquisitum est; nec potest ex vi illius dotem à prolibus legitimis hereditibus mariti prioris petere. Itaque meritò à Confessario scrupulus illi esset iniiciendus in hac repetitione.

CASVS II.

Illegitimi Legitimatiorum. Ex Titio Subdiacono & Caia soluta nati sunt filij: impetrata dispensatione Titius & Caia contrahunt matrimonium.

QVÆRITVR I. Viri filij ex illa ante matrimonium nati, per matrimonium stant legitimi?

QVÆRITVR II. Quis illos possit legitimare, si illo modo non efficiantur legitimi?

Ad Primum: Respondeo, Non effici per tale matrimonium legitimos. Ratio est, Quia non sunt naturales, sed spurij concepti ex copula sacrilega. Atqui soli naturales, (id est concepti ex parentibus, inter quos tempore conceptionis vel natiuitatis non erat impedimentum dirimens) per subsequens matrimonium efficiuntur legitimi; vt communiter docent DD. & colligitur ex Cap. Tanta, qui filij sint legitimi: vbi dicitur natum ex adulterio viri, non effici legitimum per subsequens matrimonium, etiamsi parentes postea contrahant, quia est spurius, id est, quia est ex coitu qui accedente consensu non poterat esse conjugalis. Vnde DD. idem colligunt de omnibus spurij. Ita Panormitanus in illud Cap. Vide Couarr. in Epitome 4. cap. 8. §. 2. num. 1. & sequentibus.

Ad Secundum: Respondeo, Suam Sanctitatem non posse istos legitimare ad successionem hereditariam; neque ad officia secularia (nisi sint subditi in temporalibus) sed tantum ad spiritualia, nempe ad Ordines, beneficia & dignitates; excepto eo casu, quo causa boni communis potestas Pontificis se extendit indirectè ad exercendam iurisdictionem in alieno regno. Vt apertè colligitur ex Cap. Per venerabilem, qui filij sint legitimi. Ratio est, quia legitimatio subditorum ad temporalia, pertinet ad supremum Principem ipsorum in temporalibus. Vide Covarruiam supra cap. 8. §. 8. nu. 47. vbi id expressè docet, estque communis opinio, quæ seruatur in praxi; vt testatur Panorm. in Cap. Per venerabilem, nu. 22. Quamuis non sit improbabile si solum agatur de successione in bona illius Clerici, Pontificè posse legitimare; eò quòd bona Clericorum exempta sint à iurisdictione Principis secularis. Contrarium tamen est verius, vt idem Couarr. ostendit num. 48. quia iurisdicatio non est exercenda in Clericum, sed in Laicum, qui est subditus Principi seculari.

Sentio igitur nullum esse remediũ, nisi vt petat legitimatiõem à Principe suo, qui quo ad ciuile iurisdictionem alteri non subest.

Addo, Si hæc in Belgio recepta esset Bulla Pij V. qua statuit vt Ecclesiasticorum bona ad filios eorum ex sacrilegio natos non perueniant, opus fore duplici dispensatione, vt possint parenti Clerico succedere; Pontificis quidem, ratione illius Bullæ; Principis secularis, ratione habitualis ad succedendum absolutè.

CASVS

CASVS III.

Dispensatio illegitimi ad Ordines.

Quidam Illegitimus ex Sacerdote & solam accepit tonsuram absque dispensatione: deinde ab Illustrissimo Nuntio petit dispensari ad Ordines omnes & beneficia etiam Curata: & in supplicatione narrasse per inadvertentiam defectum natalium coram Episcopo subicuisse, quod falsum erat.

QVÆRITVR, An dispensatio obteuta non censetur subreptitia?

R Espondeo non censeri subreptitiam illam dispensationem.

9 Dispensatio censetur bona.

Primò, Quia dispensatio Illustrissimi Nuntij non nititur illa inadvertentia, sed meritis, & bona vita, ac doctrina supplicantis, ut expressè habetur in instrumento dispensationis, ait enim: Meritorum tuorum intuitu specialem tibi gratiam facere volentes &c. Vnde nec addit clausulam (si ita est) sed absolute dispensat.

Secundò, Quia expressio falsi, & omissio veri, non vitiat dispensationem, quando aliàs aequè bene erat concedenda, ut communiter Doctores tradunt: Quia tunc error non est causa dispensationis, sed libera voluntas dispensantis. Atqui non est credibile Illustrissimum Nuntium fuisse recusatorem dispensationem etiam scivisset eum fraudulentè defectum suum non aperuisse Episcopo: ergo.

Illegitimus potest accipere primam tonsuram.

Tertiò, Quia illegitimus nullo iure expressè prohibetur accipere primam tonsuram, sed solù Ordines. Nomine autem Ordinum & ordinationis non continetur prima tonsura secundùm D. Thomam, & communem Theologorum sententiam: ergo non fuit gravis culpa in accipienda tonsura, qua mereatur denegari dispensationem. Solùm prohibentur, illegitimi accipere tonsuram ex consequenti, quatenus prohibentur accipere Ordines: & quatenus tonsura est preparatio & dispositio ad Ordines.

Illegitimitatis dispensatio ad Religionem.

CASVS IV.

Titius Religiosus dimissus est ob impedimentum sibi illegitimi cum haberet dispensationem Illustrissimi Nuntij, sed per imperitiam & errorem impedimento non satis expresso.

QVÆRITVR Primò, An egeat nova dispensatione ad celebrandum?

QVÆRITVR Secundò, An possit vti officio sui Ordinis, & An reneatur ad alia peculiaria choro?

QVÆRITVR Tertiò, An possit matri succedere?

QVÆRITVR Quartò, An possit repetere 500. florenos, quos monasterio dedit?

10 Non eget dispensatione ad celebrandum saltem in foro conscientie.

A D Primum: Respondeo, Ex eo quòd Titius sit dimissus ab Ordine sine sua culpa, non eget dispensatione ad celebrandum: Sufficit enim ea dispensatio per quam poterat celebrare in Ordine. Et quamvis in rigore Iuris, & in foro externo illa dispensatio Illustrissimi Nuntij pateretur difficultatem; tamen in foro conscientie, & ex

æquitate est admittenda: quia constat Nuntium voluisse tollere omne impedimentum tibi illegitimi, tam ad Ordines, quàm ad beneficia, ut suppono ex casu proposito: & ita de factò censeri debet ablatum: etiam si per imperitiam & errorem impedimentum non fuerit satis expressum; præsertim concurrentibus tot circumstantijs. Vnde in foro conscientie non est opus nova dispensatione: nisi forte ex illa dimissione rex esset patefacta; & oriretur scandalum apud aliquos qui viderent eum celebrare.

Ad Secundum: Respondeo, Cum Titius sit verè Religiosus, & validè professus, potest vti officio approbato sui Ordinis: cumque sit eiectus ab Ordine, non tenetur ad alia peculiaria choro, ut ad officium defunctorum & anniverfaria, quæ in choro celebrari solent.

11 Potest vti officio defunctorum.

Addo Titium non videri iuste eiectum: tum, quia illa dispensatio sufficiens erat saltem in foro conscientie ad maiores Ordines; tum maxime, quia monasterium seu Conuentus illum tot annis retinuit, & honoravit varijs officijs; etiam postquam innotescere ei cepit eius impedimentum; & ita visus fuit ei hoc condonare; & eum de nouo implicite admittere. Si volebat eum dimittere, debebat id facere statim re cognita, ut multis Iuribus & exemplis ostendi potest.

Non censetur iuste eiectus.

Ad Tertium: Respondeo, Etli probabile sit illegitimum talem posse matri succedere, tamen Titius cum sit Religiosus, non potest ei ab inretrato suo nomine succedere: Si tamen ab amicis aliquid possit gratis obtinere, non tenetur Conuentum, à quo expulsus est, certiorè reddere. Quia tamen Ius successionis quod ipse habebat, per professionem in Conuentum translatum est, posset ipse petita venia à conuentu, nomine Conuentus exigere suam portionem, & eà vivere; reseruatò eo quod superesset post mortem pro Conuentu.

12 Non potest succedere, quia Religiosus.

Ad Quartum: Respondeo, Cum Titius non fuerit legitime eiectus à Conuentu, potest exigere & repetere illos 500. florenos quos Conuentui dedit; & Conuentus tenetur illos restituere.

13 Tenetur conuentus restituere acceptum.

INDVLGENTIA ET IVBILÆVM.

CASVS I.

Quantas qualesque Indulgentias possit dare Archiepiscopus?

Indulgentia Archiepiscopalis.

D Ico Primò, Archiepiscopus potest dare Indulgentias 80. dierum. Ita Henricus lib. de Indulgentijs c. 32. Ratio esse potest, quia Episcopis conceduntur à Concilio 40. dies: æquum ergo est ut Archiepiscopo duplum concedatur.

Dico Secundò, Potest dare Indulgentias perpetuas, id est, singulis annis recurrentes. Ita Paludanus dist. 20. quæst. 4. & alij. Ratio est, quia nusquam id ei prohibetur in Iure. Per se autem potest in sua diocesi, quod Papa in tota Ecclesia, nisi Iure limitetur, ut docent Sotus & alij.

Dico Tertio, Potest dare Indulgentias pro eodem opere sæpius repetito, præsertim diuersis diebus. Ratio est, quia nusquam prohibetur.

R iij

CASVS

CASVS II.

Indulgentia in Religionis ingressu.

Quando Religiosus consequatur Indulgentiam Plenariam, quam Patres & Doctores dicunt illum consequi per ingressum Religionis?

²
Subinde dum initur nouitatus, vel assumitur habitus.

Respondeo, Posse hanc Indulgentiam interdum obtineri dum suscipitur habitus; aut initur nouitatus: nimirum si id fiat ex magna charitate erga Deum, & eum perfecta mundi renuntiatione. Nam ardenti affectu renuntiare mundo, & mancipare se obsequio diuino, sæpè satis est ad remissionem omnis culpæ & pœnæ.

Ordinariè in professione.

Ordinariè tamen credibile est id non fieri nisi in ipsa professione, vel cum vota essentialia in Societate emittuntur. Ratio est, quia tunc debetur hoc beneficium quando quis seipsum perfectè & omnia sua Deo irrevocabiliter mancipat, se & sua illi in sacrificium offert; quando moritur mundo morte ciuili, & inchoat nouum statum, & nouam vitam: hoc autem fit per professionem. Omnia quæ ante fiunt non perfectè hominem Deo mancipant, nec tribuunt ei statum & firmitatem, nec faciunt eum mori ciuilitè, nec spoliant eum propria voluntate, sed solum fiunt probandi causa, & disponunt ad hunc actum tanquam ad finem. Nouitius enim est similis catechumeno, qui ex ijs quæ præcedunt baptismum non consequitur remissionem omnis pœnæ, sed per ipsum baptismum; cui respondet professio, seu incorporatio in religionem. Colligitur ex D. Thoma 2. 2. q. vltima. a. 3. ad 3. & Caietano ibidem, & Quodl. 3. a. 13. Idem docet Corduba in Regulam D. Francisci c. 2. q. 14. tanquam indubitatum.

Comparatio Nouitij & Catechumeni.

CASVS III.

Indulgentia plenaria in forma Iubilæi.

In die Circumcisionis Domini conceditur in templo Societatis IESV plenaria Indulgentia in forma Iubilæi.

QUÆRITVR PRIMÒ, *An eadem illa causa quæ est pro concedendis illis Indulgentijs, non possit etiam sufficiens censi pro dispensatione votorum particularium.*

QUÆRITVR SECUNDÒ, *An ex vi talis Indulgentia non possit quis eligere Confessarium qui absoluat à reſeruatjs, commutes vota &c. sicut fit in Iubilæo?*

AD PRIMUM: Respondeo, Certum est causam illam communem quæ sufficit ad concedendas Indulgentias etiam plenarias, non sufficere pro dispensatione votorum particularium: Hac enim requirit iustam causam respectu huius personæ; quæ plerumque nullam habet connexionem cum causâ Indulgentiarum: v.g. Vouit quis continentiam, vel non ludere aleis ob periculum blasphemiar, iræ &c. ratio voti perseverat, etiam si amplissima detur Indulgentia. Quare non potest liberari obligatione voti. Irrita enim est dispensatio nisi causa iusta subsit.

AD SECUNDUM: Respondeo, Quam vim habeat Indulgentia plenaria in formâ Iubilæi, seu ad instar Iubilæi (quæ duo idem valent) docet Nauarrus de Iubilæo notabili 9. & 26. & ostendit idem

esse quod Indulgentia plenissima. Quod verò talis formula verborum non contineat facultatem eligendi Confessarium qui absoluat à reſeruatjs, dispenſet in votis &c. vel ex eo colligi potest, quod hac de re nihil certi sit constitutum pro ipsis Iubilæis. Nam interdum maior, interdum minor potestas conceditur. Deinde res tanti momenti claris verbis exprimenda erat, sicut in diplomatis Iubilæorum exprimitur. Deniq; est contra mentem Societatis: non enim Societas pro die Circumcisionis intendit à Pontifice obtinere vt fideles possent eligere alium, quàm Societatis Confessarium, aut vt alijs daretur potestas absoluedi à reſeruatjs & dispensandi &c. Vnde mihi certum est talem potestatem illis verbis non concedi.

CASVS IV.

Virum Teneantur Religiosi mendicantes, maximè subditi quidquam erogare in eleemosynam, vt Indulgentiam Iubilæi consequantur?

Respondeo, Non teneri. Tùm, quia Iubilæum intelligitur de ijs qui habent administrationem: Tùm, quia in aliud opus commutari id potest; vt expressè in Bulla habetur. Vnde etiam subditi nõ tenentur petere licentiam vt possint aliquid sibi subtrahere ad eleemosynæ largitionem.

CASVS V.

Virum Religiosi possint ex vi Iubilæi confiteri Sacerdoti non approbato? Et quisnam per Ordinarium intelligatur?

Respondeo, Etsi alias Religiosi possint confiteri Confessario non approbato: si tamen ex vi Iubilæi velint absolui, debent confiteri approbato: quia id expressè requiritur in Bulla.

Per Ordinarium, non intelligitur Superior Regularium; sed Episcopus, & Vicarius eius Generalis, & Abbas habens Ecclesiam, in qua exercet Episcopalem iurisdictionem.

CASVS VI.

An qui commutauit votum suum vi Iubilæi in aliud pium opus; possit post Iubilæum vi eiusdem hoc pium opus rursus mutare in prius votum, vel in aliud pium opus?

Respondeo, Eum qui semel commutauit votum suum vi Iubilæi in aliud pium opus, non posse post Iubilæum vi eiusdem Iubilæi hoc pium opus rursus mutare in prius votum, vel in aliud pium opus; nisi fortè id fiat paulò post, ita vt censeatur completio actionis antea tempore Iubilæi inchoatæ. Ratio est, quia illa potestas commutandi votum, iam cum Iubilæo expirauit; nec censeatur continuari nisi ad necessariâ continuationem eorum quæ antea erant incæpta.

Aduerte tamen, Si votum illud erat reſeruatũ, iam facta mutatione desinere esse reſeruatũ, dummodò votum id sit mutatum in opus, cuius intuitu votum non fuisset reſeruatũ.

I V D E X

Inquisitio extraiudicialis.

I V D E X.

CASVS I.

Titius fuit socius Caio in homicidio perpetrando: capitur Caius: fatetur: plectitur deestlo ante socio. Capitur Titius: torquetur: pertinaciter negat: dimittitur. Post triennium idem Titius ob furum captus est, & in carcerem coniectus. Iudex illum agnoscens, extra tormenta rogat; Nonne tu es ille, qui talem virum, tali tempore occidit? Fatetur, & propter utrumque condemnatur.

QVÆRITVR, An Iudex peccarit quarendo &c.

1 R Espondeo, Non peccasse: quia mansit suspicio & indicium pristinum ex depositione Caij. Nec obstat quod fuerit dimissus: quia illa dimissio non habet vim abolitionis vel declarationis innocentia; sed solum facta fuit defectu probationis. Vnde si veniant postea novi testes, vel ipse sponte fateatur, plecti potest. Hic autem sponte fallus est, poterat enim negare.

Iudices quando habent indicia, multa possunt interrogare dum examinant reos: modò id fiat absque tormentis, vel tormentorum minis. Idem vsu receptum est. Reo tamen videndum quid fateatur.

Si tamen hæc confessio rei extra iudicium facta est, non potuit ex ea condemnari, nisi eadem in iudicio repetatur: quod credibile est hic factum. Poterat reus in iudicio negare. Sibi imputet inconsultam confessionem. Cauendum est ne facillè tales iudicum praxes reprehendantur, nisi manifestè sint iniquæ.

CASVS II.

Informatio extorta.

Iudex secularis suadente Petro Canonico occultè capit informationes contra Ioannem Canonicum, adigendo subditos suos sub iuramento, ut coram se deponerent quod de eo nossent.

QVÆRITVR, Vtrum tam Iudex, quam suasor Canonicus, incurrerint excommunicatione Bullæ Cœnæ?

3 S pecie facti diligenter expensa: Respondeo, Etsi Iudex ille secularis malè fecerit capiendò occultè informationes contra Ioannem Canonicum, & adigendo sub iuramento subditos suos ut deponerent coram se quod nossent in causa iniuriarum Canonici contra Monialem: non tamen in excommunicationem Bullæ Cœnæ, vel aliam incidit. Ratio est, quia illi soli excommunicantur in Bulla Cœnæ quòd ad hunc articulum attinet, qui personas Ecclesiasticas ad tribunal secularis Iudicis pertrahunt, vel pertrahi faciunt, &c. Atqui capere occultè informationes contra personam Ecclesiasticam, non est illà pertrahere ad tribunal. Nulla enim adhuc facta citatio, &c. Vnde cum pœnæ non sint extendendæ ultra verborum proprietatem, non est dicendum Iudicem illum, aut Canonicum suasorem, incurrissè pœnâ excommunicationis Bullæ Cœnæ. Neque est aliud

Ius quo tale factum pœnâ excommunicationis plectatur.

Acedit quòd Iudex illam informationem videatur fecisse, non ut vsurparet sibi iudicium in Canonici, sed ut iuaret partes accusantis: quod non esset illicitum, nisi excessisset in modo, nimirum adigendo subditos deponere sub iuramento. Denique probabilis ignorantia excusat coram Deo à pœna excommunicationis, quia abest contumacia.

Probabilis ignorantia excusat ab excommunicatione.

CASVS III.

Consiliu.

Vtrum Aduocatus consultus à Iudice seu Magistratu de pœna reo irroganda, fiat irregularis, si mors reo deinde inferatur?

3 S I Aduocatus ille à Magistratu seu Iudice consultus de pœna reo irroganda, respondit solum in genere explicando quid Iura statuunt, non erit irregularis, etiamsi reus morte sit plexus à Iudice. Si verò respondit in particulari, Hunc mereri mortem, & multò magis si Iudicem instigauit ad hunc plectendum, erit irregularis, modò illa incitatio fuerit causa mortis, vel accelerationis eius. Siluester V. homicidium l. n. 12. citans Hostiensem & Panormitanum. Henric. cap. 16. num. 4. & alij.

In hac irregularitate nõ potest dispensare Episcopus, etiamsi possit in casuali, quod est contra Couarruam in Cap. Alma. 2. p. §. 3. in fine. Estque communis sententia Recentiorum, ut docet Henriques cap. 19. Porro Societas ex Priuilegio Gregorij XIII. viuæ vocis oraculo potest dispensare in hac irregularitate, sed solum in foro interno. Vnde etsi hæc dispensatio faciat licitam Ordinum & beneficij receptionem, non tamen prodest in foro externo, si fortè lis moueatur ei, quocum ita est dispensatum. Quare ut sit securus in foro externo, debet obtinere dispensationem Romæ à summo Pontifice. Quòd si non timer aduersarium, sufficit ei dicta dispensatio.

4 Hac irregularitas non potest tolli ab Episcopo.

Potest tolli à Societate in foro interno.

DE IURAMENTO.

CASVS I.

Promissio iuramento confirmata.

Petrus promittit se daturum 100. Monasterio, idque iuramento confirmat. Monasterium recusat accipere.

QVÆRITVR Primò, An teneatur Petrus dare illa centum ratione iuramenti?

QVÆRITVR Secundò, Quid si Petrus simpliciter iuret se daturum 100. Monasterio, & Monasterium recuset: quid faciet Petrus?

V T hæc res clarè intelligatur: Notandum est, quòd dupliciter potest se quis iuramento obstringere: Primò, cum aliquid promittit alicui, & addit iuramentum quo iurat se promissum seruaturum. Secundò, cum absolute iurat se aliquid facturum, v.g. daturum 100. pauperibus. Nunc

Respondeo Primò, Cum sit priore modo, iuramentum non cadit immediate in executionem rei; sed in obseruationem promissionis. Vnde dicitur esse accessorium promissioni: nã stante promissione, obligat; eà autem cessante, non obligat. Vnde

Vnde si contingat promissionem non insinuari ei cui facta est, aut non acceptari, aut acceptatam legitime tolli seu elidit; cessat obligatio iuramenti. Solum enim iuramentum obligat ad seruandum promissum, supposito quod promissio legitime acceptetur. Neque hinc sequitur cum qui sic promissit & iurauit, teneri aperire suam promissionem: Non enim magis ad hoc tenetur, quam si non iurasset. Nec ideo tale iuramentum est illusorium aut frustraneum: nam seruit ad inducendam obligationem absolutam in euentum quo continget promissionem legitime acceptari.

6 Respondeo Secundò, Cum iuramentum fit secundo modo, tunc immediate cadit iuramentum in executionem rei: vnde non est opus vlla acceptance; sed tenetur homo ex se rem exequi, ne Deum faciat testem falsi. Itaque tenetur insinuare imò & offerre rem quam iurauit se daturum. Si tamen alter recuset eam accipere, cessat obligatio; quia illi iuramento inerat hæc tacita conditio, si alter, in cuius fauorem res est cessura, velit. Itaq; cum hoc modo factum est iuramentum, non est accessorium promissioni, sed stat per se.

Priuelegiati potestas circa votum iuramento confirmatum.

CASVS II.

An Priuelegiatus qui potest tollere votum simplex, possit etiam tollere iuramentum supra id votum cadens? Item, An qui potest tollere votum, possit etiam tollere iuramentum cadens circa eadem materiam?

7 Respondeo Primò; Quando iuramentum superuenit promissioni, is qui potest tollere vinculum promissionis, potest etiam tollere vinculum iuramenti quod promissioni est accessorium. Vnde quando votum hoc modo est iuramento confirmatum, Priuelegiatus qui potest in voto simplici dispensare, potest etiam in tali iuramento, quia id per se euanciscit sublato vinculo voti.

8 Respondeo Secundò, Quando iuramentum non est accessorium, sed stat per se, tunc Priuelegiatus qui potest dispensare in voto, non potest dispensare in iuramento circa eandem materiam, sed opus est ad hoc peculiari priuelegio, quod se extendat immediate ad tollendum vinculum iuramenti; vt ostensum est lib. 2. de Iustit. & Iure cap. 42. n. 60.

Iuramenti promissorij & absoluti inuestigatio.

CASVS III.

Vnde sciemus, vtro modo, scilicet, An promissoriè, an absolute iuramentum factum sit?

9 Respondeo, Id colligendum est ex verbis: vt si expressè promissit vel vouit, & iurat se promissionem seruaturum. Secundò, ex intentione ipsius iurantis: vt cum quis iurat se dimidiam partem honorum suorum daturum pauperibus. Et quidem, si mentem dirigat ad Deum, & iuret Deo, est votum iuratum; & videtur non esse accessorium voto, sed per se consistere. Si nihil de Deo cogitet, sed solù velit se in illo bono proposito per iuramentum firmare, videtur esse solum iuramentum, quod propter honorem Dei est seruandum; etiam si pauperibus nullum ius per illud sit acquisitum.

CASVS IV.

Abolutio iuramento.

Caia filia & heres Titij ob acceptam ab eo non magnam pecunie summam, sese cum marito iuramento obligat ad inhabilitatem testandi. Moritur Titius: & iuramenti obseruatio cedit in damnum nepotum Titij, in quorum tamen commodum ab illo exactum est.

QVÆRITVR Primò, An Titius censendus sit illud iuramentum accepisse?

QVÆRITVR Secundò, An coniuges modò ad iuramenti obseruationem teneantur, non petita absolute?

QVÆRITVR Tertio, An sufficiat simplex absolute in foro externo vt possit de bonis disponere?

QVÆRITVR Quarto, An opus fuerit citatione vt coniuges absoluerentur?

QVÆRITVR Quintò, An obligatio iuramenti fuerit personalis?

AD Primum: Respondeo, Si constaret hoc iuramentum non fuisse acceptatum à Titio, cui illa promissio facta fuit, nullo modo esset obligatorium; nec egeret dispensatione. Quia iuramentum promissorium factum alicui, nõ obligat, ipso non acceptante; sicut nec promissio (cui iuramentum est accessorium) si non acceptetur, non obligat.

Verum non video quomodo dicatur id constare, cum Titius tale iuramentum exegerit à suo genero & Caia filia, & noluerit pecuniam numerare quam ipsi petebant, nisi tali modo promitterent: videtur enim satis accepisse, quando promissionis iurata schedulâ acceptâ, pecuniam numerauit. Itaque posito quòd fuerit sufficienter acceptata illo signo externo, verè in conscientia obligauit istos coniuges: quia non fuit de re illicitâ ex parte ipsorum promittentium. Potest tamen Titius cui facta est, condonare & remittere omnem illam promissionem etsi iurata; & tunc nulla opus est dispensatione Pontificiâ.

Quòd si Titius non remiserit, & iam obierit, cum hæc promissio nõ videatur ipsi facta in ipsius fauorem & commodum, sed in commodum nepotum (ideo enim talem promissionem exegit ne gener bona grauaret, vel alienaret in damnum prolium nepotum Titij) videtur eius obligatio per se cessare, si obseruatio illius promissionis cederet in damnum prolium: quia quod in illarum commodum inuentum est, non debet cum earum damno seruari. Idem dicendum quando alia graua incommoda ex obseruatione sequerentur. Hæc enim censeri debet fuisse mens exigentis, utpote hominis Christiani & prudentis; & etiam ipsorum coniugum promittentium. Nunquam enim promissio alicui facta etiam iurata, quam obseruari, vel non obseruari non magnoperè interest eius cui facta est, ita durè interpretanda est, vt etiam cum grauissimis incommodis, & in quouis euentu obseruanda sit; aut quod mens promittentis vel exigentis fuerit vt in omni euentu subsisteret obligatio. Promissiones enim habent multas tacitas conditiones, vel Iure, vel hominum consuetudine, vel prudentum interpretatione.

Censendus est Titius accepisse iuramentum.

Mortuo Titio videtur cessare obligatio.

His

12
Ecclesia potest dispensare in iuramento promissorio.

His accedit, Quod etsi tale iuramentum per se non cessaret positum circumstantiis iam commemoratis; tamen facillime per dispensationem Ecclesie tolli potest omnis eius obligatio: tum, quia non magnopere interest eius, cui facta est talis promissio, eam seruari: tum maxime, quia per iniuriam extorta videtur. Nimis enim grauis & onerosa erat talis obligatio; nequillo modo cum tantilla summa pecunie comparanda: quod euidentissimum est, si vel data fuit mutuo, vel si Titius non habebat alios heredes, quam Caiam filiam; & omnia Titij bona erant ab intestato ad Caiam eiusque liberos deuoluenda. Quod si alios heredes habebat, adhuc non potuit tam grauis obligatio iure imponi; casus enim necessitatis erat excipiendus.

Promissio priuatiua facultatis iustitiam seruata censetur.

Omitto quod plurimi Doctores docent, promissionem, qua quis se priuat facultate testandi, irritam esse, etiamsi iuramento confirmata sit. Quidquid enim sit de veritate huius sententiae, certum tamen puto posse obligationem talis iuramenti facile tolli per Ecclesiam.

13
Contractus iuratus ex errore iniustus, rescindi potest.

Addo, quod quando quis est enormiter laesus aliquo contractu etiam iurato, ex ignorantia vel simplicitate, eo quod non aduerteret incommoda secutura, posse resilire postea; quia non censetur illum euentum voluisse comprehendere. Neque videtur dubium quin posset petere absolutionem iuramenti, vt agat ad rescissionem, facta restitutione eius quod accepit. Quod receptissimi Iuris est, & maxime locum habet in oneribus quae quis pro aliqua summa pecuniae, vel alia re, in se suscipit, quando onus incomparabiliter maius euaderet, si in omni euentu deberet sustineri, quam res accepta possit aestimari: iuxta quem modum, in hoc casu sufficit, vt alius Titij haeredibus, si qui sint, fiat restitutio ex summa accepta cuique porata portione. Ex his apparet Caiam cum marito multis nominibus esse solutam ista obligatione quae per promissionem iuratum Titio factam preteritur inducta.

14

Ad Secundum: Patet responsio ex dictis: Probabile enim est etiam absque absolutione licitum esse contrahere tali iuramento, quando eius observatio in graue damnum prolium, vel Reipublicae, vel ipsorum promittentium cederet. Tutius tamen est petere dispensationem, sicut hic factum est.

15
Sufficit absolutio simplex.

Ad Tertium: Simplex absolutio facta in foro externo sufficit tum ad agendum, tum ad omnes alios Iuris effectus consequendos. Posita enim absolutio restituitur pristina libertati circa sua bona; vnde potest de illis disponere, & illa grauare sicut ante iuramentum poterat.

16
Non opus fuit citatione.

Ad Quartum: Nulla opus fuit citatione, vt coniuges absoluere. Quando enim interuenit iniuria, non opus est citare partem cui factum iuramentum: neque etiam alij haeredes citandi, quia illis non est facta vlla promissio, sed soli Titio.

17
In casu est pactum personale.

Ad Quintum: Planum est obligationem iuramenti esse personalem, ac proinde non transire ad haeredem. Itaque haeres nulla iuramenti religione tenetur. Obligatio tamen pacti potest ad haeredem transire; nimirum quando quis intendit suum haeredem obstringere. Hic vero solum fuit pactum personale, non respiciens haeredes. Itaque nec pacti obligatio, etsi valida fuisset, transire ad haeredes in nostro casu potest.

CASVS V.

An Ciues bello iniusto subiugati possint suis illis subiugatoribus praestare iuramentum fidelitatis?

Iuramentum fidelitatis.

Respondeo, Tales ciues posse istis iniustis iniuriosis praestare generale iuramentum fidelitatis, modo nihil illicitum isti iuramento expressè admisceatur, & ipsi in mente sua intelligant se solum iurare fidelitatem in licitis, & honestis. Principem tamen suum legitimum & naturalem abiurare non possunt: id enim est illum non agnoscere, & non habere pro suo Principe in sua Prouincia, quae illi per iniuriam erepta est; cum tamen reuera sit & permaneat eius Prouinciae dominus: quod est grauis iniuria in dominum suum & Principem. Itaque talis abiuratio est periurium cadens in materiam falsam, & in iniuriam tertij.

18
Sub qua cautela iudicatur.

L V X V R I A.

CASVS VNICVS.

Titius Magno amore prosequitur filiam vt cum illa contrahat?

Delectatio morosa.

Quaeritur, Virum peccet fouendo affectus circa actus Matrimonij cum filia contrahendi?

Accipi scriptum tuum, Reuerende Domine, bene longum de delectatione morosa, & legi totum, etsi occupatissimus. Video totam controuersiam ferè reuocari ad hanc quaestionem: Vtrum licitum sit delectari de ipsa passione delectationis orta ex imaginatione actus matrimonij futuri vel praeteriti: ita enim proponit D. T. quod Doctores proponere solent his verbis: Vtrum licita sit delectatio ex cogitatione copulae matrimonij futuri, vel praeteriti. Ad quod

1

Respondeo, Certum esse non esse licitam talē delectationem. Etsi enim possis gaudere (saltem absque peccato mortali) quod sis habiturus illam voluptatem in matrimonio, vel quod habueris eam; tamen non licet gaudere quod nunc, cum non es coniugatus, in te sit illa passio delectationis, quae ex imaginatione concubitus nascitur. Hoc enim est consentire in delectationem morosam, eamque amare. Etsi enim concubitus, ex cuius imaginatione nascitur illa passio, non sit praesens, ipsa tamen passio seu delectatio est praesens, & ita afficit ac si ipse actus praesens esset. Imò nunquam nascitur talis delectatio in appetitu inferiori, nisi concubitus vel actus exterior apprehendatur vt praesens. Delectatio enim appetitus inferioris est boni apprehensi vt praesentis tantum, non vt praeteriti, vel futuri. Imaginatio enim, quae sequitur hic appetitus, non apprehendit rationem praeteriti & futuri, sed praesentis tantum, vt etiam in brutis patet. Itaque in sponso de futuro non nascitur illa passio delectationis in appetitu inferiori (quae in corpore sit commotio sanguinis & spirituum, & sentitur rebellio membrorum) nisi apprehendat concubitum vel contactum vt praesentem; id est, nisi vi imaginis, istos actus hinc & nunc exerceat. Idem dicendum de vidua, dum reuoluit animo voluptates praeteritas. Vnde impertinens est quod isti actus fuerint vel erunt liciti: quia hoc tempore & in hoc statu cum apprehendun-

Illicita est delectatio orta ex imaginatione copulae futurae vel praeteritae.

Delectatio appetitus inferioris, est tantum boni apprehensi vt praesentis.

henduntur vt presentes, sunt illiciti; ac proinde illicita est delectatio ex eorum imaginatione recultans.

Hoc fundamentum nititur refellere D. T. hoc modo: Si malitia huius delectationis sumenda est ex statu, & nō ex obiecto formali, cōingatus oblectans se in actu matrimonij imaginario, absq̃te cōiuge, sine ordine ad copulā, peccaret non solū fornicatione imaginaria, sed etiā adulterio; quia delectatio illa ex reali actu exteriori hīc & nunc, & in hoc statu est illi prohibita: nam cū suā est illi hęc delectatio nunc impossibilis.

Malitia delectationis sumenda est ex obiecto formali.

Miratus sum hanc, & aliquot alias similes rationes, ex quibus aduerti rem nō rectē apprehendi. Si præsens D. T. esset, hęc omnia facilē potuissent declarari: scripto res nimis longa est & difficilis. Malitia delectationis sumenda est ex obiecto formali. Verū obiectum formale non est actus turpis, vel fornicationis in genere, sed vt in hoc subiecto, nempe vt à Titio exercitus. Vt enim Titius percipiat delectationem morosam, de qua agitur, debet imaginari actum à se fieri: alioquin non apprehendet, vt bonum delectabile sibi præsens, quod est necessarium ad delectationem. Itaque ipsa persona, eiusq̃ue status continetur in obiecto formali. Obiectum enim formale delectationis, vt alibi notauī, est quid complexum. Itaque quando homo est in eo statu vt actus matrimonij sit ipsi illicitus, mutatur obiectum formale, estq̃ue intrinsecē malum: vnde etiam affectus & complacentia illius obiecti, & consequentē etiam delectatio ex illo proueniens, intrinsecē mala est.

Cōingatus delectando se circa nō suam, peccat.

Hinc patet illa exempla nihil probare. Nam fautor coniugatum illum per talem imaginationem & delectationem cum non sua, peccare non solū simpliciter peccato imaginarię fornicationis, sed etiam cuiusdam adulterij; quia fides matrimonij illum obligat vt etiam imaginariē non cognoscat alienam: quam sententiam vt veriorē etiam tenet Vasquez l. 2. diip. 96.

Ad alterum exemplum, patet ex dictis; quia non est in statu matrimonij cum ea, de qua delectatur: vnde ad eam comparatur vt adulter.

Ad tertium exemplum, si actu delectatur de aliena in parte sensuali, nihil iuuat illa conditio, si propria moriatur; quia est imaginarium adulterium absolutum hīc & nunc exercitum, & est absoluta delectatio inde consequens.

Ad quartum exemplum de Carthusiano: Non est contra votum vel præceptum quōd imaginatione, visu, vel odoratu epuletur, & inde se delectet: sicut est prohibitum imaginariē copulari feminę &c. Imaginaria enim copula extra statum matrimonij est illicita, sicut & actus exterior: quia simili modo concitat naturam ad geniturę effusionem: vnde per se repugnat castitati. In cæteris non est difficultas.

Delectatio ex duello quo pacto licita sit vel illicita.

Quōd attinet ad delectationem, quę percipitur ex imaginatione bellorum, duellorum, euentum crudelium, &c. Auctores communiter distinguūt: Vel enim talis delectatio prouenit ex affectu ad rem ipsam; & tum est eiusdem rationis, cuius est affectus & desiderium rei talis: Vel prouenit ex affectu cognitionis & spectandi res miras, raras, ingeniosas: homines enim magni facere solēt nosse & spectare res admirandas, & raras, et si tristissimas; & hoc modo non est per se pecca-

tum, nisi fortē curiositatis: talis enim delectatio non est immediatē de re ipsa mala; sed de cognitione, visione, vel imaginatione talis rei, quatenus ea est mira, rara &c. Vnde immediatum obiectum non est malum. Hinc facilē est intelligere longē aliam esse rationem delectationis de duellis cædibus &c. & delectationis de concubitu futuro vel præterito.

Cæterum hoc monuerim, non esse tutum recedere à receptā sententiā in istis practicis, præsertim in ijs quę ad voluptates carnis, ad quas summa est corruptę naturę propensio, pertinent. Vnde Pastores & Confessarios conuenit potius esse strictos, quā laxos in hac materiā: & præire subditis exemplo, cauendo maximē ab oculis, & tactibus manuum muliebriū: & à clandestinis colloquijs in locis abditis.

Nota Lector: Responsum ad Repliam, quę hīc subiungitur, esse responsum ad obiectiones, quas Dominus consulens fecit ad superiorem resolutionem non satis intellectam.

RESPONSIO AD REPLICAM.

Letteras tuas, Reuerende Domine Pastor, datas 25. Martij accepi 17. Aprilis, quibus ostendit sibi non satisfactum, & rationes meas conatur dissoluere. Res ista non facilē scripto inter nos potest transigi, quia animaduerto D. T. in vsu terminorum discrepare à communi modo loquēdi Doctorum, & proinde mea dicta non satis assequi, quōd breuiter insinuabo. Primō cū quærit, An possit aliquis delectari de passione ortā in parte sensuali ex imaginatione rei venereę. Non solemus delectari de passione illā; nam illa ipsa est delectatio sensuali: non enim dicimus, Ego delector de illā delectatione. Vnde illa delectatio non est obiectum delectationis, sed est formalis delectatio, de qua quæritur; An liceat illam permittere in parte inferiore, vel etiam desiderare, accersere, fouere. Non tamen nego quin possit quis gaudere per voluntatē quōd talem delectationē sentiat: sed non est opus tali gaudio, vt sit peccatum: sufficit consensus formalis vel interpretatiuus.

Delectatio non est hic obiectum delectationis.

Secundō, Ostendit se mea dicta non satis assequi, cū ponit illam passionem ortam in parte sensuali ex imaginatione rei venereę, esse obiectum delectationis morosę, nō inquam ostendit se satis assequi mea dicta; quandoquidem ista passio sit formaliter delectatio morosa, quatenus subest libertati voluntatis consentientis, vel permittentis. Vn de huius obiectum quærendum est. Porro huius obiectum, vnde malitiam trahit, est actus ipse, v. g. turpis contactus, vel fornicatio exterioris reipsā, vel interioris per imaginationem exercita. Ideō enim illicita est delectatio, quia actus illicitus. Dicitur autem obiectum delectationis esse quid complexū, quia non est bonum separatim, sed vt coniunctum subiecto & præsens: delectatur enim homo se habere tale bonum, se hoc vel illud agere. Hinc dixi statum personę pertinere ad formale obiectum delectationis morosę, vt ipsa habet esse morale, non vt quid physicum. Nam ex statu pendet quōd illa actio sit mala, vel non mala, vel non tā graue malum. Qui enim est in statu matrimonij, si delectetur contactu turpi vxoris, non peccat mortiferē per se loquendo, etiamsi non fiat in ordine ad copulam, sed solū venialiter; quia status excu-

Quomodo status personę pertinet ad formale obiectum delectationis morosę.

ius, excusari, sine quo esset peccatum mortiferum. Idem dico de imaginarijs contactibus vel actibus circa vxorem imaginarijs propositam. Quod si aliam feminam sibi obiecta habeat, & hoc modo circa illam delectetur, erit peccatum mortiferum; quia cum illa non est in statu matrimonij, sed cum alia: ac proinde respectu illius mutatur obiectum formale ad mores pertinens. Valde enim differunt illa in ratione moris. Vnde miror in secunda ratione contra me obijci, quasi ex meo dicto sequeretur, coniugatum, si delectetur de aliena, non peccare mortifere, quia est in statu in quo delectatio illa est ei licita. Vel hoc solum indicio esse potest D. Tuam mea dicta non percepisse.

8 Tertiò, Cum dicit *quempiam posse delectari de passione rei venera sub respectu formationis, vel matrimonij præteriti aut futuri*. Nemo vnquam, quod sciam, ita locutus est: & verba illa multis modis accipi possent. Similiter cum *hos respectus vocat obiectum formale, & ex bonitate & malitia illorum respectuum dicit bonitatem & malitiam morosa delectationis petendam*. Hæc obscura sunt. Quantum conijcere possum, videtur velle dicere delectationem morosam non esse peccatum mortiferum, si habeatur ex imaginatione actus matrimonij præteriti, vel futuri: secus verò si habeatur ex imaginatione actus fornicarij, vel absque cogitatione matrimonij. Quæ duo non videntur bene consistere; nec vilius vnquam Doctorum talem distinctionem insinuat, quod sciam. Parum enim videtur referre quod actus exterior fuerit licitus, vel erit licitus; cum hoc tempore, & in hoc statu illicitum sit tale spirituum & sanguinis in se concitationem facere, ex qua proxime illa delectatio nascitur. Neque verum est torum hoc non esse nisi dispositionem remotam ad pollutionem, vt D. T. videtur pro certo supponere; quia nõ potest dici dispositio remota, quod naturã suã tale est, vt directè tendat ad pollutionem, & si continetur, præsertim in naturã sanã & benè constituta, eam excitabit.

9 Quod autem obijciatur de coniugato, nimirum in ipso talem delectationem fore peccatum mortiferum si sit dispositio propinqua ad pollutionem, facile soluitur, negando consequentiam: nam etiam contactus turpes circa vxorem sunt propinqua dispositio ad effusionem seminis, secundum omnes Doctores; & tamen in ipso non sunt peccatum mortiferum, modò caueat ne sequatur pollutio. Idem dico de imaginatione copulæ vxore absente.

Vnde vterius colligere potest D. T. se parum solide argumentari contra meum dictum de statu persona; cum in prima ratione vult probare delectationem morosam absque ordine ad copulam in coniugio esse peccatum mortiferum, si extra coniugium est peccatum mortale. Id enim nullo modo sequitur, vt patet exemplo allato de contactu turpi circa vxorem, & circa alienam.

10 Quod ad votum Carthusiani attinet, miror D. Tuam scribere se non capere, quomodo *esus carnis imaginarij non sit contra votum ipsius*. Realis vsus carnis impinguat corpus, & generat multas tentationes, ob copiam seminis quam gignit, & calidum sanguinem, qui ex eo nascitur. Hæc autem non sequuntur ex imaginatione esus carnis, seu imaginario vsu, interdum incidente. Vnde iusta ratio fuit vocendi abstinentia ab vsu reali & externo, absque intentione obligandi se vt nunquam

possit aspectu vel imaginatione talis epulationis delectari. Videtur sane hoc facile intellectum. Simili modo prohibitum Clericis gerere bellum exterius & reipsa; quia hoc dedecorat eorum statum: non tamen prohibitum gerere bellum per imaginationem, eaque re delectari; quia hoc eorum statum non dedecorat. Non nego tamen quin in huiusmodi imaginationibus & delectationibus possit esse peccatum veniale curiositatis, vel aliterius vanitatis, de quo non est questio.

M A G I A.

CASVS I.

An probatio per aquam frigidam, qua Iudices interdum vruntur ad explorandas sagas, si illicita?

R Espondeo, Talis probatio non videtur esse illicita ratione pactiois cum dæmone. Probatur, quia illa actio Magistratus non continet vllum pactum dæmonis cum operante; sed effectui annexum est pactum dæmonis cum patiente, quod iam pridem ex disciplina illa magicã est constitutum. Pactum enim est dæmon, vt non submergantur, etiam si ligatas manus pedesque habeant, itaque Magistratus non tenetur habere vllam communicationem cum dæmone, sed solum velle deprehendere, an reus non habeat pactum cum illo; idque per actionem ipsi licitam naturã suã, & carentem omni pacto cum dæmone.

Nec obstat quod patiens habeat tale pactum, ob quod dæmon accurrit ad opitulandum: quia Magistratus nõ est causa huius pacti, neque etiam alicuius peccati ipsius rei: sed solum est occasio & quasi causa permissiua quod dæmon accurrat, qua in re nullum est peccatum. Confirmatur, quia nõ censor communicationem habere cum hoste, si vt cognoscam, an subditus pactum cum illo habeat, curem signum dari hora duodecima, de quo inter illos erat conuentum.

Neque est simile quod adert Binsfeldius de ferro candente: quia continet tentationem Dei, sicut probatio per feruentem aquam: nam expectatur effectus miraculosus, & ad hoc Deus quodammodo cogitur sine necessitate.

12 Non licet tamen vllò modo ex hoc indicio procedere immediate ad sententiam: neque etiam ad torturam præsertim grauem; quia non facit planam probationem, nec plenam. Est tamen indicium probabile, quod adiunctum multis alijs posset æquivalere plenam probationem.

13 Non est etiam consulendum, nec permittendum Magistratui, vt hoc modo vratur: quia inoleas est, & non secundum iuris præscripta. Tamen quia multis locis visitatus, non putarem esse peccatum mortale, sepositò scandalo.

CASVS II.

An liceat cor animantis veneficijs enecti, & coquere feruenti aqua ad cognoscendum auctorem?

R Espondeo, Id non licere. Ratio est, quia hæc actio habet pactioem annexam dæmonis cum agente. Quia dæmon promittit se auctori hec nociturum tali legno posito.

Exploratio magarum.

Exploratio magarum.

Videtur licita.

12

Hinc non licet procedere ad torturam.

Dissuadetur vsus.

Exploratio Magarum.

13

CASVS III.

Exploratio signorum magicorum.

14

An, si aliqua signa dicantur magica, liceat mihi ea edere causâ experiundi, an reuera talia sint?

Respondeo, Negatiuè. Quia hoc est quodammodò accersere dæmonem sub conditione: quasi dicatur, Si pactus es te ad futurû edenti hoc signum, adis, vt sciam an pactus sis. Secus est de probatione per aquam frigidam: quia hæc actio non habet annexum pactum cum agente, sed effectus eius cum patiente. Itaque non censetur dæmonem accersere, sed permissiuè se habere. Confirmatur, quia non debet se gerere per modû magi, sicut ille qui edit actionem cui annexum est pactum. Eodem modo si sagæ haberent pactum ne possent lædi aciculis, liceret Magistratui experiri punctiõibus; quia non facit actionem magicam, nec accersit dæmonem, nisi permissiuè; faciendo aliquid quod habet annexum pactum dæmonis cum patiente contra vim agentis.

CASVS IV.

Quæ fides Energumenis adhibenda.

Damon ex corpore Energumena iuratus asserit Titium esse magum, dicitque; Si Titius adducatur tali die coram Vener. Eucharistia in meam præsentiam, conuincam illum criminis magiæ.

QVÆRITVR I. An fides haberi possit isti iurata assertioni?

QVÆRITVR II. An Titium statuo die adduci possit coram Ven. Eucharistia, vt à damone magiæ conuincatur?

15

Illustissime Domine: Specie facti diligenter expensa: Ad Primum: Respondeo, Sæpè rationè esse habendam eorum, quæ ab obfessis seu energumenis (hæc enim duo idem valent) etiam non iuratis dicuntur, non quidem ad effectum firmiter credendi, aut inde ferendi sententiam absque alijs sufficientibus indicijs, sed ad vteriuè inquirendû: vt si dicant inter exorcismos, Esse in vrbe qui proditiõne moliantur, aut hostes tali loco struxisse insidias, abdidisse arma, & similia, licitum erit inquirere veritatem, & adhibere omnem cautionem necessariam ad malum impendens auertendum. Ergo multò magis licitum est habere rationè talium dictorû, si interueniat eorum iuramentû. Horrent enim ipsi dæmones peritura dum subsunt illi quæstioni sacra, & sæpè à Deo id nõ permittitur, neque facillè est dare exemplum in contrarium. Itaque cum hic agatur de crimine omnium maximo, quo maxime diuina maiestas, & bonum publicum læditur, non video cur non possit & debeat assertionis istarum obfessarum seu energumenarum sub iuramento factæ ratio haberi ad malum auertendum.

Damonibus iuratis interdum fides aliqua haberi potest.

16

Potest adduci Titius sine ulla peccato.

Ad Secundum: Respondeo, Non videre me vllam rationem cur non liceat in casu posito dictæ energumena operâ vtj, ad dictum Titium, à duabus veneficis magiæ & veneficij accusatum, arguendû & conuincendum, idque nominatim die & modo per energumenam designatis. Ratio est, quia id nõ est inducere vel petere à diabolo vt Titium accuset, vel conuincat: id enim illicitum est, cum specie quandâ societatis, & opus ferendæ contineat, sed solum est personam nominatam præsentem flectere, & cû aduersario (vt sic loquar) confrontare. Nihil autem in hoc per se mali est. Potest enim ob

iustam causam aliqua persona adduci in conspectû & præsentiam energumena, & diaboli obfidentis, vt videatur quid inde secururum sit, permittendo diabolo vt dicat, quod non rogatus, sed coactus à Deo, vel ex se dicit. Sicut ergo cû diabolus dicit certo loco defossa signa magica, licitum est fodere & inquirere, quia hoc per se malum non est; ita etiã cum dicit, Si talis adducatur tali die, præsentem Ven. Eucharistia, in meam præsentiam, conuincam illum criminis magiæ, licitum est adducere illo die, quia hoc per se malum nõ est. Simili modo si diabolus per obfessum diceret, Ducite me in forum, & ostendam vobis eum, qui Principi machinatur mortem, vel vrbi proditiõne &c. conuincam illum apertis indicijs, licitum esset illû in forum adducere; vel certos homines ad illius præsentiam vocare & compellere; quia hi actus per se indifferentes sunt. Nihil hîc à diabolo petitur, nihil rogatur, nec operâ eius vitimur, ipsum inducendo, sed solum permittendo, & obiectum externum præsens sistendo: quò modo Deus quotidie vititur operâ diaboli & impiorum. Qui modus vtendi profus est innoxius & inculpatus. Ex quibus perspicuum videtur non esse ex hoc capite vllum periculum peccati.

Accedit nõ improbabiler credi ipsum re vera à Deo cogi ad hoc faciendum; tum propter iusurandum interpositum; tum quia crimen magiæ est extremum malorum, continens abnegationem & detestationem Dei, & omnium sacrorû abusum, & societatem diaboli in perniciem hominû. Vnde cum hoc à plurimis hominum non æstimeretur, sed excusetur, & Iudices plurimi phantasias ducant, nõ tam pena mortis, quàm cõmiseratione dignas, mirum non esset si dæmones cogeret ad illud traduceadum, & authores patefaciendos. Denique in criminibus tanti momenti quæ tantopere bonum diuinum & humanum violant, nihil negligendû, sed omnia indicia, quæ licite capi possunt, captanda: sicut in crimine læsæ maiestatis fieri solet, & debet. Quæ omnia maxime locû habent in persona Titij qui à duabus veneficis veneficij legitima depositione traductus est, ita vt licite in illû inquirei possit. Nulla itaque ex hoc capite erit iniuria. Solum in executione cautio adhibenda, vt quantum commode fieri potest, omnia sine magno strepitu, & vulgi sermonibus fiant. Quòd ad alios atinet, quos ille dicitur reuelaturus, prudentiã Iudicis opus est quousque progrediendum censerebit.

17 Quare damo permissu Dei hæc possit aperire.

CASVS V.

Titium à duabus veneficis solemnè iuramento accusatur quod catibus suis interfuerit. Et altera veneficarum promittit se offensuram stigmata in corpore Titij à damone impressa.

Quæ fides Energumenis adhibenda.

QVÆRITVR I. An accusatio illa sufficiat vt Titium torturæ subijciatur?

QVÆRITVR II. An permitti possit vt venefica stigmata in Titij corpore designet?

Ad Primum: Respondeo, Deposito duarû sagarum sub iuramento facta de crimine magiæ Titij, vt quòd illum viderint in conuentu, & facientem ea quæ ibi fieri solent, regulariter sufficiens dat indicium non solum ad capturam, sed etiam ad torturam, maxime si alia quædam indicia accedant, præsertim stigmata insensibilia, qualia in magis reperiri solent. Quod fusè & eruditè probant plurimi Doctores.

18

Ad Secun-

19
Potest per-
mitti ut
maga desi-
gnat si-
gnata.

Excipi-
casum.

20
Obiectio
contra istā
exceptio-
nem,

Solutur.

Non tan-
tum faci-
tes magiā,
sed & con-
sentientes
peccant.

Differen-
tia inter
hunc &
preceden-
tem casum.

Ad Secundum: Respondeo, Si maga illa iam antè à demone didicisset quo loco sint illa stigmata in corpore Titij, omnino licitum esset ut eius opera, & etiam ab illa petere ut stigmata designet: quia id ipsa sine peccato præstare posset. Et si enim peccarit dum à diabolo petijt sibi loca istorum stigmatum designari; tamen postquam illam notitiam nacta est, potest eā sine peccato uti. Verum si nondum novit, sed ad diaboli opem recurrere debet ut ea cognoscat, qui promittit se manum eius directurum & ostensurum; non video qua ratione petere à maga liceat ut notas illas ostendat, cum ipsa fateatur se id sine ope diaboli facere non posse, ac proinde non sine peccato. Recurrere enim ad ipsius opem, peccatum est ad superstitionem pertinens. Simili modo nõ licet petere à maga ut furem, vel alium, qui nobis damna intulit, demonstret, quando id non nisi demonis ope potest cognoscere: tunc enim maga vitur pacto quod ipsi cum diabolo intercedit, & ex vi pacti istius illum sollicitat & vrget ut rem aperiat: quod constat esse peccatum.

Dicit aliquis, Non queritur, an liceat petere à maga ut notas illas demonstret: sed cum illa sponte se offerat, an liceat Iudici se permissiue habere, sicut dictum est in priori casu, cum persona accusata adducitur in præsentiam obfessa: tunc enim diximus Iudicẽ se solum habere permissiue ad actionem diaboli demonstrantis personam.

Respondeo, Etiam si maga se sponte offerat, nec ipsa ad hoc à Iudice inducatur; tamen si Iudex personam Titij curet non solum coram illa sisti, sed etiam denudari, & teneri ut ipsa corpus ipsius contrectare, & in eo operari possit, manifestum est in hoc opere Iudicem non se tantum habere permissiue, sed positiue ei cooperari ut actionem superstitiosam perficiat: sicut is qui materiam præparat mago, circa quam operatur, ei cooperari censetur: ut si quis teneat speculum, ut ipse ostendat furem in speculo; vel locet cribrum, vel peluim aquæ, ut ipse arte sua utatur. In his enim omnibus censetur moralis cooperatio; cum eo sine totum fiat ut ipsi quodammodo subferuiatur, & ipse suam actionem, quæ prorsus illicita est, obire possit. Accedit quod hic etiam sit consensus in operationem magicam: ideo enim ista præparatio fit circa personam, ut maga circa illam operari possit: ac proinde eius operatio intenditur. Atqui non solum qui faciunt digni sunt morte, sed etiam qui consentiunt facientibus, nimirum desiderando ut faciant. Nudus enim consensus in opus alterius quod sine peccato fieri non potest, peccatum est. Hinc magi instinctu diaboli cum aliqua mira sunt effecturi coram aliquibus, solent petere à singulis an consentiant; nimirum ut hac ratione omnes peccati illius fiant participes.

Secus res habet in priori casu, ubi diabolus promittit se ostensurum reum, vel conuicturum Titium de magia, si in præsentiam adducatur. Nam illa actio ostendere reum & conuincere, à diabolo sine peccato fieri potest: imò Deus potest illum cogere ut id faciat. Deinde adducere personam in conspectum, non est illi cooperari, nisi valde remotè: vnde secundum moralem estimationem non censetur cooperatio. Ex quibus patet discrimen vtriusque casus; & resolutio præsentis questionis.

CASVS VI.

In quibus rebus demoni ex Energumena loquenti prudenter credi possit?

Qua si-
des Ener-
gumenis
adhibenda
21

Primò, Certum est id quod demon per obfesos dicit coactus vi exorcismi, verum esse: quia Deus non potest cogere ad mendacium.

Secundò, Quia tamen ordinariè constare non potest auditoribus, vel etiam ipsi exorcista, vtrum demon verè ex coactione ista dicat, an fingat & simulet coactionem, idcirco non facile ei fides adhibenda, saltem indubitatè, sed omnia suspecta habenda, nisi aliunde de veritate constet.

Nec obstat quod adiuratus respondeat, aut cum iurejurando solemnè aliquid affirmet, maximè si id ad expulsionem, vel finem exorcismi non sit necessarium; quia sicut est mendax, ita etiam facile potest peierare: neque ad expulsionem, ad quam exorcismi ordinantur, opus est ut credantur esse vera quæ dicit. Multò minus credendum, si dicat se missum à Deo ad populi instructionem, ut qui non credunt Concionatoribus, & suis Pastoribus, saltem credant diabolo: idque esse extremum remedium, quo Deus vitur ad hominum conversionem. Multis id rationibus probari posset, & Scripturarum exemplis, si opus esset.

Non facili-
demoni
habenda
fides.

Si tamen patefaciat magos occultos, vel eorum scelera, res non est omnino contemnenda: quia in atrocissimis criminibus nulla indicia negligenda. Vnde ratione talis denuntiationis potest Iudex occultè absque strepitu capere informationem, ut maiora indicia deprehendat.

22
Aliquando
tamen ha-
benda
fides.

MATRIMONIUM.

CASVS I.

Vtrum rudes in Frisia vel Northollandia (qui ferè conueniunt ante nuptias) non possint coniungi legitimè antequam plenè sint instructi ad confessionem, cum à remotis locis veniunt, & citò debent redire, ad hoc vt impediatur intervim fornicatio?

Confes-
sio matti-
monio
præmit-
tenda.

Respondeo, Modò sciant ea quæ absolutè sunt necessaria ad iustificationem, poterunt coniungi: etsi non sint satis instructi ad confessionem. Quia ad Sacramentum Matrimonij non est opus confessione, sed sufficit contritio cum proposito confitendi comodo tempore. Vnde ad contritionem disponendi. Quanquam non videam cur plerumque non possint confiteri; quia cum sint rudes, poterunt à Sacerdote iuuari bono interrogatorio. Itaque quando hoc fieri commodè posset, magis probarem.

CASVS II.

An liceat Coniugibus inter se contractum suum sepius renouare, quasi primò illum intrent?

Renou-
atio ma-
trimonij.

Respondeo, Nullum est sacrilegium in repetitione contractus matrimonij. Sicut enim alij contractus non solum ob dubium verum, sed etiã ob maiorem firmitatem, & quietè cõtrahentium, quantum est ex parte illorum, repeti possunt; ita etiam contractus matrimonij, v.g. ut magis se diligant &c. Vnde qui femel publicè contraxerunt coram Parocho & testibus, possunt priuatim suum contractum

S ij contractum

contractum renouare quotannis si velint. Et quavis illa renouatio sit inefficax, sicut donatio secunda eiusdem rei, tamen faciunt illam, quantum in ipsis est; & iuuat ad maiorem concordiam vel amorem. Vnde non est neceffe vt actu adhibeant restrictionem mentalem aut verbalem.

Reformatio
Matrimonij.

CASVS III.

Quomodo reformari possit contractus matrimonij inualidus, qui tamen legitime coram Parocho & testibus celebratus fuit?

DE reformando matrimonij contractu, scripsi D. T. 23. Iulij A. 1603. si ille inualidus fuit, non sufficere, quod mulier rogata dixerit veluti admirabunda, se illum pro suo marito agnoscere: quia non videtur ista ratione voluisse de nouo contrahere, & illum tunc voluisse pro marito accipere, sed solum indicare illum ex vi prioris contractus suum esse maritum. Opus autem est vt de nouo intendat contrahere quantum in se est, quasi dicat: Etiam si non esses verè vxor, tamen iam te vellem accipere, & re ipsa accipio, vnde debet blandè illam inducere vt velit renouare, prætendendo occasionem maioris amoris, & securitatis. Ita passim DD.

Quia tamen insinuat D. T. optare se vt dispiciam an contraria sententia non possit tolerari: Adde non esse prorsus improbabile, impedimento, ob quod antè erat irritum, sublato, posse renouari, etiam si altera pars impedimentum nesciat, & putet fuisse validum; pars enim ignorans manet in consensu antiquo, eumque vsque ad hoc tempus quo facti sunt habiles, continuat: modò tamen altera sciens illud sublato, intendat de nouo contrahere. Vnde in illo casu etiam si vxor non intendisset de nouo contrahere, si tamen maritus id intendisset, sufficeret ad renouandum matrimonium. Hanc sententiam Sotus in 4. dist. 35. q. vnica, art. 2. Lopez 2. p. c. 47. iudicant esse probabilem; & eam tenet Cajetanus tom. 1. opus. 12. q. 2. & quidam recentiores, quos citat Sancius lib. 2. de Matrim. disp. 36. addens non esse vtendū hac sententia, nisi quando ex reuelatione impedimenti sequerentur grauissima incommoda, & alius modus renouandi non suppetit ob alterius coniugis ingenium. Addiderim ego, vel quando aliter non posset vitare peccatum reddendo debitum. Imò quando alia ratione non posset euadere peccatum, posset in prima redditione debiti, obtenta iam dispensatione, intendere ipso actu matrimonij affectu coniugali præstito, contrahere: quod locum habere posset quando vxor præueniretur à marito petente debitum priusquam illa posset de nouo contractu cum illo agere: vel quando esset vir terribilis, & nihil de renouatione contractus vellet audire.

CASVS IV.

Caius negat se verè cōsensisse in matrimonium cum Agnete, seque affectu maritali cum ea consummasse. Quare relicta Agnete ducit Bertam. Agnes verò ducit Titium.

QVAERITVR I. An Agnes possit petere & reddere debitum Titio?

QVAERITVR II. An Caius possit petere & reddere debitum Bertæ?

QVAERITVR III. An Caius, si verè & à parte rei sibi conscius sit se fide cum Agnete contraxisse, possit manere cum Bertæ, & Agnes manere cum Titio?

QVAERITVR IV. An Caius teneatur redire ad Agnetem, si illa, dimisso Titio, eum repetat: & an aliquid Caius debeat Titio, si ei aliquid damni ex contractu cum Agnete obuenerit?

AD Primum: Non videtur dubitandum quin hoc matrimonium Caij cum Agnete sit censendum omnino validum in vtroque foro; neque in illud posse cadere vllam dispensatione quæ separetur vinculo, cum sit consummatum. Neque Agnes dubitare merito potest quin Caius verè consenserit, & affectu maritali consummauerit. Vnde etiam illam relinquat, & publicè ducat Bertam, & cum eà maneat, non tamè ideo poterit ipsa conscientiam deponere, sibi se persuadere Caium fide consensisse; ideoque se posse nubere Titio: quia illud non est sufficiens signum fidei consensus. Vnde si Titio nupsit, non potest ei reddere debitum, & multò minus petere: quia moraliter certum est ipsum non esse eius maritum, & contractum cum ipso fuisse irritum. Vnde etiam proles erit spuria, si vterque huius impedimenti fuit conscius.

Ad Secundum: Caius non potest petere, aut reddere debitum secundæ vxori, nempe Bertæ; quia moraliter certum est matrimonium cum illa esse inualidum; vnde tenetur eam deserere.

Ad Tertium: Si Caius fide contraxisset cū Agnete, idque ipsi constaret, nec postea matrimonium illud ratificasset, posset in conscientia manere cum Bertæ. Non tamen ideo Agnes posset manere cum Titio, nisi certò illi constaret Caium fide contraxisse, & nunquam postea ratificasse: quod cum illi constare non possit, sed potiùs moraliter sit certa de contrario, non potest manere cum Titio. Neque Titius potest illam retinere vbi constiterit illi de priori matrimonio Agnetis: inde enim ei liquet suum matrimonium cum Agnete fuisse inualidum, ipsamque alteri esse iuncta. Nec refert quòd Caius dicat se conscientiam de priori contractu deposuisse: hoc enim nõ est signum sufficiens ad prudenter iudicandum cum fide consensisse.

Ad Quartum: Si Agnes Caium repetit, tenetur ad eam redire vbi illa à Titio recesserit: vel certè tenetur ei iudicio prudētum de iniuriâ & damnis (si quæ ipsa incurrit propter illius iniustum recessum) satisfacere; alioquin non est censendus in bono statu. Erga Titium maritum secundum Agnetis non videtur Caius habere obligationem iustitiæ; quia nec vi, nec fraude induxit illum ad contrahendum cum Agnete, vt suppono. Vnde si illi damnum ex hoc contractu euenit, sibi imputet, vel illis qui ipsi authores fuere contrahendi.

CASVS V.

Francisca quadam ab anna ætatis decimo quinto vsque ad quadragesimum habitu religioso vixit in monasterio tanquam libera, & non professa. Religiosa noluit illam eligere in Procuratricem, nisi se vellet votis Religionis

Impedimentum
dirimens
ratione
Professionis.

Religionis

3
Vterque
coniux da-
bet scire
impedimē-
tum.

4
Probabile
tamen est
sufficere
vt vna
pars id
sciat.

Nota ad
proxim.

Matrimonium
irritum
defectu
consensu.

gionis obstringere. Quare Pater monasterij, explicatis votis Religionis, eam interrogat, An esset parata amore Dei, S. Augustini, & Sororum domus ad ipsis seruiendum consentire in dicta tria vota, eaque prestare prout alia Religiosa domus fecerunt; & illa respondit, Quod sic cum Dei adiutorio, intendens hoc facere suo tempore, non illo actu. Post hac, secuta est benedictio Patris, osculum Sororum, Obedientie promissio facta Priorissa, conuiuium solitum dari à professis, communis opinio Sororum & Patris putantium illam professam. Denique ipsa dixit se non penitere promissionis facta. Hac Francisca iam Procuratrix è monasterio profuga matrimonium iniit cum milite.

QVÆRITVR, An Francisca contraxerit illa actione impedimentum dirimens matrimonij?

8 **R**espondeo Primò, Si vera sint quæ in facti specie proponuntur, certum videtur Franciscam non contraxisse illa actione impedimentum dirimens matrimonij coram Deo. Quia re vera professionem non fecit, sed simulauit. Quod enim ab anno decimo quinto atatis vsque ad quadragimum non fecerit professionem, sed tanquam libera vixerit in monasterio, supponitur tanquam ibidem certum & notorium. Vnde etiam Religiosa noluerunt illam eligere in Procuratricem, nisi se vellet Religionis votis obstringere.

9 Quod etiam postea nõ sit professa, quando Pater monasterij explicatis votis Religionis, eam interrogauit, An esset parata amore Dei, S. Augustini, & Sororum domus id ipsis inseruiendum consentire in dicta tria vota, eaque prestare pro vt alia Religiosa domus fecerunt; & illa respondit, Quod sic, cum Dei adiutorio, intendens hoc facere suo tempore, non illo actu: manifestum est quia defuit consensus de presentij. Sicut enim in matrimonio & in omni alio contractu de presentij, requiritur consensus de presentij, quo consentiat, vt ex hoc tempore incipiat valere; sic etiam in professione. Itaque cum hæc contulerit suum consensum, non in presentem actum, sed in futurum, quem nondum fecit, cuius est, per illum actum coram Deo non fecisse professionem, nec contraxisse obligationem quæ ex professionis actu resultat. Actus enim cui deest consensus, est omnino inualidus ad inducendam obligationem: quia omnis obligatio in contractibus, in votis, in promissionibus, ex consensu oritur: vbi ergo deest consensus, deest obligatio. Confirmatur, quia esse paratum consentire in tria vota, non est reipsa consentire in illa: & esse paratum illa prestare more aliarum, non est reipsa illa prestare: sicut esse paratum contrahere matrimonium, vendere domum &c. non est reipsa contrahere aut vendere: ergo ex tali actu præcisè non potest iudicari fecisse professionem.

10 Neque illa quæ postea secuta sunt (vt benedictio Patris, osculum Sororum, obedientie promissio facta Priorissa, conuiuium solitum dari à professis, communis opinio Sororum & Patris putantium illam professam; denique quod ipsa dixit, se non penitere promissionis facta): sufficiunt ad

validandam professionem; nisi ipsa per huiusmodi actus, dum se in illis gerit tanquam professam, intederit se de nouo obligare, & esse verè professa. Quia etiam si hi sint actus professorum, quibus videri possit inducta tacita professio, tamen coram Deo verè non inducunt, nisi consensus adsit, vt omnes DD. fatentur.

Respondeo Secundò, In foro tamen externo nõ parua difficultas ob hæc moueri posset; & fortasse præsumeretur verè professa; quia actus isti externi videntur sufficere ad tacitam professionem. Sed in foro interno loci non habet præsumptio, sed nuda veritatis confessio. Itaque si ipsa profiteatur se nullam intentionem hisce actibus sese obligandi habuisse, sed solum simulandi, quia putabatur antè professa, iudicandum est in foro conscientie non fuisse tacitam professionem.

Ex quibus omnibus concludo Primò, Matrimonium illius postea contractum, coram Deo validum esse: & si est consummatum, non solum ipsam non teneri, sed nec posse ad monasterium inuito marito redire.

Secundò, Ex ijs quæ narrata sunt, non posse colligi illam vllò voto, etiam simplici teneri nisi forte voto obedientie, quando Priorissa obedientiam promisit. Hoc enim videtur fuisse verum votum directum ad Deum, cuius materia fuerit obedientia præstanda Priorissæ, vt D. Thomas in simili docet 2. 2. q. 88. a. 3. sic enim in Religionibus Prælato obedientia promitti solet. Huius tamen voti executio facta est impossibilis per matrimonium. Itaque non tenetur illud exequi. Deinde, Priorissa & Conuentus eam liberant ex parte sua quantum adstringitur, cedentes iure recipiendi.

Itaque non videtur egere dispensatione: quam tamen ab Episcopo, vel habente auctoritatem Episcopalem, vel à Religioso habente priuilegium obtinere potest, si eam desiderat.

Illis autè verbis quibus significauit se esse paratam emittere vota, vt alia fecerunt; non obstrinxit se vllò voto, nec simplici nec solemnij; vt ex dictis patet.

Tertiò, Illam teneri petere veniam à Priorissa & Conuentu ob grauem iniuriam illi & monasterio factam, & scandalum datum; & dolere de tantis peccatis, &c. Ita sentio saluo meliore iudicio.

CASVS VI.

Quidam à viginti annis coniugatus, iam recens certò detexit se contraxisse cum impedimento dirimente, quod sponsa sororem cognouisset ante contractum matrimonij.

QVÆRITVR, Vtrum vxori possit debitum reddere, cum illa sit in bona fide?

11 **R**espondeo, Manifestum est non posse. Ratio est, quia constat illi matrimonium esse nullum: ac proinde illam redditionem non esse actum matrimonialem, sed fornicationem. Neque hæc potest esse vlla sententiarum inter Doctores diuersitas. Nec refert quod vxor sit in bona fide: quia bona illa fides vxoris etiam si possit iuuare vt maritus licitè ei reddat debitum in dubio, tamen nullo modo iuuare potest, quando certus est matrimonium esse nullum. Vtrumque habetur apertè Cap. Inquisitioni, de sententia excommunicationis, Ibi credimus respondendum, & Cap. Literas 13. de Restit. spoliat. 161. Parò cum mulier.

Et eccle-
stasticus
Index id
grasiporati

Fuit quidem aliquando disputatum inter Do-
ctores, vtrum in eo euentu quo alter conuictus est
certus de impedimento, & Ecclesia ei no credens
precipit sub poena excommunicationis vt coniugi
reddat debitum, vtrum, inquam, tunc possit red-
dere debitum: Non defuerunt Doctores qui tunc
putarent posse reddere, propter preceptum Ec-
clesiæ, & bonam fidem alterius coniugis: sed alij
etiam in hoc casu damnant hanc sententiam erro-
ris, & tanquam in fide periculofam, propter Capi-
tula allata, quæ etiam in hoc casu loquuntur. Qua
de re vide plurima apud Sancium lib. 2. disp. 39.

24
Episcopus
potest in
hoc impo-
dimento
dirimere
dispensare.

Ne autem vir ille sine remedio maneat; potest
Episcopus dispensare in illo impedimento diri-
mente, & concedere vt rursus contrahant; vt
passim tradunt Doctores: Si tamen hæc quatuor
concurrant; Primò, Vt matrimonium ipsorum sit
publicum. Secundò, Vt impedimentum sit occultum.
Tertiò, Vt in separatione sit scandalum. Quartò,
Vt non facilis sit aditus ad Summum Pontificem
ob paupertatem vel aliam causam, vel certè
ob periculum peccatorum in tanta dilatione,
quia interea non abstinebunt ab vsu coniugij pu-
tarij. Credo hæc quatuor concurrere in vestro
casu. Videantur plurima hac de re apud Sancium
lib. 2. disput. 4. Idem bis docui publicè Louanij,
similiter alij Professores; estque modò commu-
nis sententia Doctorum.

Validus est
nolium pri-
natus con-
tractus sine
Parocho,
&c.

Vt autem Secundò contrahant, non est opus
Parocho & testibus, cum semel ita contraxerint:
sed sufficit vt inter se priuatim absque vlllo teste
contrahant, vt communiter Doctores tradunt.

CASVS VII.

Impedi-
mentum
affinitatis
sublatum;

*Vtrum, hoc ipso, quo Concilium Tridentinum
suo decreto sustulit Ius antiquum inducens
impedimentum dirimens ob affinitatem in
3. & 4. gradu ex copula illicita, & Summus
Pontifex decretum illud confirmauit, vbique
cessauerit hoc impedimentum, etiam apud
eos qui reuocationem illam ignorarunt, & in
contraria consuetudine permanserunt?*

15
Reuocata
lege, cessat
nec vbiq;
hoc impedi-
mentum,
etiam apud
ignorantes.

Respondeo, Non videtur mihi dubium quin
reuocata lege absolute à legiflatore vel eius
successore, cesset obligatio illius legis vniuersè
apud omnes qui subsunt potestati legiflatoris, et-
iam si ipsi ignorent illam reuocationem. Vnde hoc
ipso quo Concilium Tridentinum suo decreto sus-
tulit Ius antiquum inducens impedimentum diri-
mens ob affinitatem in 3. & 4. gradu ex copula
illicita, & Summus Pontifex decretum illud confir-
mauit, vbique cessauit hoc impedimentum.
Quare si aliqui (etsi mala fide) contraxissent in 3.
gradu talis affinitatis post illam confirmationem,
matrimonium fuisset validum. Vt enim reuocatio
legis vim habeat & impedimentum cesset, nulla
requiritur promulgatio vel acceptatio. Sufficit
enim voluntas legiflatoris exterius sufficienter
declarata: quamuis etiam talis declaratio absolu-
tè non sit necessaria; sed sufficiat sola voluntas et-
iam interna, vt multi docent.

Es apud
vtriosq;
mala fide.

16
Denique
apud vtriosq;
in consue-
tudo.

Verùm dubitari potest, Vtrum Ius antiquum
inducens impedimentum in 3. & 4. gradu prædi-
cto, non videatur renouatum & inductum de no-
uo ex vi consuetudinis, in qua postea permansum
est in regno Angliæ? Consuetudo enim potest
nouum Ius, & nouam obligationem inducere.

Sed non existimo in Angliâ fuisse vllam con-
suetudinem quæ hoc impedimentum potuerit in-
ducere: Primò, Quia Sacerdotes qui ibi præfue-
runt, non ignorarunt Concilij abrogationem, nec
credibile est illos voluisse contrarium inducere.
Deinde, ad inducendum de nouo tale impedi-
mentum, deberent talia matrimonia in 3. vel 4.
gradu contracta per sententiam iudicari inualida,
idque sæpiùs & varijs locis. Nam priuata & oc-
cultæ opinioniones seu iudicia ex ignorantia profe-
cta, non possunt tale impedimentum inducere.
Denique, non constat etiam de priuata & occulta
consuetudine in contrarium, quæ etiam absque
consensu supremi legiflatoris vim non haberet,
vt docet Suares de Legibus lib. 6. cap. 27. versus
finem.

Ad ea quæ in contrarium adferuntur, dici po-
test Primò, Esse diuersam rationem decreti de po-
testate dispensandi. Quia per illud confertur no-
ua potestas & nouum priuilegium, quod fortè
Concilium non intendit dare Episcopis, qui Co-
ncilium non receperunt. Hic verò legis obligatio
vniuersè tollitur, vnde non est opus dare aliquod
priuilegium. Deinde, de illa Cardinalium respon-
sione, non liquet satis; vnde non obligat. Equi-
tati satis consentaneum est, vt si quis onera legum
non suscipiat, priuetur legum priuilegijs: sed nul-
quam Iure statutum est vt hoc ipso sit priuatus.

17
Responso
ad argu-
menta con-
traria.

Itaque etsi aliqui fluctuent in hac quæstione,
ego tamen verius & probabilius sentio, illa im-
pedimenta 3. & 4. gradu etiam in Angliâ cessare,
& matrimonia in illis gradibus ibidem contracta
esse valida, etiam si contrahentes ob malam fidem
peccassent.

Impedim-
ta 3. & 4.
gradus af-
finitatis
& copula
cessant in
Angliâ.

CASVS VIII.

*Titius cognouit suam affinem in 4. gradu. Po-
stea cepit cum ea contrahere. Impetrat dis-
pensationem illius impedimenti à Summo
Pontifice, sed in supplicatione non expressit
interuenisse copulam.*

Dispen-
satio im-
pedimen-
tis ratio-
ne affini-
tatis.

QVAERITVR, An dispensatio sit valida?

Respondeo esse irritam. Hanc vt multò ve-
riorem probat Sanchez lib. 8. disp. 25. n. 8.
(etsi contraria sit probabilis.) Præcipua ratio est
stilus Curia. & declaratio expressa Cardinalium.
Vnde in Aphorismis Sæ qui contrarium tenuerat
V. Dispensatio, id est correctum, & additur Car-
dinales contrarium declarasse.

18

Si Pontifex in dispensatione dicat, Dispensetur
nisi interuenierit copula carnalis, & ante execu-
tionem dispensationis interueniat copula, si ea est
occulta, valdè probabile est valere dispensationem,
nec opus esse secundò Romam recurrere.
Contrarium tamen Sancius putat probabilius ob-
stulit Curia.

CASVS IX.

In Diocesi Leodiensi à quadraginta, quinquaginta & pluribus annis, consueuerunt Episcopi & eorum Vicarij dispensare in impedimento matrimonij, & nominatim consanguinitatis & affinitatis, communiter in 4. gradu, infra subsistente causa, & subinde in 3. si aliqua ex subsequentibus causis allegentur, & legitime probentur: Primò, Quando

Dispen-
satio in
gradibus
prohibi-
tis affini-
tatis &
consan-
guinitatis.

ob paupertatem ad Urbem pro dispensatione mittere non possunt, & alias graues & pragnantes causa subfint, propter quas bonum sit dispensare. Secundò, Quando eorum Parochi attestantur, nisi dispensatio concedatur, ad hereticos vicinos migravos esse. Tertio, Quando filia per cognatum vel affinem est impragnata, & nisi dispensatio detur antequam uterus tumescens crimen detegat, sequentur rixae inter parentes, caedes, & huiusce generis scandala.

QVÆRITVR, An Episcopus & Vicarius Leodienses moderni per huiusmodi consuetudinem, ex ijs, vel similibus pragnantibus causis, in dictis impedimentis iura consecratiã possint dispensare?

inimicitias cum Petro: & Lucretia quoque Petram oderat, quod ab illo duriter haberetur: incunt consilium vt illum interficiant, quod & factum est; primaria quidem intentione vlciscendi, quia oderant: secundaria, contrahendi simul; saltem dubitant.

QVÆRITVR, An ortum sit impedimentum dirimens; & quid faciendum, si contraxerunt?

Respondeo & Dico Primò, Si saltem secundaria intentio fuit contrahere, ortum est impedimentum effectu secuto. Ratio est, quia vere machinati sunt mortem animo contrahendi: nõ enim Iura exprimunt debere esse primariam intentionem.

Dico Secundò, Si dubitant an habuerint intentionem secundariam; perseverante dubio non possunt contrahere sine dispensatione. Ratio est, quia moraliter constare debet non subesse impedimentum vt contrahant; aliàs exponunt se periculo fornicationis.

Dico Tertio, Si contraxerunt non bona fide dubitantes an subesset impedimentum, nõ possunt petere debitum aut reddere ante dispensationem. Oborta autem dispensatione debent contrahere secundò; non coram Parocho & testibus coram quibus antea contraxerunt matrimonium præsumptum, sed secretò.

Dico Quarto, Si bona fide contraxerunt nihil suspicantes de illo impedimento, & postea dubitatio superuenit, adhibita debita diligentia, si nihil possint moralis certitudinis assequi, probabile est nõ egere dispensatione. Difficile tamen creditu est non habuisse eos intentionem contrahendi: quorsum enim simul conspirassent? quorsum mortem intulissent? poterant minori malo vlcisci iniuriam. Vnde puto petendam dispensatione.

CASVS XI.

Ante annos triginta puella quedam iuncta fuit matrimonio viro cuidam, qui per aliquot menses communi toro usus, eam ne attingit quidem. Dies illi dicta coram Officiali, cuius decreto inspectus a 4. medicis, qui hominem frigidum & impotentem deprehenderunt. Officialis itaque pronuntiat vt expe-riatur per triennium. At ille rursus post aliquot menses, clam omnibus, puelle rebus onustus aufugit, eam vt accepit virginem relinquens. Nihil interea auditum, nisi ante 5. annos, cum agnitus fuit a quodam suo populari?

Impedimentum dirimens ex impotentia.

QVÆRITVR, An super his fundamentis Ecclesia possit pronuntiare sententiam nullitatis prioris matrimonij?

Respondeo breuiter (omissis multis quae in utramque partem dici possent) posse pronuntiare sententiam diuortij quoad vinculum in prædicto casu. Nam cum de frigiditatis impedimento agitur, non requiritur temper probatio triennij: sed sufficit inspectio corporis cum iuramento, & alij signis. Vnde post primam puellæ

S iij querclan

19 Potestas dispensandi in impedimentis matrimonij. præscribi nequit absolute.

Respondeo Primò, Potestas dispensandi in impedimentis istis ad matrimonium contrahendum, non potest absolute præscribi (etiam si causa iusta & grauis subfit) ab Episcopo, nisi spatio 40. annorum cum titulo; vel tempore, cuius initij nõ extet memoria, absque titulo. Colligitur ex Cap. 1. de Prescriptione in 6. adiunctis ijs quæ ibi notat Glossa, & DD. communiter.

Ratio est, Nam Iure communi & vsu Ecclesiæ potestas illa est propria Summi Pontificis, tanquã supremi Principis Sacrorum; sicut potestas legitimandi, potestas meri & mixti imperij est propria Principi. Atqui ea quæ propria sunt Principi, nõ possunt ab inferioribus præscribi, nisi modo prædicto; quia præsumptio Iuris est in contrarium, vt docet Couar. Reg. Possessor. p. 2. §. 3. n. 3. & seq. & colligitur ex dicto Cap. 1. de Præscript. in 6.

Nec refert quod iusta & grauis causa dispensandi subfit; quia talis semper adesse debet vt possit fieri dispensatio in huiusmodi. Vnde nec Summus Pontifex absque tali causa licitè dispensare potest; vt omnes DD. fatentur.

20 Præscribi tamen potest restrictum ad certum casum.

Respondeo Secundò, Probabile tamen est posse illam potestatem restrictam ad certum casum præscribi spatio 40. annorum, etiam absque titulo: nimirum quando hæc duo concurrunt: Primò, quod ob paupertatem ad Urbem pro dispensatione mittere non possunt, Secundum, quod graues causa subfint ob quas dispensare non solum sit bonum, sed etiam necessarium ad grauissima mala impedienda, quæ alia ratione quàm dispensatione & concessione matrimonij impediri nequeant: vt si alioqui putentur ad hereticos migraturi, & ibi contracturi; vel si caedes inter parentes putentur futurae.

Ratio est, quia positis talibus circumstantijs præsumptio Iuris non obstat: nam bona fide præsumi potest Principem in tali casu concessisse potestatem, vel tacitè illam concedere; cum ipsius mens non sit vt reseruatio potestatis cedat in detrimentum animarum, vel Ecclesiæ, sed solum in ædificationem. Itaque cum præsumptio malæ fidei non obstat, non video cur 40. annis absque titulo præscribi nõ possit, quando dictæ causæ concurrunt.

CASVS X.

Lucretia iuncta Matrimonio cum Petro, perpetravit adulterium cum Achille, qui gerebat

Impedimentum dirimens ex crimine.

querelam poterat diuortium concedi facta inspectione corporis puellae & viri, accedente iudicio medicorum, & iuramento viri & puellae, & propinquorum. Multo magis poterit iam fieri, cum credibile sit virum postea tentasse, & ideo fugisse quod videret se nihil posse; quae fuga confirmat praesumptionem impotentis, quam etiam confirmat tam diuturna absentia.

Nec refert quod viri confessio & iurandum iam haberi nequeat; quia reliqua signa sufficiunt cum inspectione corporis mulieris, ut colligitur ex Panor. in Cap. 1. n. 3. & 6. de frigid. & malef. ubi hanc sententiam clare docet. Idem satis aperte conuincitur ex illo Capitulo. Triennij probatio necessaria maximè est in maleficio: quia non ita potest statim constare de eius perpetuitate, cum daemonis noxa sit voluntaria: Secus est in frigiditate quae à natura est, ut ibidem Panor. mitanus.

CASVS XII.

Parochus originis astitit matrimonio eorum qui alibi habebant domicilium fixa habitationis.

QVÆRITVR, An matrimonium sit inualidum? An Parochus suspensus?

24 **R**espondeo, Parochus originis non potest assistere matrimonio, nec censetur proprius Parochus in hoc negotio, sicut nec in Sacramento Penitentiae, si contrahentes alibi habent domicilium, seu fixam habitationem, absque animo reuertendi & habitandi in loco originis. Quo posito, matrimonium istud coram Parocho originis contractum, esset inualidum. Si tamen quispiam non deseruit animo locum originis, sed habuit semper animum reuertendi, & ibi habitandi, verè retinuit ibi domicilium habitationis, etiam si plurimis annis abfuerit. Et ita posset ibi coram Parocho contrahere.

25 **P**arochus qui astitit matrimonio eorum qui alibi habebant domicilium fixae habitationis, si bona fide id fecit, putans se id posse facere, etiam si ex ignorantia crassa, non est suspensus per Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 1. de Refor. Matrim. Quia requiritur ut ausu temerario id factum sit: ad quod requiritur scientia, quae sciat id esse illicitum. Quod si talis scientia adfuerit, esset suspensus ad arbitrium Episcopi illius Parochi, qui debebat de iure assistere: nec posset absolui nisi ab illo Episcopo, ut patet ex verbis Concilij. Itaque hic deberet adire Archiepiscopum Mechliniensem cui Parochus contrahentium, & ipsi contrahentes subfunt. Absolutus autem à suspensione per illum Episcopum, posset dispensari in irregularitate, quam celebrando in tali suspensione incurrisset, non per Episcopum eundem, sed per proprium Episcopum, si casus erat occultus, vel quemuis alium habentem ad hoc potestatem iure ordinario vel delegato.

CASVS XIII.

Quidam Miles Lotharingus in oppido Thenenfi praesidiarius, abduxit quandam Virginem Thenensem Geldoniū Brabantia oppidum, ut ibi coram Parocho & testibus cum ea contraheret, & contraxit.

QVÆRITVR, Vtrum sit Matrimonium?

Videtur non esse, quia ille Parochus non erat ipse Parochus, nec puellae, sed Parochus Thenenfis; nam per sex hebdomadas miles ibi fuerat in praesidio.

26 **R**espondeo, Matrimonium illud esse validum. Ratio est, quia miles ille non habebat in Belgio domicilium, sed censebatur vagabundus; sicut alij exteri milites: commorantur enim vbicumque constituuntur à praefectis. Nec obstat, quod per sex hebdomadas ibi fuerit: quia hoc satis non est ad contrahendam parochiam. Debet enim quis commorari in aliquo loco, saltem maiori parte anni, ut ibi parochiam sortiatur, ita ut alibi non possit Sacramenta percipere; vel saltem habere propositum ibi tam diu habitandi. Atqui tale non erat in milite, quia omni hora debet esse paratus ad recedendum. Deinde, ipsa puella, ut narratur, iam stauerat relinquere Thenas, & se conferre Leodium. At hoc ipso quo quis relinquit aliquem locum, amittit parochiam; & donec perueniat ad terminum ubi statuat figere domicilium, censetur sine parochia propria, sicut vagabundus: ergo potest vbique Sacramenta percipere.

Est validum hoc matrimonium.

Quomodo amittatur parochia.

CASVS XIV.

Quidam ex diocesi ubi decretum Concilij Tridentini de matrimonio est promulgatum & seruatur, aduenit loca ubi decretum illud non est promulgatum, idque eo sine vi sine Parocho pessimi contrahere.

QVÆRITVR Primo, Vtrum hi validè contrahant.

QVÆRITVR Secundo, Cum Officiales illius diocesis haecenus talia matrimonia declarauerint irrita, & curauerint separari: quid modò faciendum de illis, qui ita separati, & quid censendum de prolibus in tali matrimonio susceptis, & de susceptis ex secundo connubio, quod iam separati inierunt cum alijs?

27 **A**d Primum: Respondeo, Validè contrahere si alioqui sint habiles, ut bene probat Sancius lib. 3. de Sponsal. disp. 18. q. 4. Vnde sequitur Primò, tales non esse separandos si probare possint se ita contraxisse. Secundo, eorum proles esse legitimas. Possunt tamen puniri ab Ordinario, si publicas denuntiationes omiserint. Hanc sententiam iudico veriore, & Iuri omnino conformiorem.

Ad Secundum: Respondeo, Probabile etiam esse illa matrimonia sic de industria contracta, esse irrita, ut aperte indicat Sancius (nam alteram sententiam solum vult esse probabilior) & adducit pro illa tres graues auctores, nec illi desunt probabiles rationes.

Itaque Domini Officiales separando tales secuti sunt sententiam probabilem. Vnde qui hoc modo separati sunt, & alijs iuncti, non sunt monendi; sed permittendi in secundo matrimonio, & proles eorum censendae legitimae: quia bona fide sic contraxerunt.

28 **Q**uod verò attinet ad proles quae ex matrimonio clandestino susceptae fuerint, haec relinquuntur eo statu

Matrimonium sine Parocho extra propriam diocesisim.

27

28

Matrimonium sine proprio Parocho.

eo statu & loco quo sunt, nisi forte lis de earum statu moueatur. Quia ob huiusmodi probabilitatem sequi posset magna varietas in iudicando, cum magno populi scádalo, si Officiales qui nunc sunt, iudicarent secundum hanc sententiam: qui postea erunt, secundum aliam: & posteriores rursus secundum primam. Idcirco statuendum vt constanter in posteru secundum probabiliore iudicetur.

CASVS XV.

Matrimonium coram testibus indebitè adhibitis.

Aurelius & Lucretia vocant Parochu & duos testes vt Matrimonio suo assistant; sed inter se ita illi agunt, vt testes non videantur posse perfecte percipere quid illi intendant: ex modo enim agendi & ex verbis videntur posse existimare illos iocari, vel aliud intendere quam intendant.

QVÆRITVR, An sit verum Matrimonium?

29
Causa dubitandi.

Ratio dubitandi est, Quia non videntur contraxisse coram testibus; cò quòd testes non potuerint ex modo agendi & loquendi perfecte percipere quid Aurelius & Lucretia intendant. Atqui nõ potest quis dici testis respectu eius quod non percipit: ergo defectu testium videtur hoc matrimonium esse inualidum.

Est verum Matrimonium.

Respondeo, Omnino tenendum videtur fuisse validum matrimonium. Quia verè & proprie contraxerunt per verba de presenti, coram Parocho & duobus testibus. Ideo enim Parochum & illos duos testes aduocarunt, vt coram ipsis contraherent, quod & fecerunt.

Non requiritur vt testes cognoscant intentionem contrahentiu.

Neque obstat, Quòd testes, & fortè etiam Parochus non omnino cognouerint intentionem ipsorum: quia non est necesse vt sciant intentionem contrahentium, vt docet Nauarrus de Sponsalibus, Consilio 54. nullum enim Ius hoc requirit. Satis enim est vt actus ille dicatur fieri coram Parocho & testibus, si ita fiat coram ipsis, vt ipsi percipiant quid agatur exterius, etsi de intentione dubitent: sunt enim testes operis externi, non internæ voluntatis.

Confirmatur Primò, Quia si mulier dicat, *Volo te habere coniugè aut maritum*; & vir dicat, *Volo te habere uxorem*, si fiat coram Parocho & testibus, valet, etsi Parochus ignoret illorum mentem, putetque solùm esse verba de futuro; vt docet Nauarrus Consil. vlt. de Sponsalibus. Secundò, fieri potest vt persuasum sit testibus omnia simulatè fieri. Quo casu quis dicat non fuisse matrimoniu; Tertio, Sæpe possunt addere aliquid ludicri vt rem tegant, & testes reddant ambiguos, vt se possint tueri si opus sit.

30
Neque requiritur vt verba sint clara.

Nec etiam obstat, Quòd verbis obscuris contraxerunt, vt testes non possint clarè scire mentem ipsorum: tum quia quibusuis verbis consensum vicissim exprimentibus matrimonium contrahi potest, iuxta communem DD. sententiam; tum quia verba non fuerunt adeò obscura, quin facillè posset percipi quid vellent: vsi sunt enim verbis Scripturæ Genes. 2. quibus significatur societas & auxilium matrimoniale ad prolis generatione, dicentes vitro citroque, *Accipio te in adiutorium meum*: tum denique, quia non est necesse vt intentionem contrahentium certò assequantur.

His adde, Quando aliqua dispositio vel contractus iure nature est validus, si Ius positium for-

mam aliquam ei superinducat, sine qua vellet illam dispositionem esse irritam, ea forma sic accipienda est, vt (quantum verba patiuntur) quàm minimum præiudicet naturali libertati, & validitati dispositionis, iuxta regulam Iuris, *Omnia restringi, fauores conuenit ampliari*: talis enim restrictio & irritatio est odiosa. Quam ob causam DD. dicunt nõ requiri vt testes sint rogati, aut vt sponte adfint, aut vt velint esse testes. Itè sufficere vt sit Parochus alterius partis, & similia: quia verba Concilij hæc omnia admittunt. Pari ergo ratione dicendum est, non esse necesse vt testes sciant mentem contrahentium, modò percipiant ipsum contractum externum: nam etiam tunc in proprietate verborum verum est illos non contrahere absque Parocho præsentè & duobus testibus.

Forma inuidiosa, irritans contractum, qui iure natura est validus, quomodo accipienda.

CASVS XVI.

Matrimonium sine Parocho & testibus.

Titius & Caia contrahunt matrimonium per verba de presenti absque Parocho & testibus. Et statim in ipso contractu sibi mutuo promittunt quòd iteratò sint in iuri illum contractum coram Ecclesia.

QVÆRITVR Primò, An contractus ille matrimonij de presenti habeat rationem sponsalium?

QVÆRITVR Secundò, An ex tali contractu de presenti irritò ex defectu Parochi & testium, oriatur impedimentum publicæ honestatis?

QVÆRITVR Tertio, An saltem illa promissio quod iteratò sint in iuri illum contractum coram Ecclesia, non habeat vim sponsalium?

AD Primum: Respondeo, Etsi probabile sit contractum Matrimonij per verba de presenti absque Parocho & testibus habere vim sponsaliorum, cum multi Doctores non sine probabili ratione id doceant, vt Couar. in 4. p. 1. c. 3. in fine. Henriq. l. 11. de Matrimonio cap. 5. n. 4. & alij. Tamen contrarium est probabilius; quia Concilium Trident. *Ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit*. Si contractus esset validus instar sponsaliorum, non essent ipsi omnino inhabiles. Ita Sanchez lib. 1. disp. 20. & multi alij, quos ipse citat, & benè id probat. Idem expressè docet Nauar. in Consil. tit. de Sponsalibus, Consil. 1. num. 3.

32
Probabile est habere rationem Sponsalium.

AD Secundum: Respondeo, Quod ad impedimentum publicæ honestatis attinet, probabilius est ex tali contractu de presenti irritò ex defectu Parochi vel testium, non oriri hoc impedimentu: quia deest forma essentialis contractus matrimonij, nec habet vim sponsalium, vt dictum est.

Contrarium est probabilius.

Nec obstat cap. 1. de sponsal. in 6. Quia post Concilium Trident. sels. 24. c. 3. ex sponsalibus irritis non oritur vllum impedimentum. Si tamè quis velit sequi alios Doctores qui tenent talem contractum habere vim sponsaliorum, dicere debet per eum induci impedimentum publicæ honestatis. Vide Sanchez lib. 7. de Matrimonio disput. 70. n. 13.

33

AD Tertium: Respondeo, Res hæc difficultatem habet. Si enim quis dicat eos solùm sibi mutuo promississe, quòd iteratò essent in iuri illum contractum

34

tractum coram Ecclesia, eò quòd putarent se iam coniunctos, & idcirco debere etiam publicè facere quod clanculum fecerant, sic non videntur esse sponsalia, quia promissio illa nititur errore quo putant se iam coniunctos, & idcirco debere illam ceremoniam coram Ecclesia repetere. Si verò absolute intenderunt de nouo se obstringere ad inuendum matrimonium, etiam eo euentu, quo antea nihil esset actum, nec vlla obligatio orta ex illo contractu: sic dicendum est esse sponsalia. Et hoc videtur verius: quia videntur omni modo voluisse firmare suum contractum. Vnde non ex interuallo, sed statim in ipso contractu promissionem illam addiderunt. Quo posito, non possunt absque consensu mutuo ad alias nuptias transire.

quando Matrimonium non fuit contractum coram Parocho & testibus?

Videtur non licere. Primò, Adire nuptiale cõiuuium est gratulari sponsis nouas nuptias, easque approbare: idè enim celebratur coniuuium vt omnes gaudeant, & benè precetur: hoc autem est illicitum. Secundò, quia tales nuptiae sunt fornicationes: atqui non licet gratulari statù meretricium, vel alium impurum: ergò. Tertio, quia est scandalum.

Sed contrarium tenendum est; scilicet, hoc nõ esse peccatum mortale si scandalum absit, & sine periculo vitæ, vel damni notabilis, vel grauis offensionis quæ tandem possit damnum adferre, vitari nequeat.

Dico, Si scandalum absit, quia hoc in omni opere per se indifferenti, imò etiam in opere aliàs bono non præcepto vitandum est.

Dico, Si absque periculo, &c. vitari nequeat: quia si quis possit se commode absentare, non videtur permittendum; habet enim quandam mali speciè. Non tamen puto esse peccatum mortiferum, si illud coniuuium adeas gratificandi causâ; vt quia amicus, quia eius operâ interdum egesset, vel etiam vt lauius comedas.

Probat hanc sententia. Primò, Adire talia cõiuuia non est per se malum, vt patet: ergo si aliqua iusta causa interueniat, erit licitum.

Secundò, Si esset peccatum mortale, id proveniret ex aliqua supra dictarum causarum, quæ in argumentis pro parte contraria sunt expressæ: sed nulla istarum sufficit. Non prima, quia non est necesse vt approbet illas nuptias, seu contractum eo modo quo factus est. Nam sæpè accidit vt ad coniuuium nuptiale veniat, qui nuptias illas improbat & detestatur: vnde non venit causa gratulandi & approbandi, sed solum vt vitet offensionem amici, vel aliud incommodum. Deinde potest quis gratulari & benè precari nouis nuptijs, nõ quòd legitime sint ex parte rei, sed quòd tales communiter putentur; sicut potest quis alicui gratulari statum, quem vulgò putatur habere, etiamsi eum legitime non habeat. Præterea, his gratulationibus nõ approbatur modus quo status ille ab altero acquisitus est, sed approbatur status secundũ se, & significatur gaudiũ quod habemus, vel fingimus nos habere, eò quòd ipse talem statum habeat; & apud viros bonos intelligitur hæc tacita conditio, Si iuste possideat. Non etiam Secunda, quia etsi tale matrimonium sit fornicarium, tamen publicè non habetur pro tali, sed pro honesto. Tu autem solum gratularis illi sub ratione veri matrimonij. Deniq; non Tertio, quia supponimus abesse scandalum.

Tertio, Catholici adeuntes huiusmodi coniuuia multis modis excusari possunt à peccato mortali: Primò, quia passim talia matrimonia habentur legitima. Neq; id mirum, cum etiam quidam viri alioquin benè docti, aliquando putauerint ea valida esse, eò quòd sint contracta publicè, non clandestinè: dicebant enim Concilij Tridentini mentem solum fuisse irritare matrimonia, quæ ita clandestinè essent contracta, vt ne Parochus quidem & duo testes adessent, non autem si publicè coram toto populo: ibi enim cessare rationem Concilij. Quæ sententia etsi mihi nunquam visa sit probabilis, tamen videtur habere aliquam

Matrimonium sine Parocho in locis hæreticorũ.

CASVS XVII.

An Matrimonia contracta sine presentia Parocho sint irrita in locis hæreticorum?

35 R Espondeo, Vbicumque Decretum Concilij Tridentini sess. 24. c. 1. de Matrimonio est promulgatum iuxta formam ibi præscriptam, Matrimonium contractum sine presentia Parocho, aut Sacerdotis alterius de ipsius Parocho vel Ordinarij Licentia, est nullum: vt patet clarè ex verbis Concilij. Quod etiam dicuntur declarasse Cardinales deputati; vt ante nouè annos responsum est Romã.

Vnde vbicumque decretum istud promulgatũ legitime fuerit, quamuis fortè Concilium ipsum non fuerit ibidem promulgatum; matrimonia sine Parocho, vel alio Sacerdote ad id commissio contracta, sunt irrita. Hinc sequitur irrita esse in Hollandia & Zelandia, Secus est in Anglia, vbi non fuit promulgatum.

Excipe Angliam.

36 Nec obstat quòd lex positua non videatur obligare, vbi non potest seruari: quia hoc intelligendum de lege positua, quæ solum præcipit vel vetat aliquid ex se licitum; non autem de lege irritante contractum, & maxime quæ vterius contrahentes reddit inhabiles. Non enim solum hic irritatur ipsa contractus substantia, sicut irritatur contractus Minorum lege Ciuili, quamuis id possit sufficere: sed etiam inducitur inhabilitas, quæ inhabilitas, non tollitur per hoc quòd non inueniatur Parochus &c. sicuti inhabilitas consanguinitatis non tollitur per hoc quòd alij omnes sint infideles. Contrahere autem Matrimonium cum hac inhabilitate, est implicite consentire in fornicationem; quod est contra Ius diuinum.

Persona redduntur inhabiles vt sic contrahant.

37 Addo, Quòd nec extrema necessitas aut periculum mortis possit tollere hanc inhabilitatem, quamuis lege positua inductam, vt communiter Doctores. Omitto plurima quæ in hanc sententiam dici possent; quia non sunt necessaria; nec multum ad rem faciunt. Nam in Hollandia & Zelandia facile possunt inueniri qui ab Ordinario facultatem habeant Matrimonio assistendi: vel certe potest peti dispensatio à Pontifice.

Inhabilitas illa non tollitur per extremam necessitatẽ.

Cõiuuari in nuptijs illicitis.

CASVS XVIII.

Virum sine peccato mortali liceat Catholico adire nuptiale coniuuium Catholicorum,

37 Rationes negatiuæ.

Affirmatur id per se non esse peccatum mortale.

38 Ratio.

2. Ratio.

39 Ratio importans multiplicem excusationem.

aliquam speciem ijs, qui verba Concilij non satis ponderant. Secundò, quia in istis Prouincijs hæreticorum nusquam ferè sunt Parochi, aut certè latent, vt non sint ad manum. Nuper autem Romà responsum est, vbi Parochi non sunt, ibi matrimonia absque Parocho valida esse. Quòd si hoc viris doctis visum est, quantò faciliùs simpliciores id sibi persuadere poterunt? Si dicas, non desse Sacerdotes qui habeant licentiam à Reuerendissimo Colossensi: At hi sæpè non sunt ad manũ, vel ignorantur, vel nescitur horum præsentiam esse necessariam, cum non sint Parochi, nec vsus publicus contrariũ ostendat. Tertio, quia possunt inducere in animum illos antè coram tali Sacerdote priuatim contraxisse; & postea contrahere coram magistratũ vel ministro, vt euadant multatam. Quarto, Possunt cauere ne sponis gratulentur, vel gratulari non ex animo (non enim erit nisi mendaciũ & simulatio quædam politica; que non est peccatum mortale) vel solũ benè precari; quod peccatum non est. Quintò, possunt excusari ratione damni, vel offensionis grauis, qualis plerumque metuitur. Si enim Naaman Syrus poterat flectere genua ante idolum, rege adorante, vt regi obsequium præstaret, idque ad offensionem regis vitandam, cum tamen præberet speciẽ quandam idololatriæ, vt passim DD. tradunt, & colligitur 4. Reg. 5. quantò magis poterit Catholicus adire conuiuium nuptiale, quæ res est indifferens, nullam mali speciem præferens, vt indignationem alterius periculosam auertat.

Vbi non sunt Parochi, Concilium non obligat.

Naaman Syrus Regi suo sacrificium licite abstulit.

40. Ratio.

5. Ratio.

41. Ratio.

7. Ratio.

Quarto Probatur, Licitum est adire conuiuium æthnici vbi proponuntur idolothyta, & ex illis vesci, etiamsi scias fuisse immolata, modò absit scandalum, vt patet ex Apostolo 1. ad Corinth. 8. Et tamen multò maior hinc videtur esse species mali & approbatio, quàm in casu nostro, cum ipsi cibi fuerint dijs immolati: ergo.

Quintò, Licitum est adire conuiuium quod dari solet à Prælato, v.g. ab Episcopo, Abbate, Decano, quando initiat, vel possessionem accipit, etiamsi sciam ipsum simoniacè promotum, quando communiter promotio illa putatur valida, nec ideo censendus sum approbare simoniam. Ergo similiter accedendo conuiuium nuptiale, non necessariò censor approbare illas nuptias, aut modũ contractũs.

Sextò, Quotiescumque aliquid per se malum non est, aut specialiter prohibitum, non teneor eo abstinere, etiamsi alius eò vtatur ad malum finẽ, modò ego ob bonum vel indifferentẽ finẽ id faciam: nec censor alterius malitiæ consentire, vt communiter docent Doctores, & patet his exemplis: Possunt vendere Iudeo agnum & virgulta, etiamsi sciam vsurum ad superstitionem, modò non eo sine faciam: & ancilla potest ornare dominam suam, eiusque thalamum componere, etsi sciat ipsam ad malum finem hæc destinare: Potest etiã preparare carnes die prohibito, si commodè non possit detrectare: nec censetur malum finem approbare, ob quem illa hæc parat. Cur ergo pari ratione non possim adire conuiuium nuptiale, etiamsi illud conuiuium instructũ sit ad solennitatẽ matrimonij inualidi?

Septimò, Si Matrimonium esset inualidum ratione metus, vel impedimenti criminis, aut ob aliã causam, & passim putaretur validum, eò quòd nesciant homines hæc esse impedimenta, possem

ego cum ceteris adire conuiuium, & generatim gratulari sponis, vt vsus communis probat, cur non etiam in casu proposito?

Octauò deniq; Id licitum est in ceteris contractibus; vt in emptionibus, venditionibus, locationibus inualidis: cur non etiam in contractu matrimonij? Fateor tamen te teneri monere sponos (si spes est audituros) vt rursus contrahant secundum formam Concilij: quia tenemur errantes corrigere, si spes est emendationis.

Ad argumenta in contrarium, patet ex dictis. Ad Primum, Ostensum est non approbari per hoc contractum vllum in particulari, sed in genere tantum contractum & statum matrimonij. Ad Secundum, Non approbatur fornicatio, quia non approbantur nuptiæ inualidæ, sed in genere nuptiæ, cum tacita conditione, *Si valide sint*. Ad Tertium, Ponimus abesse scandalum. Quod enim potest esse scandalum ex eò quòd homines simplices adeant nuptias suorum consanguineorum, quæ passim valide putantur? Secus fortè si esset Sacerdos: quamuis & hic alicuius boni finis causã posset interdum interesse.

8. Ratio.

42. Soluuntur argumenta.

CASVS XIX.

Titius contraxit cum Caia, in presentia Parochi & duorum testium, absque tamen facultate parentum.

Matrimonium sine consensu parentum.

QVÆRITVR, *Verum hic contractus matrimonialis sit absolute validus?*

Respondeo, Perpensis ijs quæ in facti specie narrantur; & considerato Parochi proprii testimonio, non occurrit vlla ratio alicuius momenti, ob quam contractus inter Caiam filiam & Titium, qui hinc proponitur, non debeat censi validus contractus matrimonij. Fuit enim factus in presentia proprii Parochi, & duorum testium; & inter ipsos contrahentes nullum intercessit impedimentum dirimens, quale esset cognatio vel afinitas intra quartum gradum, vt supponimus. Itaque & ipsæ personæ contrahentes habiles fuerunt, & seruata est forma ab ipso Concilio præscripta, vt patet sess. 24. cap. 1. de Reformat. matrimonij. Nihil autem aliud ad validitatem matrimonij requiri, est communis sententia Doctorum, quod etiam ex ipso Concilio satis manifestè conuincitur, & ex praxi orbis Christiani, rebusque sepius iudicatis.

43

Nec obstat quòd facultas parentum non intercesserit. Etsi enim valdè decens sit vt liberi sine hac non attentent contrahere, tamen absolute ad substantiam contractus non est necessaria, vt habetur Cap. *Cum virum*, de Regulari, & definitur cap. 1. de Refor. matrimonij à Tridentino. Vnde etiamsi absit, & inuitis parentibus contractus matrimonij ineatur, nihilominus validus & insolubilis erit, vt omnes Doctores tradunt.

Pari modo ad substantiam huius contractus nõ est necessaria benedictio, aut vlla alia obseruatio temporis vel loci, vt patet ex dicto cap. primo sess. 24. Vnde non minùs validus est qui sine benedictione initus fuit, & in cubiculo, & tempore Quadagesimæ, quàm qui in templo, & cum benedictione, & tempore nuptijs concesso, modò personæ alioquin habiles fuerint, & res in presentia

44. Benedictio etc. hic non necessaria.

sentia Parochi, & duorum testium peracta sit. De his omnibus late diximus in 3. p. D. Thomae in materia de Matrimonio cap. 4. dub. 10.

Exheredatio ob matrimonium

CASVS XX.

Titius Anglus adolescens 32. annorum duxit filiam se non indignam contra voluntatem sui parentis, propterea ab eo per testamentum exheredatur.

QVAERITVR, Vtrum illa exheredatio sit valida? Et consanguinei e bona possint possidere?

43

Respondeo, Certum est Iure communi Caesareo, & Iure Canonico non potuisse Titium exheredari, eo quod duxerit filiam illam contra voluntatem patris: praesertim cum illa non fuerit eo indigna, sed par conditione, etsi non opibus. Est communis sententia Doctorum, & colligitur manifeste ex Auth. Vt cum, De appellat. cognosc. 8. §. Causas autem. Vbi recensentur 14. cauae, ob quas pater potest exheredare filium; inter quas illa non reperitur. Et §. Aliud quoque capitulum, expresse dicitur ob alias causas non posse exheredari. Confirmatur. Quia causa, ob quam filius exheredatur, debet esse valde grauis; quia est grauis poena, cum priuetur bonis, quae Iure Gentium & Ciuili ei debentur.

Causa exheredatio nis filij & filia.

Idem ex eo probatur, quod nec filia possit exheredari, eo quod inuitis parentibus nupserit, modo turpem vitam non elegerit, vt communiter Doctores tradunt argumento Cap. vlt. De secundis nuptijs. Vide Couar. in 4. p. 2. cap. 3. §. 8. vbi refert alios, & docet, Quod quando modus contrahendi matrimonium non est ab Ecclesia prohibitus, neque licite neque valide possint exheredari, etiam si ante 25. annum contra voluntatem parentum, cum indigno longeque inferiori contrahant, & peccent propter inobedientiam, & odia quae sequuntur: quia Ecclesia vult matrimonia esse libera. Multo minus id poterit fieri in casu proposito, vbi agitur de filio in trigessimum seculum aetatis annum dilato; cui parens ante coefferat facultatem ducendi eam quam vellet, cui permiserat tam diu tamque familiariter cum illa puella viuere in eadem domo &c. quaeque eo non erat indigna.

46 Nisi repugnet ius Anglicanum, bona restituentur.

Itaque nisi ius Anglicanum expresse habeat contrarium, & in tali casu concedat parentibus facultatem filios exheredandi (quod nullo modo est credibile, cum recta rationi valde sit repugnans) plane dicendum est, tale testamentum censendum inofficiosum & irritum, & eos qui bona illa occupant non posse bona conscientia retinere, sed teneri restituere, non obstante illa transactione quae non fuit libera, sed metu amissionis totius hereditatis extorta.

Ad alteram partem Respondeo, Filios praedicti Titij posse agere bona conscientia ad istorum bonorum integram vindicationem;

zini non p... ad v... m... m...

CASVS XXI.

Titius viduus promisit filio suo Caio uxorem ducenti, se in statu viduitatis permansurum, nec aliud matrimonium initurum. Secundo, se ei cessurum habitationem, & culturam agrorum ex parte dimidia. Tertio fecit expensas matrimoniales. Tandem inter Titium patrem & Caium filium intercessit simulas.

Promissio manendi in statu Viduitatis &c.

QVAERITVR Primò, Vtrum ista promissio de non incedo altero matrimonio ita strictè interpretanda sit, vt inducat obligationem iustitia?

QVAERITVR Secundò, An teneatur Caio filio concedere habitationem & culturam agrorum?

QVAERITVR Tertio, An possit repetere a Caio expensas matrimoniales?

Ad Primum: Respondeo, Promissio illa quae parens viduus promisit filio vxore ducenti, se in statu viduitatis mansurum, nec aliud matrimonium initurum, non est ita strictè interpretanda vt inducat obligationem iustitiae, ita vt postea, etiam si videat id suae salutis expedire, non possit vxorem accipere. Absurdum est in huiusmodi quae ad statum & salutem pertinent, virgere promissionem. Si enim, quia ius testandi debet cuique relinqui liberum, inualida est promissio non mutandi testamenti; multo magis inualida est promissio non ducenda vxoris homini facta.

47

Ad Secundum: In reliquis teneatur pater stare contractu inuito cum filio: nimirum vt ei concedat habitationem & culturam agrorum ex parte dimidia, sicut contentum erat. Teneatur etiam tollere ex parte sua impedimenta ob quae contractus non potest mandari executioni. Nec potest absolui, nisi paratus sit in omnibus illis quae ad contractus executionem pertinent, stare sententia & arbitrio bonorum & prudentum virorum, vel sententia iudicis; si res deducta est ad forum contentiosum.

48

Ad Tertium: Quod ad expensas pro filio in matrimonio factas attinet, non videtur posse exigere pro illis satisfactionem, si consuetudo est vt a parentibus non computentur; neque ab initio pactus est vt restituerentur: censetur enim illas donasse. Vnde non potest ob hoc dissidium reuocare. Neque enim hic casus videtur talis vt donatio illa possit reuocari: tum quia facta est ob causam, & secundum consuetudinem receptam; tum quia nihil eorum quae requirit L. finalis. C. De reuocandis donat. hic videtur subesse: nam filius negat se patrem furem vocasse: tum denique quia etiam si causa iusta suppeteret, filius tamen non tenetur restituere ante sententiam iudicis, vt ex eadem lege colligitur.

49

MISSA.

M I S S A.

CASVS I.

Fabulę in officio diuino.

Virum Mos ille in Ecclesia tempore diuini officij fabulandi & ridendi, vis Principibus non sit illicitus & indecorus?

Ratio hu- iuste Scri- ptionis.

Vir Clarissime. In monitione hesternā quā Illustrissimō Domino, solo Dei intuitu, & salutis honorisque illius studio feci, miratus sum vehementer D. Tuam defendere & excusare voluisse, morem illum in Ecclesia tempore diuini officij fabulandi & ridendi tanquam viris principibus non illicitum & indecorum; quasi hac in re non omnes eādē lege tenerentur, sed Nobiles viri sint excipiendi. Noli tunc plura contra disputare: locus erat importunus: sufficiebat paucis monuisse homines inde offendi, & Illustrissimi Domini famę labem aliquam adspergi: fuisse enim in quodā concessu quandam Dominam quę id narraffet, notando suam Excellentiam & eius familiam; & à ceteris (qui similia sæpē aduerterant, inter quos aliqui Iurisperiti seculares & Theologi) idem improbatum: offendi etiam diuinam Majestatem coram qua, quantumuis quis magnus sit, reuerenter se gerere debet, imò quò quis maior, decere vt eò segerat reuerentius. His plura nō adderem, quia hæc sua Excellentię, vt est præclarę indolis & ingenij, sufficere poterant: nisi D. Tua morem illum defendere voluisset. Puto enim fraternam charitatem à me postulare, vt, si D. Tua, ita verè sentit, errorem illum excimam, quia perniciosus est: si non sentit, moneam ne huiusmodi vnquam vel placendi studio, vel duplicendi timore defendat; quia pestifera adulatione est.

Mos ille est illicitus & indecorus.

Affirmo igitur etiam Principibus viris, quantumuis magni sint, illicitum esse & indecorum in Ecclesia tempore diuini officij, & sacrae liturgię fabulari & ridere, idque adeò certum est, vt contrarium error in fide cenferi debeat.

Patet ex Scripturis.

Constat id Primò ex Scriptur. Mat. 21. & Ioan. 2. *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Si Dominus id dixit de templo vsteri, quod solum erat typus Ecclesię Christianę, quanto magis id sentiendum de Ecclesia Christiana? & si ciecit inde ementes & vendentes, ea quę ad sacrificia illius temporis pertinebant, qui solum in parte exterioris illius templi versabatur, quanto magis improbare eos, qui coram tremēdis illis mysterijs bonam partem temporis fabulis & risibus transigunt?

Ex Conci- lijs.

Secundò, Ex Concilijs: Conciliū Lugdunense sub Gregorio X. (habetur Cap. Decet, de Immunit. Eccl. in 6.) *Cessent in Ecclesia vana, & multò fortius facta vel prophana colloquia.* Cessent confabulationes qualibet. *Sint postremò quacumque alia que diuinum possunt perturbare officium, aut oculos diuina Maiestatis offendere, ab ipsis prorsus extranea; ne vbi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio &c.* Concilium Trident. sess. 22. inter cetera, iubet vt omnes seculares actiones, vana atque prophana colloquia ab Ecclesijs arceantur.

Ex SS. Patribus. Chrysof.

Tertiò, Ex Patribus: Pulcherrimè Chrysostomus Homil. 40. ad Populum, quem locum rogo vt D. Tua expendat: *Celebratur, inquit, oratio; omnes iacent segnes iuuenes & senes, piacula magis*

quam homines; ridentes, cachinnantes, colloquentes, & alijs detrahentes, supra genua positi. Tu iuuenis ades vel senex; increpa cum videris, accusa vehementius: si non increpanda tolerat, Diaconum voca, minare, que tua sumi, exhibe; & si quid aduersus te fuerit ausus facere, omnes prorsus habebis conspirantes. Quis enim tam irrationalis, qui te videns de talibus arguentem, & illos redarguens, non adhareat parti tue? Video rursus & alios loquentes festos, dum oratio celebratur: eorum verò leniores, non solum dum oratio perficitur, verum & dum Sacerdos benedicit. O rem horrendam, quando salus erit? quando Deum placare poterimus? Et id profectò tremendum est, quod huc venis non ludum aut choream obiturus, & tamen stas incompositè. Nescis quòd cum Angelis constitisti, & cum illis cantas, & cum illis Deum laudas. & stas rident? Nōne mirandum est fulmen non intorqueri non solum in istos, verum etiam in nos? sunt enim ista fulmine digna. Adest Rex, exercitum recenset, & tu sub illius oculis stas rident, & risum despicias? Quousque accusamus, quousque redarguimus? Nōne tales tanquam noxios, tanquam corruptores, tanquam perniciosos & perditos, & innumeris plenos malis ex Ecclesia decebat expelli? Quando isti ridere desinent, qui etiam in horroris hora rident? Quando à nugis abstinēbunt, qui orationis tempore loquuntur? Non eos qui adstant reuerentur, non Deum timent. An non sufficit nobis mentis negligentia, & quod orantes aliò circumagimur? Sed & risum oportet subreperere? Propterca vobis, qui sani estis, protestor, quòd iudicium vobis erit & condemnatio; & vos iam Deo irado, si quis tumultuantem videns vel loquentem, illo præsertim tempore, non significet, nec corrigat. Ecce quale crimen tales non monere. Hoc est oratione melius si orationem omittens illum increpes, vt & illi proflis, & reipsam lucrifacias, vt sic omnes saluari possimus. Igitur in malo illo constitutum negligat nemo. Hęc ille. Similia habet Homil. 74. in Matth. & Homil. 37. in epist. ad Corinth. vbi etiam inter cetera: *Quid enim? Domos ad nudandum non habetis? Ecclesiam Dei contemnitis? Si quis est qui modestus, qui tacitus esse velit, corruptipis? Atqui dicitis, iucundum esse colloqui cum familiari. Esto sanè: non vero: sed domi, sed foris fiat: Ecclesia enim non disserendi, sed discendi & orandi locus est, &c.* Omitto aliorum Patrum testimonia.

Fabulantes publice increpanda.

Admonere Diaconum.

Ex templo expellendi.

Qui fabulantes non arguit, peccat.

Vides hęc neminem excipi; non Regem, non Pontificem, non Nobilem, non Militem, aut alium quemlibet: sed generatim omnes constringi: & meritò. Quid enim sunt omnes gentes, & celsitudo humana ad illam Majestatem? *Gutta ro- ris antelucani, vapor ad modicum parens, scena, vanitas, somnium, nihil.* Si sublimes illi Principes & potestates cælestes cum magna reuerentia adstant, nec audent intueri illam Majestatem propter eminentem inde splendorem, vt Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio ait, quid non debent facere mortales, qui luteas habitant domos, & terrenum habent fundamentum; quorum gloria putredo & vermis, vt Scriptura loquitur?

Quanta Deo ab homine debita reuerentia.

Addo, Quòd quis maior est inter homines, eò ipsum in rebus diuinis maiorem reuerentiam prestare debere: tum vt alijs sit exemplo, qui libenter Magnorum mores sequuntur: tum vt in Deum gratus sit, cuius beneficio ceteris est maior. Qui enim est filius Principis, potuisset esse filius mendici, si Deo ita placuisset. Itaque hoc ipsum est Dei beneficium, & congrua animi submissione erga ipsum profitendum.

Maximè à Magnatibus.

Denique

Deus honorantes se glorificat.

Denique perpendendum illud quod Dominus ait ad Samuelem 1. Reg. 2. quando reiecit Heli, & quod Adrianus VI. cum esset magister Caroli V. illi Principi sepe ingerebat: *Quicumque honorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contempnunt me, erunt ignobiles*: quæ sententia illi magno commodo ad reuerentiam in rebus diuinis, & moderationem submissionemque animi in omni vita præstandam, fuit.

Nota A. Honoris modestiam.

Hæc sunt quæ D. Tuæ putauit insinuanda, ut ea dignetur, præsertim hoc sanctissimo tempore, quando Domini nostri humilitatem & crucem pro nobis toleratam commemoramus, perpendere; & abstinere ab ijs quæ suæ Excellentiæ, neque salutaria, neque honorifica sunt, defendedis. Excipiat illa eo animo, quo dicuntur; meque excuset si forte videar molestus. Vides S. Chryostomum mihi iudicium & condemnationem minantem, si taceam: amor quoque & obseruantia qua suam Excellentiam profequor, me impulerunt. Non monui publicè, ut Chryostomus fieri vult, sed priuatim, magna honoris vestrum omnium habita ratione. Fundamentum autem fuit non paucè vel rarè confabulationes, sed crebræ & ferè assiduæ cum risu, cum vultus in omnem partem conuersione; denique illis modis qui hic maximè à Chryostomo notantur. Non dubito quin Excellentissimus Dominus, si iudicium tuum acceperit, hanc mentem meam sit probaturus; cui omnia prospera, magnifica, & gloriosa voueo: sicut & D. Tuæ salutem & summum bonum.

Confessio tempore Missæ.

CASVS II.

Utrum satisfaciant præcepto Ecclesiæ de audiendo diebus Festis Sacro, qui tempore Missæ consistuntur?

Non videtur in rigore satisfacere.

R Espondeo, Valdè probabile esse, eos, qui tempore Sacri diebus Festis consistuntur, si bonam partem, v.g. tertiam ea in re occupent, ita ut non possint attendere ad sacrificium, in rigore non satisfacere præcepto. Nam requirunt passim Doctores attentionem aliquam ad id, quod geritur in sacrificio; nec admittunt actus huic incompossibiles. Cui attentioni etsi preces Horariæ, & similia non repugnent, præsertim cum illæ etiam ad honorandum sacrificium referri possint; tamen confessio videtur magis repugnare; quia magis mentem absorbet, & alijs affixam tenet, adeo ut de sacrificio vix possis cogitare.

Excusantur in occasione. Per episcopiam.

Omnino tamen videntur excusandi, quibus, ratione negotiorum, vel quia sunt in obsequio aliorum, non est integrum aliud Sacrum audire. Idèq; ex duplici vel triplici capite. Primò, Per *Excusationem*: Si enim legislator esset præuens & omnes circumstantias nosset, non vellet illos obligare. Nã haud dubiè mauult Summus Pontifex illos tali modo Sacro interesse, cum tanto fructu spiritali, quem ex confessione percipiunt, quam sine illo fructu perfectius ad sacrificium Missæ attendere.

Per consuetudinem legitimè præscriptam.

Secundò, Per consuetudinem legitimè præscriptam: Hæc enim sicut potest legem aliquam abrogare, ita multò facilius potest moderari eius obseruationem; ut patet ex Cap. Finali. de Consuet. Vbiq; autè in Belgio est consuetudo, ut illi, qui sub Sacro consistuntur, nec diutiùs manere possunt, ad aliud Sacrum non censeantur obligati. Quam consuetudinem puto etiam alibi vigere, etiq; ma-

ximè rationi consentanea, & secundum mentem Ecclesiæ. Ad præscriptionem huius consuetudinis sufficere existimo decem annos: quia non agitur contra ius alicuius Ecclesiæ, sed solum contra legem. Et quamuis quis contenderet quadraginta annos esse necessarios, illi faciliè inuenientur: nam consuetudo consistendi diutiùs in Belgio floruit.

Propter lucrum spirituale.

Tertiò, Ratione lucris spiritualis, quo alioquin priuarentur. Si enim ob notabile commodum temporale licitum est etiam à Sacro abesse, si alia ratione id obtineri nequit, ut omnes fatentur, cur ob ingens lucrum animæ, quod alia ratione consequi moraliter non potes, non liceret tibi imperfecto illo modo Sacrum audire?

Quæ attentio sufficit in Missa.

Addo, Ad satisfaciendum præcepto absolute, non opus esse audire verba, aut videre sacrificantem; sed sufficere ut intersit cum reuerentia, ut sacrificium suæ præsentia honoret. Vnde sufficit attentio quædam confusa, quæ aduertat ibi sacrificium offerri, ut docet Ioannes Medina Cod. de Confess. qu. 44: quæ attentio videtur stare posse cum actu consistendi, præsertim si ille actus dirigatur ad participandum sacrificio: Tunc enim intendere illi actui, est implicite intendere ipsi sacrificio & illud honorare.

Denique sicut præceptum de abstinendo ab opere seruilis die Festo non prohibet opera recreationis, vel alicuius necessitatis temporalis; ita præceptum audiendi Sacri non prohibet exercitiu orationis, aut alterius operis spiritualis. Ita Medina supra.

Ex quibus satis probabile iudico etiam eos non teneri ad aliud Sacrum audiendum, quibus sat temporis suppeditat, si bonam saltem partem extra confessionem audierint, ac proinde sub peccato mortali non cogendos tanquam obstrictos, sed hortandos tanquam ad id, quod tutius est, & decentius.

Probabile est tales excusari ab audiendo alio Sacro, etsi possint audire.

CASVS III.

Utrum eidem præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro satisfaciant Collectores elemosinarum, qui vsque ad Offertorium obeunt?

Collectio elemosinarum tempore Missæ.

R Espondeo, Videtur satisfacere: excusat enim illos Collectores elemosinarum qui vsque ad Offertorium obeunt, Primò, Lex æquitatis seu epikia. Secundò, Consuetudo præscripta. Tertiò, Vtilitas temporalis pauperum, quæ alia ratione non videtur posse obtineri. Denique quia est opus tale cum quo possit stare attentio confusa.

CASVS IV.

Institor quidam assidue ad pagos & oppidula vicina excurrit diebus Dominicis quando ibi est dedicatio, ut vendat suas reculas: quod fit ut raro audiat Sacrum. Vixit ex hac industria, nec habet famulum, aut alium, cui res suas committat.

Institor raro audiens Sacrum die Festo.

Q. VÆRITVR, An talis possit absolui?

R Espondeo, Talem absolui posse, præsertim si alia ratio illi non suppetat victum cõquirendi, & sustentandi familiam; nec, adhibita diligentia, possit interesse Sacro absque notabili iacturâ lucris, vel periculo mercium &c. quâ in re potest illi fides adhiberi, si alioquin non est suspectus de heresi, vel contemptu; aut paruipensione rerum sacrarum.

Ita

¹² Ita tamen putarem hac in re illi indulgendum esse, vt promittat se die sabbati vel feriâ sextâ, vel alio commo-
*Audiat sa-
 erum aliâ
 feriâ.* modo tempore Sacrum auditorum: vt damnum illud spirituale quodammodo farciat. Potest enim hoc illi Confessarius imponere: quia videtur ad bonum, ipsius spirituale aliquo modo necessarium, ne omnino siluescat, &c.

CASVS V.

Obliga-
tio ad
Missam
quotidie
celebran-
dam.

Sacellanus quidam admisit Legatum, quo obligatur in certo Sacello peragere officium diuinum quoties saluâ honestate ac debitâ deuotione poterit.

QVÆRITVR Primò, An hic Sacellanus teneatur quotidie celebrare; & semper offerre pro defuncto?

QVÆRITVR Secundò, An nunquam possit abesse quin alium in isto Sacello celebrantem substituât?

QVÆRITVR Tertio, An possit simul admittere in alio templo beneficium Parochiale?

¹³ Absolutè
non tene-
tur quoti-
die celebra-
re.

AD Primum: Respondeo, Illum Sacellanum nõ teneri absolutè quotidie celebrare (quia tale onus ei imponi non potest, vt patet ex Cap. Significatum, de Præbendis) sed quoties saluâ honestate ac debitâ deuotione poterit, vt patet ex litteris institutionis. Sic enim explicandam esse dispositionem quotidianæ celebrationis declarat dictum Capit. Significatum, supra. Quod si saluâ honestate & debitâ deuotione possit quotidie, tenetur quotidie; nisi consuetudo recepta, vel auctoritas legitima aliquid hac in re mitigauerit, præsertim si præbenda sit tenuis.

Tenetur,
si possit.

Explica-
tio clausu-
la hic adie-
ctæ.

Quid autem sibi velit illa clausula, quoties saluâ honestate ac debitâ deuotione poterit, explicat Panormitanus in dictum Cap. Significatum, quem sequitur Siluester V. Missa 1. §. 7. in fine, & alij. Declaratur aliquot exemplis: Primò, Si quis passus sit pollutionem præsertim ex culpa, & etiam si absq; culpa, & remaneat adhuc in animo aliqua imaginatio &c. Secundò, Si graui aliqua passione, v. g. iræ vel tristitiæ correptus, non possit facile animum componere. Tertio, Si corpore non sit benè affecto, vel sentiat tedium quoddam, quod non possit facilè excurrere. Quarto, Si sentiat cruditates stomachi, quales ex crapula & cõuiuijs interdum relinquij solent. Quintò denique, quando ita est affectus, vt non videatur sibi posse tantum munus cum debitâ deuotione & attentione obire.

Non tene-
tur offerre
pro defun-
cto.

Tenetur quidem orare pro defuncto Fundatore; non tamen tenetur fructum sacrificij primarij ei semper applicare; quia Fundator id non expressit. Vnde potest etiam ab alijs subinde stipendium sustentationis pro Missis suis accipere.

¹⁴ Potest sub-
inde à sa-
cello abesse.

Ad Secundum: Respondeo, Potest abesse ob iustam causam, sicut possunt alij Sacellani, v. g. ob primitias consanguinei, vel peregrinationem ad B. Virginem Gratiæ &c. Neque tenetur tunc aliũ substituere, sed sufficit vt faciat Sacra in loco vbi erit: Solum enim obligatur in suo Sacello celebrare quoties saluâ honestate, & debitâ deuotione poterit: quibus verbis non intendit Fundator illi omnem peregrinationem, & visitationem amicum prohibere: sed solum illum obligat vt quan-

do est in oppido, nec habet iustam causam se absentandi, nec aliquid interuenit quod suadeat sacrificium omittere, tunc in illo sacello celebrer. Idem cernitur passim in alijs beneficijs; & etiam in Pastoratibus, qui maximè assiduam residentiam requirunt. Nimis rigida & inhumana esset contraria interpretatio.

Capellanus non tenetur aliũ substituere quando ipse legitime impeditur, si institutio seu fundatio beneficij ita facta est vt ipsius personam directè respiciat; vt cũ dicitur, Volumus vt ipse quotiescumque poterit &c. ibi celebrer. Si autem referatur immediatè ad ipsum officium, vt si dicatur, Volumus vt ibi quotidie celebrerur &c. tunc tenetur alium substituere. Ita Panor. in dictum Cap. Significatum.

Neque tñs
tenetur
alium sub-
stituere.

Ad Tertium: Respondeo, Cùm ista Capella residentiam personalem requirat, non compatitur Pastoratum, nisi ita sit vicinus vt vtrique possit deferuire. Quod videtur difficile, quia non solùm ad Missam in capella, sed etiam ad chorum adstringitur. Causa studiorum potest absentia aliquot annorum vti, quo tempore ex Episcopi dispensatione poterit facere sacra in loco studiorum, nullo alio substituto. Potest enim Episcopus in huiusmodi circumstantijs ad tempus dispensare, præsertim ijs quorum interest (qui sunt in hoc casu Domini de Capitulo) consentientibus.

¹⁵ Hac Capel-
la non com-
patitur be-
neficium
Parochiale

CASVS VI.

Beneficiarius necdum Sacerdos, per duodecim annos quibus beneficium suum obtinuit, non recepit ex eo, detractis expensis necessarijs, nisi sexcentos florenos; ac proinde pauca Sacra, cum tamen ad quotidiana teneretur, fieri curauit.

Sacrorũ
obligato-
rum mo-
deratio.

QVÆRITVR, Per quem, & qualis Sacrorum moderatio erit faciendâ?

Respondeo, Multorum Doctorem sententia est, eum qui obligatur ad Sacrificium quotidie offerendum, posse vel ab vno vel à pluribus accipere quantum necessarium est ad sustentationem. Sic Melchior Canus lib. 12. de Locis. c. 13. ad 10. Omnis opinio, inquit, in hoc consentiat necesse est, Sacerdotem, siue pro paucis, siue pro multis celebret, cibum vitæ necessarium experere suo iure posse; quem, si vnus non dederit, nulli facit iniuriam si experierit a pluribus. Idem docet Sotus lib. 9. de Iustit. qu. 3. art. 1. sub finem, Petrus Aragon. pag. 679. de Iustit. & alij multi. Hęc sententia, etsi fortè contraria sit verior, non est improbabilis.

¹⁶ Pro sacrificio licet accipere ab vno vel pluribus quantum necessarium est ad sustentationem.

Vnde sequitur, Eum qui habet beneficium, ratione cuius tenetur quotidie celebrare, non obligari integrè numerum explere, nisi recipiat quantum à aliquo modo sufficit ad sustentationem.

¹⁷

Quare cùm Beneficiarius ille, de quo quaritur, dicat se duodecim annis, quibus obtinuit beneficium, non recepisse, detractis expensis necessarijs, nisi sexcentos florenos in vniuersum; & quotannis curasse dici duo Sacra: non videtur cogendus vt integrum numerum Sacrorum præstet. Fructus enim computandi sunt detractis expensis, vt passim Doctores docent; qui non fuerunt villo modo sufficientes ad sustentationem vel tenuissimam; nam non nisi quinquaginta floreni in singulos annos cedunt.

Potest in hoc casu fieri moderatio.

18
Ab Episcopo.

Itaque non dubito quin Episcopus possit ei facere etiam in maioribus causis & publicis; vt insinuat Cap. *Placuit*, de Constitutionibus: vbi Glossa dicit imminutis redditibus posse auctoritate Episcopi diminui numerum ministrorum, quod longè maius est, ac proinde, multoque magis numerum Missarum. Et Concilium Trident. sess. 25. cap. 4. de Reform. permittit Episcopis vt restringant numerum Missarum, quando est ita magnus, vt nequeat eis satisfieri, vel eleemosynæ ita tenues, vt non facile inueniantur, qui huic se muneri velint subijcere.

Extra Synodum.

Hic tamen non est opus vt moderatio fiat in Synodo Diocesana: nam Capitulum, *Placuit*. hoc non requirit: neq; Concilium Tridentinum loco citato ad id obligat, præsertim cum hæc res sit occulta, priuata, concernens peccatum.

19
Qualis moderatio.

Abundè autem satisfactum videri poterit, si pro sex annis prioribus adhuc vnum Sacrum in singulas hebdomadas curet fieri, id est, trecenta duodecim; & pro sex posterioribus in singulas hebdomadas duo, id est, sexcenta viginti quatuor. Saluo in omnibus meliori iudicio.

CASVS VII.

Missæ Epileptici.

Sacerdos sit Epilepticus: sed ante lapsum solet id præsentificare.

QVÆRITVR, An possit illi permitti celebratio? & An celebrando peccet?

20
Iudicium morbi spectat medicos.

Respondeo Primò, Medicorum est determinare qua specie morbi quis laboret, & an sit periculum relapsus; non autem an possit celebrare: hæc enim quæstio supposito & audito Medicorum iudicio, ex Iure Canonico est resoluenda; quod statuit, ne Energumeni, Epileptici, & furiosi possint ordinari, aut etiam in ordine accepto ministrare, nisi cum certis limitationibus; vt patet 33. dist. Cap. *Communiter*, & duobus sequentibus. & 7. q. 2. per totum.

Non licet, nisi solent lapsum præsentificare.

Respondeo Secundò, Etsi solet lapsum præsentificare, non tamen est illi permittenda celebratio. Ita enim aperte scribit Alexander I I. Cap. *In litteris*, 7. qu. 2. *Vt is qui frequenter morbo caduco tangitur, ab oblatione, & Missarum celebratione omnibus modis prohibeatur.* Et Gelasius, Cap. *Nuper*, ibidem: *Si aliquando, inquit, in domo vel in processione, vel in alio quocumque loco præterit repente collapsus, vocesque dedisse confusas, & spumas ore iactasse. Nec refert quòd dicatur repente collapsus, quasi non comprehenderentur qui præsentiant lapsum futurum: tum, quia DD. huius exceptionis non meminerunt; tum, quia commune est omnibus cadere repente, quando morbus inuadit; tum, quia alij Canones non habent illam particulam.* Idem patet ex Cap. *Illud*, 7. q. 1. in fine.

12
Debet esse perfectè curatus.

Respondeo Tertio, Non potest illi permitti celebratio, nisi ita curetur, vt nunquam putetur sic casurus. Vt patet ex Canonibus citatis, & docent passim DD. Neque sufficit quòd raro putetur casurus, aut raro cadat; si id fiat cum spuma, aut vocis confusione, similibusque signis horrorem incutientibus, vt colligitur ex Gelasio: & docet Nauarrus cap. 27. nu. 203. ceterisque DD. Si verò fiat raro & sine signis horroris, tunc potest ei permitti celebratio, modò adfit ei socius, qui iuuet & suppleat, si quid aduersi contigerit.

Colligitur ex eodem Cap. *Nuper*. & Cap. *Illud*. & docet expressè Siluester V. *Corpore viriatu*, sub finem. Angelus eodem Verbo num. 7. Nauarrus supra, &c.

Respondeo Quarto, Sacerdos post illa symptomata celebrans, siue sæpè siue raro, peccat mortiferè toties quoties id facit: quia contra grauissimos Ecclesiæ Canones, & in irregularitate id facit. Nisi excusetur per ignorantiam, vt sæpè fit. Similiter peccat Superior qui permittit, nisi ignorantia excuset: nullam tamen censuram tunc incurrunt.

Celebrans peccat mortaliter.

MONETA.
CASVS I.

Vtrum Mercatores possint maiori pretio certas pecunias expendere, quam passim valeant, & ipsi acceperint?

Valor Monetae.

Respondeo, Si inter mercatores iam vsu receptum est, vt certas species monetae aureæ vel argenteæ maiori pretio expendant, quàm legitimum; non puto illis mouendum scrupulum, etiam si ipsi ab alijs, qui non sunt mercatores, inferiore pretio, quod lege præscribitur, illas species acceperint. Legem illam, quæ id prohibet in genere, sentio esse merè poenalem; præsertim quando iam vsus contrarium obtinet, & creditor libenter eo pretio accipit. Omitto alia multa quæ hic dici possent; vt, quòd in vicinis regnis illud pretium vigeat. Quo casu difficile est intelligere quomodo illa lex bono communi feruiat, &c.

1

CASVS II.

Princeps statuit legè, quæ sub graui poenâ pecuniaria prohibet, ne certa species monetae expendantur siue dando, siue accipiendo, supra pretium à se taxatum. Hac lex, quia subditi grauissimum ex ea damnù sentiunt, non seruatur in multis ciuitatibus: unde etiam alia his vicina non seruant.

Inquisitio & poenitio circa valorem monetae.

QVÆRITVR, Vtrum Officiales Principis possint inquirere in mercatores, de quibus in particulari non est fama quòd legem violent, minus & fraudibus agendo cum rusticis & alijs hominibus simplicioribus, qui cum illis mercatoribus contraxerunt, vt extorqueant ab illis quas species monetae, & quo pretio acceperint, &c. & ex huiusmodi extortâ confessione punire & ipsos rusticos &c. & mercatores, infligendo multam lege constitutam; maxime cum ex huiusmodi punitione grauis sequatur perturbatio ciuitatis, mercatoribus cum suis mercibus aliò se transferentibus?

Respondeo, & Dico Primò, Certum est non esse mentem optimi Principis, & subditorum suorum amantissimi, vt sui Officiales, & eorum ministri, hoc modo aduersus subditos procedant. Cuius rei satis multa indicia dedit, cum ostendit sibi quorundam rigorem valde displicere, & mentem suam esse, vt lex illa in vsum deducatur quantum commodè fieri posset, absque subditorum perturbatione. Vnde est contra mentem eius, vt cum

Quæ mens sit boni Principis circa legem poenaliu obseruationem.

tam

ram graui perturbatione & damno subditoru lex illa introducat. Lex enim vt iusta fit, debet esse vtilis bono publico, & consentanea populi moribus: Can. *Lex erit*, dist. 4. vnde si est damnoſa bono publico, vel perturbatiua tranquillitatis publicæ, est iniqua; vt omnes Theol. & Canonistæ tradit.

Dico Secundò, Iudices seu Officiales Principis non possunt in particulari aduersus aliquem inquirere, nisi præcedente infamia, vel saltem præuis aliquibus indicij. Ita docent omnes Theologi & Canonistæ; & expressè definitum est Capitulo Inquisitionis. §. *Tertio*, de Accusat. & Cap. *Qualiter*, a. eodem titulo. Quæ doctrina maximè locū habet quando proceditur nō ad mali impendentis amolitionem, v.g. ad proditionem, vel incendia, vel homicidia auertenda: sed ad punitionem delicti, seu ad pœnam siue corporalem siue pecuniariam infligendā. Tunc enim omnium Doctoru sententiā Iudex nō potest ex seipso incipere inquisitionem, sed semper debet aliquid præcedere quod inquisitioni viam aperiat, & Iudicem quodāmodò cogat vt ex officio procedat, v.g. notitia publica, infamia, querela partis, vel quid simile: alioqui totus processus est iure nullus, & ipse tenetur ad restitutionem damni secuti: quia contra Iuris ordinem procedendo, fuit alteri causa damni. Docet hoc optimè doctissimus Iureconsultus Iulius Clarus Præses olim Concilij Regij Mediolani lib. 5. c. 5. Præct. criminal. ita scribens: *Scias, quod in quocumque casu, in quo Iudex, siue de iure communi, siue de iure statutario, siue ex consuetudine potest procedere ex officio, & sic per viam inquisitionis, nunquam debet, neque potest à seipso procedere ad inquirendum, siue ad assumendas informationes vel indicia specialiter contra aliquem, nisi aliquid præcedat, quod aperiat viam inquisitioni; videlicet diffamatio, vel querela partis, vel denuntiatio, vel huiusmodi. Aliter processus esset ipso iure nullus, etiamsi delictū fuisset de iure plene probatum. Et memini ego quod fuit grauius reprehensus Prætor Vallis Sicilæ, qui processerat contra quendam de incestu, quod propriam filiam carnaliter cognouisset, nulla præcedente querela vel denuntiatione; & ambo fuerint absoluti, 9. Nou. 1560. Hæc ille, & alia multa in eadem sententiam. Ex quibus patet iniustum esse tale iudicium: ac proinde Iudicem teneri ad restitutionem.*

MONIALIS. CASVS I.

In quodā monasterio feminarum iussu Superiorum inducenda est clausura. Consentiant omnes Moniales ad chorum deputate. Refragatur dua Conuersa, volentes habere libertatē exeundi. Primò, quia valdè senes, nec illarū castitati periculum. Secundò, quia coactè videntur professæ. Tertio, quia cū profiterentur, non erat clausura, nec ad eā se obstringerunt. **QVAERITVR, An saltem per hoc illis indulgeri?**

Respondeo negatiuè. Ratio est, quia *Epistola* locum non habet, quando constat legislatorē etiam illū casum velle sua lege comprehendere; & legem, vt sonat, feruari. Atqui Conc. Trident. & Pius V. ita propomunt suam legem, vt manifestum sit, eos velle, etiam hoc casu, legem suam feruari: ac proinde manifestum est illas non posse per Epistolam à lege cōmuni eximi. Imò vt hoc mo-

do possit quis excusari, moraliter certū esse debet mentem legislatoris esse, vt ille casus non comprehendatur. At hīc tantum abest vt hoc moraliter certum sit, vt potius contrarium sit certū. Expendantur verba Concilij Trid. sess. 25. c. 5. de Regul. vbi vniuersis Episcopis grauissimis verbis præcipitur, vt in omnibus monasterijs Monialiu introducāt clausuram &c. deinde addit: *Nemini sanctorum licet post professionē exire monasterio, etiam ad breue tempus, quocumque prætextu &c.* Et Pius V. in Cōstitut. quæ incipit *Circa Pastoralis*, renouat decretum Concilij, & declarat etiam Conuersas ad clausuram teneri, etiamsi aliās ex instituto vel regula non tenerentur, & quamuis in monasterio nunquā clausura seruata fuisset &c. Et in Cōstitut. quæ incipit *Decoris*, seuerè prohibet exitum Monialium, etiā Conuersarū è monasterio, exceptis certis casibus ibidem expressis. Ex quibus ritè ponderatis, manifestum est mentem ipsius & Concilij fuisse, etiam tales Conuersas comprehendere.

Nec obstant rationes pro illis allatæ. Ad Primā: Quia etsi in ipsis non videatur periculum incontinentiæ ob ætatem, & ita videatur in ipsis cessare ratio legis; tamen pertinet ad decetū Religionis, vt non egrediantur, nec versentur cū secularibus: & ita nō cessat tota ratio legis, sed solum ex parte. Deinde, vt lex in particulari nō obliget aliquem, non satis est quod in ipso cesset ratio legis; sed requiritur vt vel cesset in communi: vel huic in particulari, si seruet legem, obuenturū sit aliquid contra intentionem legislatoris; vt communiter docent Doctores: quod hīc non accidit.

Ad Secundam: Etsi prior harum Conuersarum videatur coactè professæ, tamen sponte manendo tanto tempore, censetur liberè confensisse & ratificasse suam professionem. Nec obstat quod metu ignominie apud seculares non fuerit ausu egredi: hoc enim non facit inualidam ratificationem. Deinde, si volebat esse libera, debebat reclamare intra quinquennium à professione: quod cū non fecerit, non est audienda, vt statuit Concil. Trid. sess. 25. c. 19. sed præsumenda est verè esse religiosa. Idem & potior ratione dicendum de altera; quia vexatio amitæ non facit inualidam professionem, quando nō eo fine fuit illata, vt ipsa sic cogereetur ingredi Religionē. Innumeri sunt qui ingrediuntur Religionē, vt molestias suorū parentum vel amicorū euadant; quorū tamen professio valida est.

Ad Tertiam: Concilium & Pontifices id non curant; vt patet ex Cōstitutione Pij V. iam citata. Ecclesia enim iudicauit vniuersim id statuendum tanquam necessarium ad seruandum votum castitatis, & decorum illius status in feminis.

Itaque fortiter & suauiter puto illas inducendas vt patiantur se cum alijs includi. Primò, Quia hæc est voluntas Ecclesiæ, quam constat regi à Spiritu sancto; ac proinde est voluntas Spiritus sancti: vnde resistere huic ordinationi, est resistere Spiritui S. Qui autem Spiritus S. resistit, hic sibi damnationem accersit: hic non est Filius Dei, quia Spiritum Dei nō habet: ac proinde non erit hæres regni. Secundò, Quia cū sint seniores & breui moritura; & Deo reddituræ rationem totius vitæ, debent alijs dare exemplū humilitatis & obedientiæ: multo minus sorores suas scādalizare sua duritie & obstinatione, sicut facient, si pergant refragari. Tertio, Si habent verum spiritū Religionis, debent abhorreere à cōuersatione secularium, & sponte optare clausuram.

T iij Nolendø

3 Quid requiratur ut Iudex possit in particulari in aliquem inquirere.

Iulius Clarus.

Iulius Clarus.

Alioquin processus est ipso iure nullus.

Clausura.

4 Quando Epistola locum non habent.

Soluuntur Rationes.

Quando nam censenda sit ratio legis cessare.

Metu ignominie & vexatio non inuincunt coactionem.

7 Licet clausuram non uouerint, reuertuntur ad clausuram.

8 Rationes quibus auctori possent ad suscipiendam clausuram.

Nolendo illam admittere ostendunt se non habere spiritum Religionis, sed sæcularem: ac proinde metuendum ne etiam non accipiant Religionis præmium. Denique ut cogitent breui reddendam Deo rationem, & conentur saltem in fine vitæ se excitare ad ea quæ sunt perfectionis. Hæ & similes rationes illis proponi poterunt, quibus inducantur ad consentiendum clausuræ. Quod si permaneant obstinatæ, poterit etiam aliqua vis adhiberi. Ea planè est mens Concilij & Summorum Pontificum.

Fuga è monasterio ut castitati cõsulatur.

CASVS II.

Caia monialis non potest se expedire à turpi consuetudine sui Confessarij.

QVÆRITVR, *An possit in habitu seculari surgere ad aliam Prouinciam, ut ibi in alio Ordine de nouo recipiatur?*

9 **R**espondeo, Positis illis circumstantijs, quas R. V. commemorat, ut monialis illa non possit manendo in illo loco se expedire à turpi consuetudine sui Confessarij, non putarem prohibendam ei fugam, etiam in habitu seculari, ad aliam Prouinciam, ut ibi de nouo recipiatur, etiam si sit alterius Ordinis. Cessant enim omnia vincula humana, & proprio arbitrio inducuntur, quando ex illorum obseruatione sequeretur pernicietas animæ, & iactura salutis: nec aliud remedium moraliter est possibile.

Admissio deflorata.

CASVS III.

Puella quadam clanculum deflorata petit admitti in monasterium.

QVÆRITVR Primò, *Virum Monialis huius conscia possit ei dare suum suffragium?*

QVÆRITVR Secundò, *An, hoc vitio celato, sit valitura professio, si, illo cognito, non fuisset admittenda?*

10 **A**d Primam: Respondeo, Non videtur ista Monialis teneri in conscientia negare suum suffragium, cum illud puella recipiendæ vitium occultum sit, nec videatur notabile incommodum inde prouenturum monasterio, & metuendum sit ne illa puella incurrat aliquam infamiam.

Vtrum autem expediat alia ratione impedire eius ingressum, iudicandum ex circumstantijs. Si putaretur expedire, posset illa Monialis dare operam, ut illi puellæ priuatim loquatur, quo obtento, poterit illam monere ne pergat virgere ingressum, & indicare quid de illa cognouerit. Posset etiam sub secreto insinuari Abbatissæ, si opus videbitur. Si tamen puella præclaras habeat dotes, quibus illa labes compensetur, melius fortè esset omnia dissimulare, & ipsi suffragium dare.

11 Carentia virginitas non irritat professionem.

Ad Secundam: Respondeo, Certum est professionem valere quando impedimentum non est essentialiale; etiam si Superior & Conuentus ita affectus sit habitu vel actu, ut si sciret tale impedimentum (ut est in præsentis casu defectus virginitatis) nullo modo personam veller admittere: Idem cernitur in contractu matrimonij. Ille enim affectus non influit in actum, nec facit actum admissionis conditionalè, sed merè per accidens, & concomitanter se habet. In contractibus tamen

qui partium consensu solubiles sunt (quales sunt illi qui à R. V. adferuntur) licitum est ei qui sic deceptus est, soluere contractum, etiam si solum circa qualitatem rei, quam ipse magni faciebat, deceptus sit: ipse tamen contractus per se non est omnino irritus. Illud tamen locum non habet quando contractus consensu partium solui nõ potest: sicut fit in matrimonio & professione.

Nec obstat quòd ob impedimentum non essentialiale suppressum in examine, aliquando Religiosus possit expelli, (ut si laboret morbo incurabili, præsertim infectiuo aliorum:) quia non idcirco professio vel fuit irrita, vel potest irrita reddi, quia talis manet Religiosus. Carentia tamen virginitatis non est talis defectus, ut persona alioquin idonea, ob illum expelli debeat.

CASVS IV.

An Monialis professa Ordinis S. Benedicti possit per Ordinarij dispensationem transire ad Ordinem Monialium S. Augustini?

Transitus ad aliud Ordinem.

12 **R**espondeo, Si monasterium est subiectum Ordinario, & subest iusta causa, posse, Ita expressè Innocentius, Panormitanus & Glossa in Cap. *Non est dubium.* de Regularibus, Siluester V. Religio 4. q. 2. Nauar. Comment. 4. de Regular. n. 11. Sà V. Religio n. 39. Angelus, V. Religiosus, n. 35.

Ut tamen pacificè fiat, debet accedere consensus Conuentus, ut plerique ex prædictis auctoribus notarunt.

CASVS V.

Catharina Monialis, occupato ab hæreticis suo monasterio, nupsit: & alimenta ab ijs taxata accipit.

Alimenta profugæ & nuptæ, ex bonis monasterij.

QVÆRITVR, *An ea alimenta possit accipere: & ipsa pergere cohabitare viro, a quo, ob eius morbum, toro separata est?*

13 **R**espondeo, Non est magna difficultas in accipienda pensione ab istis hæreticis: quia cum sit verè Religiosa professa, ius habet ut alatur ex bonis monasterij. Itaque alimenta ab hæreticis taxata potest accipere. Etsi enim grauiter peccarit ineundo matrimonium, tamen non idcirco desinit esse professa, nec facta est incapax alimentorum ex monasterij bonis præbendorum. Accedit quòd alioquin illa pensio deuolueretur ad hæreticos.

Verum difficile est videre quo modo possit absolui quædam manet cum marito, cui sacrilegè copulata. Etsi enim non sit periculum incontinentiæ, ut refertur in factò, propter ætatem & herniam mariti, & toro sit separata ab illo; tamen manet ei coniuncta habitatione publicâ, tanquam vxor viro legitimo; & tamen publicè constat ipsam esse monialem: vnde putatur persistere in sacrilegis nuptijs: ac proinde publicè præbet scandalum: quia viuunt cum illo homine hæretico tanquam cum marito. Denique in omnibus rebus domesticis agit cum illo, ut vxor cum marito. Quòd si huic scandalo occurrerit, non putarem ei denegandam absolutionem. Verum non video quid id fieri queat.

14 Vtrum ab soluan da.

MVTVVM

M V T V V M.

C A S V S I.

Lucrum
è mutuo,
titulo
omissa
negotia-
tionis.

*Titius dedit Caio amico suo 100. ut inde lu-
cretur v. g. octo: nam tantum lucrari potuis-
set ex mercimonijs, si ea exercuisset.*

*QVÆRITVR Primò, Vtrum hoc titulo possit
tantum lucrari?*

*QVÆRITVR Secundò, Quid dicendum si
hoscè 100. concesserit mercator? Item si in-
super petuisset affectionem sortis?*

¹
Negatur
sufficere
iste titu-
lus.

AD Primum: Communis sententia Doctorum, quos hæcenus legi, est, ad mutuandam pecuniã cum lucro, v. g. 6. 7. vel 8. in 100. non sufficere, quòd illam eras collaturus in commercia æquè vel magis lucrosa, nisi passim tales mutuatarij sese offerrent. Alioquin posset quis omnem suam pecuniam destinare ad tales mutationes, cum proposito nunquam exercendi mercimonia; quia perpetuò plurimi, qui sic petunt, sese offerunt: nam habet (vt suppono) propositum conditionatum conferendi se ad mercimonia, nisi illa ratio commodior præstò esset, plurimique egenes pecuniã in Repub. reperirentur. Et sic posset excusari qui per totam vitam exercent vsuras semisses, septunces, beses, vbi 6. 7. 8. exiguntur in centum, saluã sorte: quod nemo concesserit.

Ratio.

Ratio est, quia qui absolute statuit non negotiari, suasque rationes ad mutuandum contulit, nõ potest prætere lucrum cessans ex hac vel illa mutatione, quia etiam si ego non petijsem ab eo, nihilominus caruisset lucro negotiationis: iam enim ante meam petitionem statuerat non negotiari. Itaque mea petitio, vel mutatio mihi facta, non est causa cur lucrum ei cesset: non ergo iure à me petit huius lucri compensationem.

²
Requiritur
ut mutua-
tio mihi
facta sit
causa cur
illud lucrũ
negotia-
tionis non
consequa-
ris.

Requiritur itaque vt statuerit negotiari; & vt mutatio mihi facta, sit causa cur lucrum illud negotiationis non consequatur. Quare magni refert, vtrum pecunia sit iam reuera destinata negotiationi, an non: Ratio est, quia pecunia vt subest illi destinationi & industria, pluri valet, quã per se sola: nam qui illam pecuniam alienat, simul industriã suam, quã poterat esse fecunda, perimit: (suppono enim illum non habere aliã, quam huic possit sufficere) & ita non dat nudam pecuniam, sed simul suam industriam sibi detrahit, subductã illius materiã. Cõfirmatur exemplo opificis, quod à D. T. adducitur in contrarium: nam pictor qui statuit deserere artem pictoriam, quã in dies lucrabatur 40, si conferat se ad factoriã non poterit lucrũ exigere sibi cessans ex pictoria dũ vendit calcæos; quia hic vel ille calcæus non fuit causa deserendæ pictoriæ: similiter si deserat vt seruiat alicui nobili in genere, non poterit lucrum cessans prætere, modò huius vel illius seruitium in particulari non sit causa desertionis artis, vel quòd artem pristinam non repetat.

Confirma-
tur exem-
plo.

Deinde, magni æstimant homines mutare designationes lucrosas, & abrumpere propositum; quod sit dum pecunia erat destinata alijs lucris; non autem, si non erat destinata. Nec obstat exemplum opificis quod adducitur: quia id potius apertè fauet si bene applicetur. Si enim ille relinquat operas quæstuosas, vt alteri particulari des-

Magni
æstimatur
mutare
aliterius
gratiã de-
signationes
lucrosas.

seruiat, aliã non deseretur; potest pacisci cum illo de lucro cessante: si autem relinquat absolute vt alicui in genere seruiat, non potest prætere lucrum cessans, quamuis sit eã mente, vt nisi multi egerent obsequijs, vellet repetere artem desitam: iam enim respectu cuiusvis in particulari deseruit artem suam absolute; & nemo in particulari est illi auctor artis & lucri deserendi; quia iam antè id constituerat. Sic qui frumentum sationi paratum, mutatã voluntate statuit non serere, sed vendere; non potest prætere lucrum cessans respectu ementis huius aut illius; quia nulla venditio in particulari est causa lucri cessantis: quamuis enim non vendidisset mihi, tamen non idcò voluisset sementem facere, Fateor tamen, quia venditio mihi facta eripit illi potestatem conuertendi in sementem, si illa fortè erat exitura in actum me non emente, posse hoc æstimari: similiter in locatione operarij. Sicut enim æstimabile est abrumpere propositum negotiationis, ita etiã amittere potestatem, quæ fortassis erat exitura in actum. Sed hoc casu id parui æstimabitur.

Ad Secundum: Concedo, si tradat illos 100. mercatori, intendens actu vel virtute tres illos contractus, de quibus Nauarrus & alij, posse illum sex & amplius in 100. sic lucrari. Censetur autem virtute intendere, quando vel cõsuetudo sic lucrandi ex tali mutatione data est, vel si intendat omnimodo dare & lucrari quo iustè potest: non autem si tantum intendat mutare cum interesse.

³
Mutuum
da Mercat-
tori & luc-
rare.

Quod ad affectionem sortis attinet, qui vult sortem esse saluam, non lucrabitur illa duo supra sex, sicuti argumentum supponit: sed hoc lucrum debet dari alteri, qui spondet securitatem.

⁴
Affectua-
tio sortis
immutat
lucrum.

C A S V S II.

Titius dedit Caio 100. ut post annum, si viuat, restituat 110. Si verò obierit, tantum restituantur 90.

Lucrum
è mutuo,
titulo
eventus
fortuiti.

*QVÆRITVR Primò, Vtrum hic contractus sit
iustus?*

*QVÆRITVR Secundò, Quibusnam titulis
iustificari possit?*

AD Primum: Respondeo, Contractus ille quo Titius dat 100. Caio, vt quotannis recipiat 110. si Caius superstes fuerit, quòd si contingat mori eo anno, 10. detrahantur sorti, non potest iustificari ratione solius eventus fortuiti, quasi contractus sortium; quia par non est conditio contractuum: longè enim verisimilius est Caium illo anno non moriturum, quàm moriturum. Itaque alij tituli debent inuolui & intendi à Titio, & à Caio acceptari. Suppono Titio relinqui ius repetendæ sortis quando voluerit prima monitione vnus vel duorum mensium.

⁴
Hic aucto-
ritas fortui-
tus non ius-
tificat
huic con-
tractum.

Poterit igitur hic contractus iustificari dupliciter: Primò, si intendat triplicem contractum cum mercatore, ei simul coniungens contractum sortium. Possunt enim hi contractus seorsim fieri; vnde etiam possunt fieri simul, si vtraque pars liberè consentiat. Et quidem ratione contractus triplicis cum mercatore poterit lucrari 7. vel 8. in centum, præsertim in Angliã, vbi mercatura viget: reliqua 2. ratione contractus sortium. Satis enim videtur æqua conditio, si lucrum duorum opponatur amissioni 10. Sicut enim 10. respectu

⁵
Ibidem
iustificandũ
hunc con-
tractum.

T iij duorum

duorum habet proportionem quintupli; ita certitudo vita facile superat quintuplum certitudinis mortis Caij intra illum annum. Sed malim hunc contractum fortium relinqui, & solum iniri triplicem cum mercatore, qui ubique receptus est; & in Anglia facile dabit 8. in 100. Si tamen velint illum adiungere ut lucrentur 10. non videtur prohibendum. Debent tamen moneri ut omnes titulos supradictos intendant.

6. Secundo potest excusari si intendant emere censum utrimque redimibilem; & simul adiungant contractum fortium. Videndum quanti valeant ibi census personales vel reales solum redimibiles ex parte venditoris. Nam is qui ex parte utriusque redimibilis est, debet plus emi; & consequenter minor percipietur pensio quotannis: V. g. si census redimibilis ex parte solius venditoris dat 6. & vnam quartam in 100. is qui utrimque redimibilis est dabit solum 5. in 100. Si ille dat 8. hic solum dabit 6. & vnam secundam. De quo vide si placet c. 22. de iustitia, dubit. 10.

2, Modus iustificandi hunc contractum.

Lucrum, & mutuo, titulo assignationis: Periculi fortis: Solutio carentia pecuniae.

CASVS III.

Franciscus Mercator dedit Titio 100. ut post mensem ei in assignatione vel chirographo soluat 101.

QVÆRITVR Primò, Vtrum ei licitum sit ita mutuae?

QVÆRITVR Secundò, Vtrum possit habere rationem periculi fortis?

QVÆRITVR Tertiò, Vtrum in mutuo habere possit rationem solius carentia pecuniae?

7. Contractus hic videtur in ius.

AD Primum: Supposito fundamento Francisci, 100. in presenti tanti valere hoc tempore communi mercatorum estimatione, quanti 101. in assignationibus & chirographis post mensem soluendis; non video cur iniustus cenferi possit iste contractus, quo Franciscus dat Petro 100. in presenti, pro assignationibus & 101. vel nunc vel post mensem ei exhibendis, & post mensem primum soluendis.

8. Sufficit vnum in 100. accipere per mensem.

Non facile tamen concesserim posse amplius quam vnum in 100. accipere per mensem. Nam praeterquam quod ista sint usurae centesima, quae veteribus semper valde magna sunt visa; prohibitum est per constitutionem Caroli V. ne possint amplius quam 12. in centum per annum exigere, etiam si praeponderent maius interesse. Si contra fiat, puto posse addici fisco cum noua multa transgressori imponenda; ita enim solet fieri in similibus.

9. Constitutio Caroli V.

8. Quomodo haberi possit ratio periculi.

AD Secundum: Quod ad periculum fortis attinet, sentio hunc titulum saepe esse considerabilem, quando status eius quocum agitur, non est satis periclitus, vel habetur aliquo modo suspectus. Audio tamen saepe rem adeo esse securam, ut vix vno regali in 100. aureos aestimetur per mensem, vel etiam nullius omnino sit pretij; quia non maius periculum est, quam si pecunia maneret in cista mutuantis. Non dubito quin tantum ex hoc titulo Franciscus possit petere, alijs titulis sepositis, (si tamen mercatores in taxando pretio carentiae, nullam rationem habent periculi,) quantum ipse veller alteri dare, qui hoc periculum pra-

staret, vel quantum iudicio prudentium aestimatur.

Ad Tertium: De fundamento Francisci possitne esse verum, seposito omni interesse lucri cessantis vel periculi fortis, dubitari potest: nam Doctores non videntur agnoscere alios titulos, ratione quorum praesens pecunia plus possit aestimari, quam abens tempore. Puto tamen verum esse posse: non quod praesens pecunia plus aestimetur quam assignatio, cum plerumque mercatores non nisi per assignationes solvere soleant; sed propter absentiam pecuniae: etsi absentia per mensem tantum, non tanti soleat aestimari; cum non soleat dari ad vnum tantum mensem, sed ad minimum ad duos vel tres.

Via excusandi ab usura solae carentiam pecuniae.

Ratio ergo cur putem verum esse posse, est, Tu quia Caietanus cum quibusdam alijs, quos secutus sum, sentit posse chirographa post aliquot menses soluenda emi minoris, etiam si omnino sint securae. Tum quia puto communitatem mercatorum posse imponere certam estimationem carentiae pecuniae per mensem vel annum. Cum enim fere semper haec carentia habeat aliquid incommodi in plerisque mercatoribus, praesertim vigentibus cambijs, ne quisque pro suo arbitratu hoc aestimaret, sicque supra id quod iustum est, peteret in mutuo; potuerunt mercatores boni communis causa id aestimare & taxare, illique carentiae veluti pretium imponere; quod poterit exigi etiam ab ijs, qui re ipsa nihil ex illa carentia incommodi sentiunt; eo quod sit instar pretij illius iuste taxati: Sicut per traiectionem pecuniae tuae possum accipere pretium (etiam si mihi non sit incommoda, imò quamuis sit alijs commodissima) quia communi estimatione potuit à mercatoribus haec traiectio taxari: quae taxatio ab omnibus seruanda. Quid enim obstat cur ad vitanda incommoda maiora non potuerint aestimare carentiam pecuniae, per vnum, duos, tres, quatuor, quinque menses, vel per annum, etiam si quibusdam haec carentia nihil adferat incommodi? Sufficit enim ut plerisque incommoda sit, ut communis aliqua aestimatio ei possit imponi. Hoc fundamento, addito altero de periculo fortis, puto speculatiuè multos Bursa Antuerpiensis contractus posse defendi; sed non facile ausim haec ad praxim deducere; quia nullum auctorem inuenio suffragantem. Non tamen velim cogere ad restitutionem post factum.

Mercatorum res impo- re possunt estimationem carentiam pecuniae.

CASVS IV.

Tutor pecuniam pupilli deposuit apud quempiam non constituto reditu, cum pacto restituendi pecunias, quando pupillus opus haberet, & interim solueret 6. & vnam quartam in 100.

Lucrum ex mutuo cum pacto recipiendi fortem.

QVÆRITVR, Vtrum ibi sit usura?

Respondeo, Etsi secundum iuris rigorem censetur usura, & ideo Rex prohibuerit, ut à quodam perito audiui: tamen probabile est, id quod ante regium interdictum factum est bonae fide, non esse restituendum. Ratio est, quia credibile est, hanc consuetudinem ortam esse vel ratione lucri, quod ordinariè cessat; vel ex contractu triplici cum mercatore. Itaque saltem implicitè censetur aliquis talis titulus intendi in huius-

10

modi

modi depositionibus. Vide plura apud Valentiam. Videtur tamen 6. & vna quarta in centum esse nimium. Valentia solum permittit 5. in 100: Si tamen cum mercatore contrahas per tres contractus explicitos, vel implicitos, potes exigere 6. & vnam quartam in centum; imò interdum 7. & 8. prout negotiatio est lucrosior.

Mutuare
absque
potentia
soluendi.

CASVS V.

Virgines quadam communiter viuentes se debitis supra vires onerant, & valde probabiliter credunt se non posse soluere.

QVÆRITVR Primo, *Utrum possint pecuniam mutuam, vel ad censum accipere?*

QVÆRITVR Secundo, *An Officiales, vel alia, quæ sciunt statum illam Congregationis, possint mutuum petere, etiamsi Superior id eis committat?*

QVÆRITVR Tertio, *An Confessarius hæc omnia manifestè intelligens, & videns periculum scandali impendentis, teneatur monere eas quæ præsumunt, ne in posterum eo in statu mutuum accipiant?*

AD Primum: Respondeo, Certum est virgines illas, quæ debitis supra vires se onerant, & sciunt, vel etiam valde probabiliter credunt, se non posse soluere; non posse pecuniam mutuam vel ad censum accipere: hoc enim æquivaleret furto. Vnde non licitum est nisi in eo casu, in quo liceret occultè & more furum accipere.

Ad Secundum: Respondeo, Officiales, vel alia, quæ sciunt statum illum & particularia, ob quæ credunt, vel credere debent Conuentum non fore soluendo, non possunt mutuum petere, etiamsi Superior id eis committat: quia non est licitum furari. Iuniores quæ ignorant statum rerum, & putant breui media suppeditanda, possunt de præteritis excusari per ignorantiam à peccato. In posterum tamen est illis insinuandum ne faciant, nisi verè spes asilugeat. Superiores fortè in peccatis excusari à culpa possunt, quod omnino certò sibi persuaserint successura ex voto quæ proposuerat. Verùm in posterum non possunt excusari, cum prudentibus rerum æstimatoribus, videatur illud fundamentum non successurum.

Ad Tertium: Respondeo, Confessarius hæc omnia manifestè intelligens, & videns periculum scandali impendentis, teneatur monere eas quæ præsumunt, ne in posterum mutuum accipiant, nisi illis certa vel valde probabilis ratio suppetat suo tempore soluendi: & nisi velint obtemperare, debet illis negare absolutionem. Quia absque mortifero peccato non possunt id facere, vnde & græue damnum proximo, & publicum scandalum nascetur. Exponant necessitates suas Principi, Episcopo, Prælati, & viris primarijs, vt dignentur succurrere, ne cogantur suam congregationem dissoluere, & opus inchoatum ad instructionem puellarum abruptere.

ORDINES SACRI.

CASVS I.

Quidam puer Gandavi natus, parentibus orbatus, bonis destitutus, in familiam patruum Ruremundæ admissus est, qui eam vt filium aluit, studijs addixit, cum propositio eum perpetuò educandi, & promouendi, de quæ rebus illius, vt filiorum, statuendi.

QVÆRITVR, *An hic possit dici habere Ruremundæ domicilium habitationis, ratione cuius possit ab Episcopo Ruremundensi insigniri tonsurâ, & ordinari?*

Respondeo, Affirmatiuè. Domicilium enim habitationis, secundum omnes Doctores, sufficit vt quis eo loco possit ordinari: & habetur expressè Cap. cum nullus. De Temp. Ordinand. in 6. Atqui iste puer habet domicilium habitationis Ruremundæ apud patruum: hoc enim ipso quo patruus statuit eum detinere in suâ familiâ tanquam filium, contrahit domicilium patruum, sicut alij filij; quia patruus est illi instar patris, ei que tanquam patri obedire debet. Accedit quod ipse puer accomodat se voluntati patruum, & velit apud illum perpetuò manere, quantum in se est. Atqui voluntas habitandi perpetuò in aliquo loco sufficit ad statim contrahendum domicilium, vt passim Doctores tradunt: qua de re, præter alios, vide Sancium lib. 3. de Matrim. disp. 23. Itaque siue voluntas patruum, siue ipsius pueri spectetur, non video quomodo negari possit illum contraxisse Ruremundæ domicilium.

Cum dicitur ad domicilium requiri voluntatem manendi perpetuò in eo loco, hoc non ita intelligendum est, quasi illa voluntas debeat esse continua: sufficit enim vt ibi cum tali voluntate cœperit habitare. Etsi enim postea hæc voluntas mutetur, non ideo amittitur domicilium, donec reipsa in alium locum transferatur. Similiter illa voluntas manendi perpetuò, non excludit voluntatem aliò migrandi, si fortè casus aliquis aliò vocarit; quæ omnia notissimi iuris sunt.

Confirmatur: Iste puer vel habet domicilium Gandavi vbi natus est, vel Ruremundæ, vel nullibi: non enim puto de alijs locis dubitari. Atqui dici non potest illum habere domicilium habitationis Gandavi, cum eo non statuerit redire; nec patruus eo statuerit eum remittere. Habet quidem Gandavi domicilium originis, sed hoc multum distinguitur à domicilio habitationis, vt ex Iure constat. Neque dici potest illum nusquam habere domicilium habitationis; sic enim esset vagus seu vagabundus. Vagabundus enim dicitur qui nusquam certâ sedem habet, vt docent omnes Doctores ex L. Eius qui manumiser. 27. §. finali. & ad municipia. Qua de re vide Sancium lib. 3. disp. 25. At, quis dixerit puerum istum censendum inter vagos, qui certam sedem ab eo, qui ei parentis loco præest, obtinet?

Domicilium
Ordinatio-
nis.

Quis sufficit ad contrahendum domicilium.

An requiratur voluntas perpetuò ibi manendi.

Domicilium habitationis & Domicilium Originis.

CASVS

Ordinatio inualida defectu intentionis.

CASVS II.

Titius suscepit Ordinem Subdiaconatus cum actuali intentione & professione interna, se nolle illum suscipere, ne inhabilis fiat matrimonio; sed solum exterius simulavit ut alteri satisfaceret.

QVÆRITVR Primò, An hic Titio sit habenda fides?

QVÆRITVR Secundò, An iteratò debeat illi Subdiaconatus conferri priusquam Diaconatum suscipiat?

QVÆRITVR Tertio, An sine dispensatione possit illi Subdiaconatus iteratò conferri extra tempora?

Letteras tuas, Prænobilis Domine, 28. Iulij datas accepi 8. Augusti hora 8. vespertina, valetudine affecta: quibus vt statim satisfacerem, operam dedi. Itaque

Affirmatur.

Ad Primum: Respondeo, Profsus hîc Titio habendam esse fidem. Nulla enim ratio est cur ei contra se fatenti cupientique progredi ad Sacerdotium, non possit prudenter fides adhiberi. Secus esset si Titius suscepto per talem simulationem Subdiaconatu, absque vlla dispensatione iniuisset matrimonium: Tunc enim Ecclesia potuisset contra eum procedere tanquam contra eum qui sacrilegas nuptias contraxisset: neque ei alleganti se caruisse intentione in ordinatione fuisset credendum; sed præsumendum id ab eo confictum, vt nuptijs frui posset; & procedendum secundum ea quæ exterius apparuere: & in hoc casu locum haberet illud, Ecclesiam non iudicare de occultis. Illud enim axioma verum non est; quando reus ipse quod occultum erat, in lucem profert, & contra se fatetur absque præiudicio partis: vt patet in iudicio Sacramenti Pœnitentiæ, vbi Ecclesia absoluit de occultis, eaque punit. Sic quoque dispensat in voto occulto & merè interno.

Quo casu Ecclesia iudicat de occultis.

Ad Secundum: Respondeo, Debere in hoc casu, Titio denuò Subdiaconatum conferri priusquam Diaconatum suscipiat. Ratio est, quia Titius verè non est Subdiaconus, neque suscepit characterem defectu intentionis. Ita sentiunt omnes Doctores de omnibus Sacramentis. Non enim minus in adulto suscipiente requiritur intentio suscipiendi, quam in conferente intentio conferendi. Vnde non minus debet iterari si absit vel aduerfetur intentio suscipientis, quam si absit intentio conferentis. Communis enim Doctorum sententia est Sacramentum esse iterandum quotiescumque est aliquis defectus essentialis admissus in eius collatione, siue ex parte Ministrî, siue ex parte materis, vel formæ, siue ex parte suscipientis. Hinc si quis baptismum exterius suscepisset cum actuali intentione renitente, absque dubio deberet ei postea pœnitenti baptismus iteratò conferri. Et si quis huiusmodi animo suscepisset Sacerdotium, non posset vilo modo celebrare, nisi rursus ei Sacerdotium cõferretur; quia prior collatio irrita fuit. Neque hoc est iterare Sacramentum, sed validè conferre quod ante irritum fuit.

Debet denuò conferri Subdiaconatus

Diaconatus non potest conferri ante Subdiaconatum.

Quòd autem non possit Diaconatum suscipere prætermissò ordine Subdiaconatus, id fit veliure diuino, vt plerique sentiunt; vel traditione Apo-

stolica, vt pauci quidam: idque semper obseruauit Ecclesia. Quare cum Titius non sit verè Subdiaconus, non potest transire ad Diaconatum, nisi defectus suppleatur, præsertim si iure diuino debeat Subdiaconatus præcedere.

Ad Tertium: Respondeo mihi probabile videri Episcopum posse hunc Subdiaconatum Ordinem, in hoc casu, extra tempora conferre Titio, absque dispensatione. Tum quia in foro externo ille iam censetur hunc Ordinem suis temporibus suscepisse, esseque Subdiaconus; ac proinde in foro externo satisfecit Canonibus suis temporibus recipiendis: sicut qui in foro externo contraxit matrimonium præsumptum coram Parocho & testibus, irritum tamen ob aliquod occultum impedimentum; sublato impedimento potest contrahere priuatim absque Parocho & testibus, vt declarauit Pius. V. quia satisfecit in foro externo, habeturque verus coniux. Tum quia absque graui scandalo & infamiæ notâ non potest ei hic Ordo conferri temporibus ordinarijs; censetur enim sacrilega iteratio. Canones autem non debent cum scandalo & infamiæ seruari.

6 Potest Episcopus Subdiaconatum huic conferre extra tempora.

Si tamèn aliter Episcopo visum fuerit, peti poterit dispensatio, non expressâ causâ, nisi in genere: nempe vt liceat accipere Ordinem Subdiaconatus extra tempora, ob quandam causam occultam Episcopo notam.

CASVS III.

Titio, dum ordinatur Sacerdos, porrectus fuit calix cum sola aqua sine vino, ideoque postea curauit se iterum ordinari.

Ordinatio sine debita materia traditione: ideoque ordinationis repetitio.

QVÆRITVR Primò, An prima ordinatio fuerit valida?

QVÆRITVR Secundò, An cum secundò fuit ordinatus, incurreret censuram?

QVÆRITVR Tertio, Si tunc fuisset etiam ordinatus Episcopus, an hæc etiam ordinatio deberet repeti?

Questio, quam D. T. proponit, est satis perplexa. Nullum enim inuenio Doctorem qui tractarit, vtrum materiæ consecrandæ traditio sit necessaria ad essentiam ordinationis sacerdotalis. Ego, saluo meliori iudicio, sentio validam fuisse ordinationem, de qua agitur in casu proposito, in qua per errorem Archidiaconi aqua loco vini fuerat calici imposta. Primò, quia etiam si ponamus traditionem materiæ esse necessariam ad essentiam ordinationis, hîc non defuit materia; quia panis adfuit, qui cum calice & patena non traditur nisi ei, qui initiandus sacerdotio est; & proinde satis determinat illum actum ad significandam potestatem consecrandi seu offerendi; quæ potestas est effectus huius Sacramenti. Sicut etiam si omnia peccata mortifera sint iure diuino materia Sacramenti Pœnitentiæ, tamen ad essentiam Sacramenti sufficit vel vnus confessio, modò reliqua absque culpa emittantur.

7 Porrectio calicis cum aqua loco vini ex errore non invalidat ordinationem.

Secundò, Quia sentio traditionem materiæ consecrandæ non esse de essentia huius ordinationis: nam sufficienter designatur effectus huius Sacramenti per traditionem calicis & patenæ sub talibus verbis forma: Accipe potestatem offerendi & celebrandi Missas &c. Idem ex eo confirmatur, quòd nec Clemens Romanus lib. 8. Constit. Apostolicarum

Traditio materiæ consecrandæ non est de essentia ordinationis. Clemens Romanus.

Concil.
Carthago 4.

carum cap. 16. ubi describit ordinationem Presbyterorum, nec Concilium Carthaginense IV. cap. 3. materia mentionem faciant, sed solius impositionis manuum, & precationis in qua ipsa forma continetur. Et tamen ibi accuratè præscribunt quid in hac ordinatione sit Episcopo faciendum. Unde non modica coniectura sumitur, nec ipsam calicis ac patenæ porrectionem esse de essentia huius ordinationis, sed solum requiri ex præcepto & ordinatione Ecclesiæ Romanæ, quæ in omnium Sacramentorum administratione est accuratissima, & sequitur ubique id quod est securissimum, & maxime expressuum effectus ipsius Sacramenti. Quæ sententia ferè pro certo habenda, si constare possit Græcos sola manuum impositione sub legitima verborum forma suos Presbyteros ordinare consuevisse. Conferatur Canon 3. cum 5.6. & sequentibus Concilij Carthaginensis, & planè apparebit traditionem calicis & patenæ in Sacerdotis ordinatione non fuisse necessariam.

Nec obstat instructio quam Concilium Florentinum tradidit Armenis; Ecclesia enim Romana semper tradit id quod est absolutissimum, etiamsi solum ex præcepto sit necessarium.

Itaque sentio non esse hęc repetendam ordinationem, idque pro certo habeo, si constat apud Græcos calicem & patenam cum materia consecranda non porrigi in hac ordinatione.

Ad Secundum: Nulla est censura constituta in eos qui ordinationem repetunt. Quidam putant eos fieri irregulares; sed longè probabilius est contrarium: Non enim, quod de eo, qui Baptismum conferendo vel accipiendo repetit, constitutum est, extendendum ad eum qui ordinationem conferendo vel accipiendo repetit. Et quamvis tale quid esset statutum in repetentes ordinationem; id tamen non haberet locum in præsentis casu: quia non censetur iteratio, quando iure dubitatur, an prior actus fuerit validus. Itaque nulla egent dispensatione qui secundò ordinati sunt, sed liberè possunt officio Ordinum suorum fungi.

Ad Tertium: Post ordinationem Sacerdotalem nullus superest ordo præter Episcopalem; quem si quis post priorem ordinationem Presbyteralem susceperit, inualidè suscepit si ordinatio presbyteralis inualida fuit: quia ex communi sententia Doctorum potestas Episcopalis Ordinis supponit potestatem Ordinis Presbyteralis. Unde utraque repetenda foret. Verùm quia supponimus ut certum, priorem ordinationem validam fuisse, etiam censemus posteriorem, qua Episcopus ordinatus est, validam esse; nec quidquam repetendum.

His tamen addo, si constare non potest Græcos ordinare Sacerdotes suos sine calicis, & patenæ ac totius materiæ porrectione: vel si putantur ipsi hæc omnia adhibere: repetendam fore ordinationem supradictam, saltem sub conditione. Quia in re tanti momenti amplectendum est id quod securius est, cum nullum sit periculum sacrilegæ iterationis adhibita conditione, & hac ratione infiniti scrupuli tollantur, quibus alioquin ipsi ordinati, & ij qui ab ipsis sacra percipient, subiecti erunt.

CASVS IV.

Sacerdos post ordinationem dubitat an tetigerit patenam: putatque se habuisse propositum non consentiendi in ordinationem, casu quo calicem & patenam non tangeret, ut iteratam ordinationem facilius obtineret.

QUÆRITUR Primò, Virum censendus si fuisse verus contactus?

QUÆRITUR Secundò, Virum censendus sit habuisse sufficientem intentionem ad huius Sacramenti susceptionem requisitam?

Respondeo, Sic ordinatum debere esse planè securum quò ad contactum instrumentorum attinet. Cum enim conatus fuerit tanta sollicitudine tangere calicem & patenam, & in ipso facto putarit se accuratè tangere; omnino credibile est probè tetigisse utrumque, etiamsi post ordinationem dubitare coperit an tetigerit patenam, quia ad hoc non reflexit. Tales enim dubitationes post factum subrepere solent scrupulosis: suntque certum signum animi perplexi & scrupulosi. Deinde, etiamsi certus esset se patenam immediatè non tetigisse, sed solum calicem; nihilominus nõ deberet dubitare de validitate suæ ordinationis. Satis enim censetur tangere patenam per ipsum calicem; ut habet communis sententia Doctorum, & praxis Ecclesiæ. Et sanè si aliquo modo dubiū esset, an utriusque tactus physicus requiratur ad essentiam Sacramenti, Ecclesia quæ regitur à Spiritu sancto, maximam diligentiam impenderet, ut utrumque adhiberet, ne dubiam ordinationem faciat. Nulla autem diligentia hac in re adhibetur: quod certum signum est non esse necessarium immediatum utriusque contactum, sed sufficere contactum calicis.

Addo probabilissimum esse ne calicis quidem physicum contactum requiri. Imò apud Græcos dicitur fieri ordinatio Sacerdotum per solam impositionem manuum, sub formula verborum; ut nuper Româ in simili casu accepi.

Ad Secundum: Hoc ipso quo tantam diligentiam adhibuit ut utrumque instrumentum tangeret, & ita manus protendit ut putaret se tangere; idque ut ordinem Sacerdotalem acciperet; sufficientem planè intentionem habuit ad hoc Sacramentum requisitum. Neque erodibile est simul habuisse propositum non consentiendi in ordinationem, casu quo utrumque non tangeret. Stultum enim esset tale propositum, nec sine gravi peccato haberi posset; quod non est præsumendum in homine timorata conscientia. Neque esset utile ad facilius obtinendam iteratam ordinationem; quia Episcopo de tali proposito non potest constare, & magis reputaretur scrupulus mentis cõsuta, & imaginatio (sicut re vera est) quàm seria voluntas.

Quòd si fortè tale propositum præcessit solum, nec actu ea de re cogitarit tempore ordinationis, non vitiat ordinationem, in quam tunc absolute consentit, dum fieret. Sicut si quis apud se ita statueret, Non consentio in consecrationem Eucharistiæ, si omiserit particulam Enim: hoc propositum non irritaret consecrationem, si ea de re non cogitaret dum actu consecrat, & casu vel ex consuetudine particulam illam omittit.

Dubitatio de debito contractu materia in Ordinatione.

11

Qui tangit calicem, censetur tangere patenam.

Probabilissimum est non requiri contactum physicum calicis.

12

Notabilis pro scrupulosis.

13

Propositum antecedens non vitiat consentium contrarium subsequenter.

Quòd

8
Repetens Ordinem nullam incurrit censuram, nec irregularitatem.

9
In casu non debet repeti ordinatio Episcopalis

10
NOTA pro securitate.

Quòd si actu formali & expressè in ipso puncto ordinationis habuisset seriam voluntatem nõ cõfentiendi in ordinationem, eamque non suscipiendi in euentu quo non posset attingere vtrumque instrumentum, certè aduertisset se attingere vel non attingere, & reflexisset se super suam ordinationem, iudicando illam esse validam vel inualidam. Quare cùm tunc non iudicarit illam esse inualidam, sed potiùs validam, nihil dubitans, euidens signum est fuisse validam, & illud propositum vel non fuisse tunc temporis, vel nihil obfuisse.

CASVS V.

Ordinatio non suo Ordinario. *Multi in Hibernia suscipiunt Sacros Ordines non à suo Ordinario, sed ab eo quem commode habere possunt.*

QVÆRITVR, An sint suspensi, & exercendo actum Ordinis siant irregulares?

13 Considerata specie facti, & expensis rationibus supra positis, probabilissimum cenfeo Sacerdotes illos in Hibernia sic ordinatos non esse suspensos, ac proinde nec contrahere irregularitatem vsu Ordinum sacrorum. Tum, quia yfus & consuetudo contraria sciente & non contradicente Principe, tollit legem etiam Canonicam; vt passim Doctores: quod etiam ostendi lib. 2. de Iustitia cap. 6. dub. 14. nec ad hoc requiritur tempus præscriptionis, vt ibidem ostensum. Tũ, quia quando perpetuò vacat Sedes, perse cessat illud Ius: quia nullus est Ordinarius à quo licentia sit petenda. Itaque illa ordinatio non fuit absque licentia proprii Ordinarij iuxta mentè Iuris. Tum, quia illud Ius requirit præsumptionem in ordinato, vt constat ex Bulla Pij II. per quam hæc suspensio est inducta, quæ est sexta inter eius Bullas.

1. Ratio. Vnde etiam ignorantia crassa excusat: nam præsumptio requirit scientiam & dolum, vt docet Nauar. c. 27. n. 156. & alij passim. Illi autem Sacerdotes bona fide putant se posse sic ordinari: quia ob causam etiam illos excusat Suares de Censuris disput. 31. n. 15. Tum, quia si Sacerdotes illi essent suspensi, multò magis essent suspensi ipsi Episcopi sic ordinantes, vt patet ex Cap. *Eos qui*, de Temporibus ordinandorum in 6. Vnde & eorum subditi possent absq; eorum licentia ab alijs ordinari, vt statuitur eodem Capitulo §. *ijs qua*. Denique cùm Protector Hiberniæ & Summus Pontifex optimè sciant quid fiat in Hibernia, hoc ipso, quo non contradicunt, cùm facile possint, ratum habent, & concedunt ita fieri: hoc enim est rati habitio de præsentì, vt docent Doctores. Nisi enim ratum haberent, grauitèr peccarent non monendo, non contradicendo, & curando vt aliter fiat: nam obligantur ad hoc ex officio.

2. Ratio. 3. Ratio.

CASVS VI.

Ordinatus fisco titulo patrimonij. *Petrus fisco titulo patrimonij ordinatus fuit.* QVÆRITVR, An secundum rigorem Iuris sit suspensus ab Ordinum executione?

14 Affirma- tiva. Respondeo, Is qui hoc modo fisco titulo patrimonij ordinatus fuit, secundum rigorem Iuris videtur esse suspensus ab Ordinum executione: Quia Canone *Sanctorum Canonum*. dist. 70.

decernitur, vt ordinatio facta sine titulo, irrita habeatur. Quem Canonem renouare videtur Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 2. in fine.

Contraria tamen sententia probabilis est, quæ tenet Henriquez cap. 37. de Suspens. vbi dicit, *Qui absque pacto simoniaco initiatus est sacris cum fisco patrimonio, non est suspensus, contra Nauarrum: ita Doctores Salmaticenses & Complutenses, & ipse Nauarrus lib. 1. Consilio 41. tit. 11.* Idem Henriquez paulò post sic ait: *Ius artificum quo olim suspensus erat ordinatus absque titulo beneficij vel patrimonij, est renouatum per Cap. Cùm secundum Apostolum.* Extrau. de præbendis. Neque à Concilio Tridentino inuouatur. Hæc ille. Quam sententiam, si vobis videtur expedire, sequi potestis. Quamuis contraria mihi verior videatur: Nam Cap. *Cùm secundum Apostolum*, solum videtur renouare ea quæ statuta erant cùm Episcopus erat cõscius defectus tituli, & nihilominus ordinabat. Itaque potest etiam quis tutò hanc sequi sententiam; quam tenet Suares de Censuris col. 764.

CASVS VII.

Titius aliquando fuit energumenus, & postea sacris Ordinibus initiatur. Ordinatio energumeni.

QVÆRITVR, An sit irregularis, & illegitimè ordinatus?

15 Respondeo, Qui aliquando fuit energumenus, seu dæmoniicus, secundum Iura censendus est irregularis: Can. *Maritum*; cum tribus sequentibus dist. 33. Sed non facile aliquis iudicandus dæmoniicus, nisi manifestis signis certò constet; vt si patefaciat res occultas, quas homines non possunt cognoscere, vel linguis ignotis loquatur. Quia experientiã compertum est, eos qui morbo melancholiæ laborant, ita sepe affici vt à multis (etiam subinde à medicis) putentur à maligno spiritu possideri. Accedit quòd dæmon se interdum isti affectui admisceat agitando humores & spiritus, absque vera possessione. Itaque nisi manifesta signa habeantur, non est quis censendus energumenus, sed potiùs morbo melancholiæ laborans, cui dæmon forsitate se nonnihil immisceat. Imò in dubio censendum est, non esse energumenum: ac proinde nec irregularem: ac proinde vbi à morbo illo curatus fuerit, poterit ordinari absque illà dispensatione.

Si tamen constaret Titium fuisse verè dæmoniicum, etsi durante illo affectu nullo modo potuerit ordinari, tamen postquam perfectè liberatus erat, poterat ordinari, cùm dispensatione Prælati regularis, cui hæc potestas in ordine Minorũ competit; vt patet ex eorum priuilegijs V. dispensatio n. 9. Et quãuis Prælatu illũ mittens ad Ordines, ea de re nõ cogitauerit, tamen hoc ipso quo illũ mittit, vel mittèdũ decernit, cõsetur implicite dispensare in omni impedimẽto sup potestati subiecto: & si rogaretur, haud dubie responderet hanc esse suam mentem: alioquin grauitèr peccaret Superior mittendo subditum cum impedimento Canonico, quod ipse poterat tollere. Itaque iudicandum Titium legitimè ordinatum, omni impedimento irregularitatis ante per Prælatum regularem ex vi priuilegij sublatò, etiam si Prælatu de eo expressè non cogitarit.

Semel autem ablata ista irregularitate, & Ordinibus le-

Sic orilina- sus sit en- pax Prala- sura. Secus est de illegitimis. nibus legitime susceptis, non manet incapax Prae- laturae in Ordine vel extra; nec opus est alia dis- pensatione. Hoc enim peculiare est in illegitimis, & in maculatam originem habentibus, non autem locum habet in hac irregularitate, cum hoc iure non sit expressum.

Dispen- tatio vt coniuga- tus ordi- netur.

CASVS VIII.

Mulier haeretica vetula non vult conuerti: Mar- ritus agit cum Officiali Episcopi de separatio- ne tori: à quo rogata respondet, se velle in sua fide permanere, & in posterum casta vi- uere, & permittit marito, vt faciat quod libet, prout sua conscientia putat expedire: huius rei sunt acta.

QVÆRITVR, An maritus possit absque dis- pensatione sacros Ordines suscipere?

18 R Espondeo, Maritū posse sacros Ordines sus- cipere, nec egere dispensatione, si non erat vidua, cum qua contraxit. Couarruuias in 4. p. 2. c. 7. §. 6. Castro l. 1. De iusta haeret. punit. cap. 7. Soto in 4. dist. 39. art. 4. Patet Cap. De illa. de Diuortijs.

PAVPERTAS RELIGIOSA.

CASVS I.

Proprie- tas in ha- bendo.

Vtrum sit contra Votum Paupertatis, & quale peccatum, habere in Religione post professio- nem aliquid proprium? & An Superior possit dispensare in isto voto?

1 A D Primum: Certum est censeri infringere vo- tū paupertatis religiosos vel religiosas, quae post professionem, aliquid tanquam proprium retinuerint; id est, sine dependentia à suo Superiore.

Vt autem sit mortale, requiritur res notabilis pretij, sicuti in furto. Vnde qui decem stuferos, vel res tanti pretij, contra rationabilem voluntatem Superioris retineret, videntur mortiferè peccare: nam hæc censetur quantitas notabilis in furto. Vide plura apud Nauarrum Comment. 2. de Regularibus, & Lopezium p. 2. c. 6.

Aliqua excusant à mortali.

Aduerte tamen, multa excusare à mortali; quia censetur esse consensus Superioris presumpus, seu interpretatiuus: vt in accipiendis conditis, vel alijs esculentis, quibusdā locis. Vbi tamen exactè vota seruantur, hæc non permittuntur: vnde talia corrigenda.

2 Pontifex non potest dispensare vt religio- sū habeat proprium.

Ad Secundum: Manifestum est Superiorem non posse dispensare in voto paupertatis religiosi vel religiose professæ: imò nec Pontifex id potest, ita vt maneat religiosus; vt expressè habemus Cap. Cum ad monasterium, de statu Monachorum. Potest tamen Pontifex dare facultatem persone religiose vt aliqua habeat sine dependentia ab alijs Superioribus inferioribus. Et Generalis Ordinis potest dispensare vt aliqua habeat sine dependentia à Pro- uinciali, vel Superiore immediato. Sed hoc nõ est dispensare in voto, sed eximere à potestate alicuius Superioris in aliqua re particulari.

Vnde patet ordinariū Superiorem non posse dispensare in voto, nec ab eo liberare. Potest tamè abfoluere à fractione voti. Vide Concil. Trident. sess. 25. c. 3. De regularibus, vbi sub grauibz pec- nis prohibet omnem proprietatem.

CASVS II.

Vtrum Religiosus qui non vult sua scripta al- teri communicare peccet mortaliter vt proprietarius?

Proprie- tas scri- ptorum

R Espondeo, Non est peccatū mortale, si quis nolit sua scripta alteri commodare, ne ipse amittat famam aut opinionem excellentiæ, quam illorum praesidio sibi comparauit. Solum tenetur in necessitate, quando ex illa recufatione sequere- tur graue incommodum alijs.

CASVS III.

Vtrum ea qua dantur Religioso ab amicis, ve- etiam a Superiore, cedant in ius mona- stery cuius ille est?

Proprie- tas in ao- quiren- do.

R Espondeo: Primò certum est ea quæ dantur Religioso ab amicis, vel alijs, statim cedere in ius monasterij, cuius ille est: ac proinde dispo- sitionem pertinere ad Superiorem illius. Secundò, Certum est Superiorem non posse concedere Re- ligioso nisi vsum rerum, non autè dominium, aut dispositionem. Vnde si illa res illi Religioso non sit vsui (vt si sit lapillus valens contra calculū, vel morbum comitalem quo ille nõ laborat) nec pu- tetur vsui futura ipsi magis quàm alijs, & sit nota- bilis pretij, v. g. 4. vel 5. aureorum, non potest ipsi ita concedi, vt liceat transferre eum ad alium lo- cum migrat. Hoc enim esset excedere mensuram legitima concessionis, quæ solum est ad vsum ne- cessarium, & priuare monasterium re. & iure suo: & talis modus habendi planè præ se fert speciem proprietatis. Eadem est ratio aliarum rerum no- tabilis valoris, etiam si esculenta vel medicinalia sint.

Superior non potest suo religio- so concedere dominia vel dispositio- nem res notabilis, sed solum eius vsum.

CASVS IV.

Vtrum Religiosus Vice- Pastor habeat administrationem sui peculij?

Proprie- tas in ad- ministrā- do suo peculio.

R Espondeo cum distinctione. Vel iste Vice- pastoratus est beneficium, saltè Manuale, vt vocant, vel non est beneficium. Si sit beneficium, vt si legitima auctoritate instituta sit Vicaria, cui certa portio obuentionum assignata sit: tunc co- petit Regulari eam legitime obtinèti administra- tio non solum prouentuum, sed etiam bonorum immobilium annexorum beneficio, vt probabili- ter docet Nauarrus Commentario 2. de Regularibus n. 10. & Tractatu de redibus Ecclesiasticis qu. 3. monito 25. & alibi.

5 Si Vice- pa- storatus sit Beneficiū.

Quòd si non sit beneficium, vt si non habeat talem institutionem, sed solum ad tempus ob ali- quam necessitatem constituta sit: Rursus distin- guendum est. Vel enim habet bona immobilia an- nexa quæ administrat, vt agros, census annuos &c: Vel solum habet aliqua emolumenta mo- bilia.

6 Si non sit Beneficiū.

Si habet immobilium administrationem, non potest Superior regularis eam concedere: quia ex- pressè prohibetur per Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 2. de Regularibus.

Et bona sint immo- bilia.

Si autem non habet vllam immobilium admi- nistrationem, sed solum aliorum mobilium, po- test Superior eam concedere. Nam nec Concilium Tridentinum, nec vllum l. s. id vetat: nec est con- tra ratio-

Si verò sint mobi- lia.

tra rationem religioſæ paupertatis, quæ ſolùm poſtulat vt inferior nihil niſi dependenter à ſui Superioris voluntate habeat.

CASVS V.

Donatio- nes Re- ligioſæ licitæ & illicitæ,

Clemens Papa VIII. edidit A. 1594. conſtitutionem, cuius titulus eſt: De largitione munerum vtriuſque ſexus Regularibus interdictâ: qua incipit, Religioſæ congregationes.

QVAERITVR, *Quanam donationes ibidem prohibeantur?*

7
Donatio- nes eleemo- ſynaria.

Reſpondeo Primò, Certum eſt, hæc nõ prohiberi donationes quæ ſunt in modò eleemoſynæ, ad alterius inopiam ſubleuandam: hæ enim non dicuntur propriè munera, ſed eleemoſynæ, quas maximè decet Religioſos facere, ſi habeant vnde poſſint. Vnde Abbates & Cõuentus poſſunt Religioſis mendicantibus dare libros, ornamenta ſacra, & huiuſmodi alia; vel ſummas pecuniarias ad res neceſſarias cõparandas; & ſimiliter Ordines mendicantes alijs pauperibus ſecularibus vel regularibus. Item perſonæ Societatis Ieſu habentes adhuc dominium ſuorum bonorum, poſſunt dare Societati, vel alijs pauperibus.

8
Ad redi- mendam vexam.

Reſpondeo Secundò, Certum etiã eſt non prohiberi donationes quæ ſunt quodammodò redimendæ vexationis cauſa; vt ſunt illæ, quæ ſunt interdũ viris potentibus, vel in officio aut dignitate conſtitutis, ne noceant Religioni ſeu monaſterio; vel quaſtoribus, vt poſſit obtineri ſolutio. Si enim huiuſmodi donationibus eorum animi non cõciliètur, nocebunt Religioni ſeu monaſterio, vel non præſtabunt id quod debet. Probat, quia hæc non tam ſunt munera, quàm redemptiones iniuriarum & incommodorum quæ timentur, quas quis prudens adhiberet.

9
Antidota- les ſeu re- munerato- riæ.

Reſpondeo Tertio, Certum etiam videtur nõ prohiberi eas donationes, quæ ſunt Antidotales ſeu remuneratores: quales ſunt, quæ ſunt Medicis, Aduocatis, Conſiliarijs, & huiuſmodi gratis Monaſterio ſeruientibus: hæc enim non tam ſunt munera, quàm remunerationes, quæ ſtriçtè non dicuntur munera, quia non omnino gratis & liberaliter dantur, ſed ex obligatione gratitudinis, ad compenſanda beneficia accepta; & niſi talia dètur, Religioſi illi erunt & merito habebantur ingrati, amicorumque animos à ſe alienabunt. Non eſt autem credibile Suam Sanctitatem velle eos facere contra virtutem tam inſignem, quæ maximè decet viros religioſos; eoſque à ſe amicorum animos auertere.

10
Donatio- nes ex lau- dabili con- ſuetudine vel recta ratione factæ.

Reſpondeo Quarto, Valdè etiam probabile eſt nullam prohiberi donationem, quam, conſideratis circumſtantijs, vel laudabilis conſuetudo, vel recta ratio faciendâ dicit. Probat, quia non eſt credibile Suam Sanctitatem velle prohibere eas donationes quæ decet viros religioſos ſpectatis circumſtantijs, ſuntque rectæ rationi valdè conſentanea. Non enim præſumendum eſt Sedem Apoſtolicam aliquid prohibere tam graui & ſeria conſtitutione, niſi quod ſit notabiliter contra rectam rationem, & minimè decens ſtatum & profeſſionè religioſam. Quod etiã ipſa verba ſatis inſnuant, dum ait, *Se largitiones munerum prohibere*, id eſt, eas donationes quæ merè ſunt ex liberalitate; vti ſeculares ſolent donare: & dum *contrariam conſuetu-*

dinem ait eſſe corruptelam. Itè dum inſnuat ſe hanc conſtitutionem feciſſe propter eos, qui ex quacumque cauſa munera dabant. Idem patet ex grauiſſimis pœnis adiunctis.

Ex quibus patet valdè probabile eſſe hanc Cõſtitutionem non eſſe intelligendam de iſtis donationibus, quas moraliter certum eſt iuſtam cauſam habere, & Religioſos decere, & omnibus circumſtantijs expenſis, valdè conuenire. Confirmatur Primò, Quia ita conſtitutiones Superiorũ, maximè Sedis Apoſtolicæ, ſunt interpretandæ, vt nihil leue contineant, & tanta Maieſtate minùs dignũ. Minùs autè eius maieſtate dignum videtur, vt ſub tam grauib; pœnis, tam ſeria conſtitutione prohibeat ea, quæ per ſe ſunt rectæ rationi conſentanea, quæque viri ſanctiſſimi hætenus ſemper fecerunt. Quorſum enim hæc tam ſeuere prohibeantur? Si dicas, ob periculũ abuſus. At abundè huic periculo occurrit, ſi prohibetè intelligantur que non decet Religioſos, & non habent graues & iuſtas cauſas. Nec refert, quòd cauſas velit approbari à Capitulo, vel Cõgregatione Generali: quia loquitur de cauſa dubia, de qua meritò ambigitur ſitne iuſta: vnde vult eam ibi maturè diſcuti, & ſic approbari; quod locũ non habet in cauſa, quam moraliter conſtat iuſtam eſſe. Et quia Congregationes Generales non tam expedite fieri poſſunt, ſi interim res feret, ſatis erit vt Prouincialis cum ſuis Conſultoribus ſeu Definitoribus cauſam probet; id enim iuſta ep̄iſcopia poſtulat.

11
Quæ iuſta habent cauſam,

Confirmatur Secundò, Quia quãdo lex aliqua continet diſpoſitionem vel pœnam valdè exorbitantem, ſpectanda potiùs eſt intentio rationabilis ipſius legiſlatoris, quã id quod verba primã facie præ ſe ferunt; vt patet ex multis legibus, quas DD. ita interpretantur: qualis eſt l. i. ff. de Effraçtoribus. l. i. & 3. C. de Seruis fugitiuis. I. hæc cõſuſſiſſima C. de Teſtamentis. Item Bulla Pij IV. & Pij V. de Simonia cõſidentè. Præterea omnes leges & Canones qui ipſo facto inſiſtunt pœnam priuationis beneficij, officij, bonorum &c. Ratio eſt, quia ſæpè legiſtatores vtuntur modo loquendi duriore, vt magis abſterreant, & vt iniquum quodãmodò poſtulant, quod æquum & moderatum eſt, obtineant. Quamuis etiam ſint multa verba quæ ſatis indicent Sanctitatis Suae intentionem non eſſe, vt donationes quæ iuſtam euidenter cauſam habent, & Religioſos decet, prohibita cenſeantur: quod etiam ex grauiſſimis pœnis conſtat, quæ non poſſunt prudenter ſtatuì niſi contra grauiſſa crimina.

12
In lege p̄ magis ſpectanda rationabili intentione legis-latoris, quàm rigida verba.

Ex his infero, Si quis librum in lucem edat, poſſe amicis aliqua exemplaria dari; ita enim recta ratio dicit, & habet laudabilis conſuetudo Religioſorum, quã niſi ſerues, ruſticus, ſordidus, ingratus, vel etiã ſuperbus habeatis, & amicorũ animos à monaſterio ſeu ordine auertas. Item licet aliqua donare ad conciliandos animos eorum qui multũ poſſent prodeſſe monaſterio vel Ordini, vel bono publico; hæc enim eſt iuſtiſſima cauſa, de qua nõ eſt opus conſultare in congregatione Generali. Item ad pertrahendum aliquem ad fidem, vel ad auertendum à flagitijs, quod ſanctiſſimi viri fecere.

13
Corollaria

Ceterum aduertendum eſt minima dari poſſe, etiam ſi non ſubſit alia cauſa, quàm beneuolentiæ; vt ſatis colligitur ex verbis & tenore conſtitutionis, & explicatione ipſius Pontificis. Vnde ex graui cauſa dari poterunt etiam ea, quæ non cenſentur minima.

14
Minima dari poſſunt ex beneuolentiâ,

Quenam

Quam
minima
consensu
int.

Quenam autem debeant ceteri in minimis, partim ex ipsius Pontificis explicatione, partim ex conditione dantium & accipientium, eorumque proportionem colligi potest. Primo, In minimis ceteri Pontifex Breuiarium; nam cecedit dari ex beneuolentia: Breuiarium autem si in duobus tomis sit, facile est duorum aureorum. Secundo, Reliquiarium, quod etiam ordinariè est vnus vel duorum aureorum. Vnde alij libelli, imagines, thesæ Agnus Dei, cruces similis pretij in minimis ceteri possunt. Tertio, Res aliquas medicamentosas, vt lapidem Bezar, qui sapè est multorum aureorum; & similia quæ ex Indijs deferuntur. Quarto, Esculentia quedam, vt sunt condita cydoniorum, & similia, vnde colligitur posse etiam odores & suffimenta dari quæ ex Indijs adferuntur, & alia huiusmodi rara vnus vel duorum aureorum. Nam eadem est in his, imò honestior ferè ratio, quàm in esculentis & poculentis. Ex his facile de alijs ceteri potest.

15 Denique ex his quæ de minimis dicta sunt, confirmari possunt quæ supra diximus. Si enim beneuolentiæ causâ Superiores possint subditis donare Breuiarium, Diurnum, Reliquiarium & huiusmodi, vt ipse Sanctissimus explicuit, multò magis poterunt aliquid dare externis, vbi tam grauis interuenit causa.

Debita
Superioris
religiosi.

CASVS VI.

Titius Superior Regularis seu Religiosus accepit à Caio mercatore 100. florenos restituendos Sempronio etiam mercatori: sed is dilata non nihil restitutione, dat eos mutuos Trebellio, qui paulò post foro cedit.

Quæritur, Vtrum monasterium seu Conuentus teneatur loco Titij Superioris sui Sempronio?

16 Respondeo, Indubitatum est Communitatem seu Conuentum nõ teneri. Primo, Quia Titius non poterat illam pecuniam dare Trebellio mutuum, etiam cum venia sui Superioris; quia ipsi ea solum fuit tradita ad faciendam restitutionem Sempronio, cui debebatur. Nemo enim potest dare mutuum ex alieno, cuius non habet liberam administrationem. Quare hoc debitum Titio censetur ex delicto. Atqui monasterium seu Conuentus non tenetur ex delicto sui Superioris, vt docent Doctores ex Innocentio & Hostiensis: quia delictum personæ in damnum Ecclesiæ redundare non debet: Cap. Delictum, de Regulis Iuris in 6. Siluester V. Religio 8. q. 3. Angelus V. Monasterium, in principio. Fumus V. Monachus nu. 14. Idem docet Nauarrus Comment. 2. de Regul. nu. 62. vbi addit, Nisi communicato cum Prelato & Capitulo consilio, id fecerit.

Conuentus
non tenetur
ex delicto
sui Superioris.

17 Neque ex
eius contractu
nisi in illum
consensu.

Secundo, Quia generatim Conuentus non tenetur ex contractu religiosi, etiam Superioris, nisi quatenus ei commissæ est administratio: eatenus enim obligatur, & non amplius. Vnde si Titio non fuit in genere vel in specie commissum à suo Superiore, vel saltem à Conuentu ad id habente potestatem, vt alteri illam pecuniam mutualet, nullo modo obligatur Conuentus; vt expressè docent Auctores citati. Quæ omnia Confirmantur: Quia Superiores sunt tantum administratores rerum Conuentus, sicut Tutores pupillorũ. Vnde

sicut pupilli non obligantur, si Tutores faciunt contractus damnosos; ita neque Conuentus si Superior, præsertim quando Superior ille pendet à Conuentu, vel à suo Superiore.

CASVS VII.

Vtrum si supradictus Titius Superior Religiosus pro Caio mercatore sponderit, ipsius Conuentus teneatur?

Sponsio
Superioris
religiosi pro
extraneis.
18

Respondeo, Perspicuum est Communitatem seu Conuentum regulare, cuius Superior est Titius, non teneri ex sponione Titij, quam ille fecit sine consensu Conuentus vel Superioris sui. Sequitur ex fundamentis superiore casu positis: Sponsio enim est contractus quidam, quo se Titius in damnum Conuentus sui onerare non poterat. Accedit quod merus administrator non potest obligare bona quæ administrat, inuiti sponione, qualis est ista ex qua nihil commodi poterat redundare in bona Conuentus.

Petes, An obligatio qua Titius spondendo se obstrinxit, ab initio fuerit nulla: an verò tunc solum cum officium Superioratus eius expirat?

19
Ex ista
sponione
nulla fuit
ab initio in
Titio obli-
gatio.

Respondeo, Ab initio nullam fuisse istam obligationem qua Titius spondendo se obstrinxit, atque adeò illam non expirasse, cum expirauit officium Titij: quod enim nunquam extitit, non potest propriè dici expirare.

Etsi tamen fingere velimus illam obligationem aliquando in Titio extitisse, ea tamen haud dubiè expirauit simul atque expirauit officium administrandi, seu Superioritatis eius: quia Titius nõ erat capax talis obligationis nisi quatenus Superior habens potestatem administrandi: perunte enim fundamento, perit relatio quæ illi innitebatur.

Et si alii
qua fuisse
ser, ex pi-
rasset cum
officio.

Vnde sequitur, Si Communitas & successor Titij non tenebatur Caio pro mercibus quas vendidit Sempronio, dũ adhuc Titius esset Superior, eò quòd sponsio illa fuerit irrita & nulla; eos multò minus teneri pro mercibus diuenditis eidem Sempronio, postquam Caius vidit Titium defunctum officio: tunc enim debebat Caius aduertere, Titij sponione non posse amplius obligare; vt quæ tota niteretur officio & potestate administrandi, quæ iam Titius erat priuatus. Quare non bona fide agit Caius, si velit Titium etiam post officium depositum, obligari; sed sibi imputet quòd perrexit merces vendere illi, pro quo sponsio Titij iam expirarat.

CASVS VIII.

Prior quidam à 275. annis fundationem in monasterio instituit ex quibusdam pecunijs.

Fundatio
facta à
Priore
mona-
sterij.

Quæritur, An possit modò illa fundatio extinguì sub specie iniquæ institutionis?

Respondeo, Cùm fundatio à Priore facta in illo monasterio iam 275. annis fuerit in vigore, nec tanto tempore Abbas aliquis aut Conuentus se illi oneri opposuerit (vt suppono, cùm hoc non allegetur) durum videtur illam modò extinguere sub specie iniquæ institutionis. Etsi enim Prior nõ potuerit habere proprium, poterat tamen eo tempore eũ consensu sui Abbatis habere aliquod peculium, de quo, cum eiusdè consensu poterat

20

V ij,

Quidam Prioratus sunt beneficia regalia.

poterat disponere ad pias causas, & alibi fundationem instituire cum tali onere Missarum, & Anniversarij. Imò cum Prioratus, etiam Conventualis, videatur Beneficium regulare, etfi manuale, quidquid ipse acquirit, iure cõmuni acquirit suo beneficio, & potest de eo disponere ad pias causas, vt multis docet Nauarrus Comment. 2. num. 6, 10, & 11. de omnibus Regular. habentibus beneficium.

Ex horum fructibus potest in futurum pia fundatio.

Itaque consideranda est conditio istius Prioratus. Si enim verè habet portionem aliquã bonorum sibi assignatam, videtur planè esse Beneficium regulare: & ita ex fructibus, & alijs quæ ipse acquirit, poterit instituire talem fundationem. Omitto quòd olim potuerint esse varieg consuetudines (etfi per abusum) quæ hoc tempore nõ permittentur. Vnde etfi nõ sint omnia probanda quæ in illa fundatione habentur, sed secundum regularem disciplinam moderanda; tamen substantia fundationis videtur subsistere. Quod vel ex eo confirmari videtur, quòd nemo tunc temporis existimauerit illud peculium esse monasterij, nec posse illum Priorem de eo disponere ad libitũ in alias causas pias. Si enim existimasset monasterium habere ius in illud, Abbas illud occupasset; nec ipse cum Conuentu voluisset se & posteros in perpetuũ ad tam graue onus, fide media, & sub voto religionis sua obstringere; & omnibus iuribus, priuilegijs, subterfugijs, quibus illa fundatio posset in totum vel in partè cassari, renuntiare. Cũ ergo nemo tunc temporis putauerit illud peculium esse monasterij, credibile est verè illius non fuisse, sed fuisse Beneficij; & Priorem potuisse liberè ad vsus pios de eo disponere.

Hæc fundatio nõ potest extinguì.

Vt autem ista fundatio posset cassari, deberet planè constare illud peculium fuisse monasterij, & totum illum cõtractum ex ignorantia processisse, & tanto tempore continuatum. Quod cum nullo modo constet, non ausim dicere monasterium non teneri, aut posse illam fundationem prorsus extinguì.

PRÆLATVS.

CASVS I.

Decanatus.

Virum Decanum Ecclesie Cathedralis S. Mariae Antuerpiae censendum & dicendum si Prælati?

Quis proprie sit Prælati.

Respondeo breuiter, Propriè & strictè secundum iura prædictum Decanum esse Prælatũ, & Decanatum ipsius Prælaturam. Quod cõfirmo hoc syllogismo: Propriè & strictè Prælati dicitur qui habet curam animarum cum iurisdictione, ita vt possit subditos suos corrigere & punire. Atqui Decanus Antuerpiensis habet curam animarũ cum iurisdictione, qua possit suos subditos punire, &c: ergo est Prælati. Maior est cõmunis sententia Doctorum, vt refert Panormitanus in Cap. De multa, n. 21. vbi sic scribit: Conclusio cõmunis est, vt si dicatur habere dignitatem, qui habet iurisdictione. Vnde quilibet Rector seu Prior Ecclesie Collegiate, dicitur habere dignitatem, vt notat Paulus in Clement. 1. de Electione, & in Clement. Ne in agro. de Statu Regul. Domini de Rota. decis. 166. & talis propriè & strictè appellatur Prælati. Idè confirmatur aperte ex Cap. Cũ ab Ecclesiarum. de Off. ordin. vbi Pontifex omnes Ecclesiarum Rectores qui possunt excommunicare, vocat Ecclesiarum Prælatos. Vnde & Plebani qui excommunicare possunt, verè & propriè sunt

Prælati, vt ex illo Capitulo colligitur, vbi idem luculentè tradit Glossa. Eadem confirmantur ex Cap. 2. iuncta Glossa De iudicij. & ex Clement. Dudum. de Sepult.

Minor abundè probatur ex assiduo vsu, & ex scripturis quæ in fauorem Decanatus illius proferruntur. Quare non videtur dubitandum quin Decanatus ille propriè sit Prælatura; & Decanus sit appellandus Prælati. Idem sentiunt omnes Summistæ V. Prælati: Angelus, Siluester, Fumus & alij. Neque vllam in contrarium dubitandi rationem inuenio.

CASVS II.

Virum Prælati habens titulum coloratum, concurrente errore communi, validè possit delegare & conferre potestatem ordinariam, si etiam is, quem instituit Superiorem, simile impedimentum occultum habeat?

Prælati Titulo colorato.

Respondeo, Prælati habens titulum coloratum, concurrente errore cõmuni, validè potest non solum delegare, sed etiam conferre potestatem ordinariam, si ipsius est Superiorem constituere: v. g. si Prouincialis habeat titulum coloratum ob nullitatem professionis ex impedimentis Sixtinæ, quæ nullitas ignoretur.

2

Nec refert etiam si is, quem instituit Superior, simile impedimentum occultum habeat: accipiet enim titulum coloratum ab habete titulum coloratum; eiusque actus & delegationes iurisdictionũ valebunt. Si enim valent eius absolutiones & excommunicationes, alijque actus iurisdictionis, cur etiam non valeat ille actus, quo confert titulũ vel delegat iurisdictionem? cum hæc collatio vel delegatio sit etiã actus iurisdictionis. Sanè nulla est ratio. Neque Sancius lib. 3. de Matrim. disp. 22. n. 49. contrarium tenet, vt patet n. 51. in fine. Nõ enim Superior legitimus opponitur Superiori habenti titulum coloratum: quia & hic est legitimus, cũ sit à legibus approbatus: nec vllõ modo potest dici intrusus. Intrusus enim dicitur qui suã vel laicã auctoritate inuasit, & nullo titulo vero vel colorato occupauit.

Habens titulum coloratum potest conferre titulum coloratum.

Superior legitimus. Intrusus.

CASVS III.

Titulus ex Religionis sua instituto vouit Deo se nec directè nec indirectè præsenturum aliquam Prælationem.

Votum non ambiendi Prælati.

Quæritur I. An talis possit munusculis & officijs electorum beneuolentiã captare, eo animo, vt ipsum ex beneuolentiã eligant?

Quæritur II. An, si videat se eligendum in Priorè, vel Definitorum, possit aliquid agere vt eligatur potius in Definitorum. Similiter si in Vicariis, vel sociis cõmuni ad Capitulum certò eligendus sit, an possit alteri dare suffragium pro vno officio, vt per hoc alterum in se cadat?

Quæritur III. An, si detur optio vt è duobus Conuentibus eligat alterum cui debeat præesse, possit eligere quem placuerit?

Ad Primum: Respondeo, Qui ex Religionis suæ instituto vouet Deo, se nec directè, nec indirectè præsenturum aliquam prælationem, &c. si per

3

si per illud *praesumptum*, intelligat se nihil acturum ut Praelaturam assequatur, (quomodo verba illa videntur omnino intelligenda) non potest electoribus dare munuscula, vel praestare aliqua officia quae alioquin non esset praestiturus, eo animo, ut eorum benevolentiam caperet, & illum postea ex benevolentia eligat. Quamvis enim talis actus secundum se, & secundum circumstantias externas non sit actus ambitionis; ac proinde secundum probabilem sententiam multorum, non caderet sub praecipitum humanum, quo vetaretur absolute ambitus Praelaturae; tamen tendit ad obtinendam Praelaturam, saltem indirecte, nempe mediante benevolentia & amicitia, quam intendit directe & immediate. Itaque talis indirecte praetendit ad Praelaturam irrepere. Neque puto hac de re dubitandum. Indirecta enim praetentio ordinariè vix aliter fieri potest.

Volens non praetendere praelationem, peccat contra votum, etsi actus ille non sit actus ambitionis.

Non est hic simonia munitalis.

Fateor tamen tale non fore simoniacum mentalem: quia etsi verè intendat assequi Praelaturam per temporale obsequium vel munuscula; tamen abest pactum non solum expressum, sed etiam implicitum, quod ad simoniam necessariò requiritur.

Quòd si illud obsequium aequè benè deberet praestari à tali (v. g. ut si illius vices essent lauandi pedes hospitum, seu Electorum istorum eò venientium) & tunc intenderet eorum benevolentiam consequi, fortè hoc non esset contra votum: quia actus externus potiùs procedit ex debito officij, quam ex intentione ambitiosa; & ita illa intentio est merè interna.

Ad Secundum: Secunda quaestio duos casus complectitur. Ad priorem: Respondeo, qui obstricti tali voto videt se eligendum in Priorem, vel in Definitorum, non potest aliquid agere ut eligatur potiùs in Definitorum, quam in Priorem: hoc enim esset directè, vel indirectè praetendere officium cadens sub votum. Neque valet, si dicas, illum aequè benè, seu alioquin eligendum fuisse in Priorem: Impertinens enim est quòd alioquin eligendus sit in Priorem; est enim inter haec discrimen; cum Prioris officium plus habeat molestiae, nec cadat sub votum; Definitoris verò officium plus habeat honoris, & cadat sub votum.

Ad alterum: Si utrumque officium, nempe Vicarij, & socij euntis ad Capitulum, cadit sub votum, non possunt quidquam facere, ut hoc potiùs, quam illud obtineat; etiamsi certus sim quòd alterum in me cadet: sed debeo sincerè dare meum suffragium prout iudico coram Deo expedire, nulla habita ratione proprij commodi vel honoris: Alioquin erit saltem indirecta praetentio, quae per votum est illicita. *Directa* enim praetentio est, cum quis officium expressè petit, vel se commendat, vel rogat ut sibi detur suffragium &c. *Indirecta* verò, cum munuscula dantur ad obtinendam benevolentiam, per quam detur postea suffragium: vel cum alicui datur suffragium ad unum officium, ut suffragia ad aliud cadant in se, &c.

Directa praetentio.

Indirecta praetentio.

Ad Tertium: Respondeo, Si alicui datur optio ut è duobus Conuentibus eligat utri velit praesse, casu quo cogatur praesse alteri, potest eligere què placuerit. Electus tamen ad unum, non potest agere absolute ut transferatur ad alium, per cuniculos inducendo Superiores. Possit tamè rogare ut omnino liberetur, & si id nequeat obtinere, rogare ut ad alium Conuentum, ubi minus sit distractionis, & ubi melius Deo seruire queat, transferatur.

CASVS IV.

Ius eligendi summi Praelatum

Clemens V. in Concilio Viennensi Cap. Exiui. s. Demum, per haec verba, Declaramus, statuimus etiam, & ordinamus in hac constitutione in perpetuum valitura, statuit ut in Ordine Minorum penes Capitulum Prouinciale resideat electio Ministri Prouinciales, quam idem Capitulum die sequenti, qua fuerit congregatum, facere teneatur.

QVAERITVR Primo, *Utrum hic imponatur Fratribus praecipitum eligendi Ministrum suum Prouincialem?*

QVAERITVR Secundo, *Utrum Fratres bona conscientia possint recipere in Ministrum Prouincialem, eum, qui omissa ista electione, à Generali Ministro illis constituitur?*

QVAERITVR Tertio, *Si Generalis Minister iam consuevit per 40. annos Fratribus imponere Ministrum Prouincialem, An haec Clementina vim suam quo ad hanc electionem, amiserit?*

AD Primum: Respondeo, Non videtur haec constitutio obligare Fratres, ut hoc modo eligant; nullum enim est verbum quo hic modus electionis significetur praecipitum; sed solù datur potestas eligendi, & statuitur ut haec potestas sit in Capitulo Prouinciali. Ipsi autè Capitulo videtur praecipitum imponi, ut non differant ultra sequentem diem. Nam verbum (teneatur) iuxta communiorè & veriorè sententiam, praecipitum vim insinuat. Hoc tamen non obligat nisi supposito conuentu Prouinciali ad talem finem. Sic in quibusdam electionibus praecipitur ut electores non egrediantur nisi peracta electione, vel non possint vesci carne &c.

Verbum, Teneatur, continet praecipitum.

Ad Secundum: Respondeo, Non peccant Fratres recipiendo in Ministrum Prouincialem, eum, qui à Generali constituitur. Quamuis enim, quantum est ex vi huius Clementinae, possent talem non recipere, obijciendo id quod in fine huius Clementinae habetur *irritum esse* quod contra formam sic praescriptam actum fuerit, ut sciant qua potestate Generalis id fecerit; tamen nusquam id illis praecipitur. Unde, si velint, possunt illum recipere; quia in fauorem ipsorum haec forma à Papa inducta est, ut ex verbis Clementinae initio Paragraphi constat. Deinde possunt praesumere, Generalem id iure fecisse, v. g. speciali priuilegio Suae Sanctitatis, vel ob aliam causam ipsis occultam. Ita enim deest subditos sentire de suo Superiore, praesertim tam eminente, nisi de contrario constet.

Subditi possunt cedere iure eligendi per hanc Clement. concessio.

Quòd autem Generalis, non obstante illa Clementina, possit habere illam potestatem in aliquot casibus, rectè à R. V. probatur. In primo tamè casu non sufficit quod Electores mereatur priuari potestate eligendi; sed oportet quòd re ipsa per Canonem, vel sententiam sint priuati; ut patet ex Glossa in Cap. 2. de Postulat. In secundo debet esse aliquo modo notorium, bonum Prouinciae id postulare, ut si non reperiretur idoneus &c. Sed tertius est omnino certus, & Iuri conformis. Talis enim consuetudo tanto tempore durans, omnium Doctorum iudicio censetur legitime praescripta, ita ut etiam Ius Canonis tollere possit.

Generalis potest in certis casibus facere contra hanc Clement.

8
Clemen-
tina hac
sublata
per con-
suetudinem
vsum.

Ad Tertium: Respondeo, Supposito illo vsu per 40. annos, certum est illam Clementinam vim non habere, nec opus est ad reuocationem Sixtinam confugere. Quamuis satis probabile sit hanc reuocationem etiam illam Clementinam comprehendere. Nec obstat quod in Sixtina non habeatur clausula specialis derogatoria huius Clementina: quia sufficit clausula generalis: nam privilegium illud seu beneficium Sixti cum sit in privilegium integri Ordinis, æquatur Iuri communi, & constitutioni corpori Iuris insertæ; vt bene docet Henriques de Indulg. cap. 22. Verius tamen puto illam Clementinam non reuocari per Sixtinam: quia Clementina non tam continet onus, quàm fauorem, quem Sixtus non intendit tollere. Verùm sufficienter sublata censetur Clementina illa quoad illum §. *Denum*, per contrariū vsu tanto tempore continuatum; adeo vt non putem ea de re amplius superesse locum dubitandi: maximè cum secundum Doctores, duo vel tres actus sine oppositione cuiusquam facti à Generali sufficiant ad consuetudinem contrariam introducendam.

In electione Titij ad Prelaturam, suffragia fuerunt quodammodo publica, & ex pacto & cōspiratione Electorum Titio addicta.

Prelatus ex indebita Electorū conspiratione promotus.

QVÆRITVR, An electio sit valida? An etiam simoniaca?

Respondeo, Electionem Titij esse irritam, vel saltē irritandam per Iudicem: idque tum ob alias causas, tum maximè, quia suffragia fuerunt quodammodo publica, & addicta ex pacto vel promissione, & maximè suspecta de labe simoniaca, idque per priuatam coitionem & molitionem Electorum: quorum singula sufficiunt ad irritandam electionem, vtpote non sincerè, nec ex timore domini factam.

10
Electio hac est irrita vel irritanda.

Quod enim suffragia ita secreta esse debeant, quando per viam scrutiniij proceditur, vt ne socijs quidem innotescant, præsertim antè electionem peractam, manifestè colligitur ex Cap. *Quia propter*. De electione. Ea enim res impedit sinceritatem electionis. Idem passim tradunt Doctores. Sed maximè illi repugnat cōspiratio Electorum; & promissio qua alicui in particulari addicunt, & promittunt suum suffragium, & quod alios ad idem inducent. Talis enim electio non modò non est secreta, sed etiam publicè apud sæculares infamis & scandalosa: ac proinde nullo modo suscipienda.

Debet suffragia esse secreta

CASVS V.

Electio ad Prelaturam per scrutinium.

Virum, Quando in electione per scrutinium, eò peruenit, vt ex duobus qui plura ceteris suffragia habuerunt, eligendus sit alter à toto Capitulo, ita vt præter illos duos nullus sit amplius eligibilis: neuter illorum habeat amplius suffragium actiuum?

Respondeo, In tali casu equitas postulat vt neuter illorū habeat amplius suffragiū actiuum; nō solum quando vterque est præsens, & de Capitulo, sed etiam quando alter est absens, & alter præsens. Ratio est, quia tale ius suffragij actiui in istis vel est periculosū, vel est inutile. Est periculosum, quia cum is qui præsens est, videat se esse in proxima spe obtinendi dignitatem, facillè ab ambitione tentabitur vt sibi ipsi suffragium occultum det: & ita electio reddetur incerta & suspecta in ceteris Electoribus, si fortè ille solum vno voto absentem superet. Erit inutile, quia cum secundum iustitiam non possit sibi dare suffragium, omnibus statim constat in quem ipsius suffragium cadere deberet: ac proinde frustra illud daret. Deinde huic præsentī non relinquatur libertas iudicandi inter duos vel plures, sed necessariò, si eligendum est, debet eligere absentem: atqui frustra & irritum est suffragium quod non est liberū.

Tale suffragium est periculosum.

Est inutile.

Est iniquum.

Denique non solum inutile, sed etiam iniquum foret suffragium quod præsens daret absentī, & redundaret in ipsius præsentis iniuriam. Iniquum enim est vt inutile & coactum suffragium augeat numerum, & ex vi illius obtineat absens dignitatem: cum in paritate suffragiorum præsens si senior sit, debeat obtinere, iuxta priora illius Capituli statuta. Itaque sicut cum vterque est præsens & de Capitulo, neuter debet dare suffragium, ita neque is qui præsens est, debet dare absentī: alioqui conditio absentis esset melior quàm præsentis: si enim ille præsens fuisset, non obtinuisset dignitatem, vtpote iunior, ac proinde postponendus alteri seniori in suffragiorum paritate.

Quod si etiam conuiuia & symposia interueniant, redditur suspecta de simonia: imò omnino præsumitur talis: quia ista fieri censentur ad componendam promissionem Electorum, & ad animos eorum in promissis confirmandos. Itaque hic interuenit res temporalis pro spiritali, nempe conuiuia & symposia, pro electione futura: & pactum expressum ex parte Electorum, tum de Titio eligendo, tum de inducendis alijs vt ipsum eligant. Et quia secuta est electio, videtur hæc simonia realis completa vtriusque: & consequenter incurrent tam Electores, quàm electi, penas Iuris, quæ ex parte eligentium est excommunicatio lata sententiæ; ex parte Titij electi, excommunicatio, nullitas electionis, & inhabilitas ad idem beneficium. Patet Extrauag. *Cum detestabile*, de Simonia.

11
Neque ex pacto addicta.

Est hic simonia realis vtriusque completa.

His accedit quod etiam inter Electores, dum inter se conspirarunt, & mutuo promiserunt se electuros Titium, videatur esse manifesta simonia saltem iuris humani: obligant enim se mutuo, & vltro citroque promittunt se talem electuros; quia in re est simonia omnium Doctorum consensu, & electio inde secuta est irrita; vt patet Cap. *finali de Pactis*. & Cap. *Quæstum*. De rerum permutatione.

Est simonia iuris humani.

CASVS VII.

Titius Provincialis à nonnullis Religiosis iussu apud Episcopum vel Capitulum provinciale accusatus, citatus, & non comparens, depositus est ab officio; aliusque eius loco susceptus, reclamantibus nonnullis.

Prelatus depositus.

QVÆRITVR Primò, An censendus sit primus reus depositus?

QVÆRITVR Secundò, An secundus habendus sit legitimus successor?

QVÆ-

QVÆRITVR Tertio, An aliqui possint pergere adhaerere primo?

AD Primum: Respondeo, Supposita veritate eorum quæ hæc narrantur, nulla videtur ratio cur merito dubitari possit, quin iuste & legitime facta cenferi debeat illius Prouincialis depositio: Quia facta ab ijs qui ad hoc habent auctoritatem secundum Ordinis statuta, vel consuetudinem receptam & approbatam; & ob legitimam causam; accedente etiam contumacia, quæ sola posset sufficere; & secundum iuris ordinem præuia citatione, & probationibus criminis; & à Capitulo Prouinciali cognita causâ approbatâ. Non video quid amplius ad eius validitatem possit requiri.

Ad Secundum: Non video rationem cur dubitari possit de Prouincialis successoris electione cum facta sit à Capitulo Prouinciali debito modo celebrato &c.

Ad Tertium: Cum depositus sit priuatus omni iurisdictione & auctoritate Prouincialis, eaque legitime translata sit in alium; perspicuum est eos qui deposito adhærent, & successoris resistunt, duplici nomine rebelles censendos, & tanquam rebelles puniri posse: maximè cum hæc rebellio sit valde grauis, utpote tendens ad schisma in Ordine faciendum. Vnde etiam præuia canonica monitione; nisi resipiscant, & deserant tueri depositum; possunt per censuram excommunicatio nis compelli.

PRÆSCRIPTIO.

CASVS I.

Hæretici Catholicis permixti in aliqua Parochia viuentes, nec recipiunt, nec obseruant leges Ecclesiæ.

QVÆRITVR Primo, An illa continua non obseruatio liberet illos ab obligatione istarum legum?

QVÆRITVR Secundo, An saltem non liberentur ab illis legibus per non obseruationem si degentium in aliqua Parochia maior pars sit hæreticorum, quam Catholicorum?

QVÆRITVR Tertio, An saltem tempore longissimo, quale est X. L. annorum, vel etiam immemoriali, possint hæretici præscribere immunitatem contra leges Ecclesiasticas?

Discursus D. Tuzæ circa propositas hæc questiones Mussiponto ad me missas, est eruditus; aliqua tamen sentio addenda.

Ad Primum: Suppono, Ecclesiam, Concilium Oecumenicum, seu Summum Pontificem in quo est Ecclesiastica potestatis plenitudo, posse obligare etiam nolentes & non recipientes; neque scio vllum Doctorem qui id ausit negare, cum potestas ipsis non sit ab hominum collectione, sed immediate à Christo. Itaque cum Doctores dicunt Ecclesiæ legem non obligare nisi sit recepta, supponunt Ecclesiã non intendere aliter obligare, ne filios suos multis peccatis implicet, & graui illis incommoda inferat. At hoc in presenti casu supponi non potest respectu hæreticorum, qui ex cõ-

temptu Ecclesiæ legem reiciunt, & recipere nolunt. Quis enim credat Ecclesiam sua lege, quam tulit de matrimonijs clandestinis, non intendere obligare hæreticos qui in aliqua parochia sunt Catholicis permixti, si ipsi contumaciter legem reiciant? Et quidem si hæreticorum numerus ibi est minor, Catholicorum maior, & à Catholicis decretum illud recipiatur, non est dubitandum quin etiam hæretici teneantur. Quia omnes obligantur quando à maiore parte communitatis lex est recepta: tunc enim absolute recepta censetur. Itaque matrimonia illorum erunt inuvalida in eo loco, siue hæreticus cum hæreticâ, siue cum Catholica contrahat, nisi formam à Concilio præscriptam seruent; quia illa forma ibi absolute est recepta.

Ad Secundum: Idem sentio, etiamsi maior pars eorum qui sunt in illa parochia, sit hæreticorum, qui ex contemptu nolunt recipere. Quia nulla est ratio cur Ecclesiã vtatur illa benignitate aduersus suos rebelles: nimirum vt nolit eos communi lege adstringi, si eam non receperint.

Neque verum est ad essentiam legis requiri receptionem: nullus enim Doctorum hanc conditionem facit essentialem: alioqui etiam lex diuina positiua non obligaret, nisi recepta. Vnde vltimè sequitur, legem non habere rationem mutui contractus, ad quem necesse est coire duas voluntates: sed est absolutum imperium, ad cuius vim non requiritur vllus consensus ex parte eius cui imponitur, nisi fortè aliquando ex benignitate imperantis. In l. De quibus n. De legibus, agitur de legibus populi Romani, apud quem erat summum imperium. Addo, si rationes istæ essent validæ ad probandum intentum, sequeretur alia ratione leges ferri & imponi non posse; quod est contra communem sententiam Doctorum: & loquendo de legibus Ecclesiæ, puto esse erroneum.

Ad Tertium: An saltem tempore longissimo, vel immemoriali non possint hæretici præscribere immunitatem contra leges Ecclesiæ: Respondeo, Et si fortè non improbabiler id dici possit, ob quædam fundamenta, quæ breuitatis causa omitto: Verius tamen mihi videtur non posse. Ratio est duplex: Primo, Quia non censetur vnquam esse in bona fide seruando suam consuetudinem, quæ aperte consuetudini vniuersalis Ecclesiæ repugnat. At vt consuetudo vim legis accipiat, vel legem abroget, debet continuari per longum tempus bona fide. Et si enim consuetudo non bona fide inceperit, successu tamen temporis debet censeferi licita & legitima, ita vt illam seruando non peccent: alioqui erit corruptela & legis violatio, non consuetudo rationabilis; ac proinde vim legis non poterit tollere. Secundo, Quia consuetudo non potest tollere vim legis nisi ex tacito vel expresse consensu Principis; quod maximè locum habet in legibus Ecclesiæ ob causam supra inueniatam, quod iam non probo, sed suppono. Atqui non præsumitur Ecclesiã consentire in illas consuetudines, aut eximere illos à communi lege, cum sint rebelles Ecclesiæ, neque vllum hac in re fauorem aut benignitatem mereantur. Alioqui magnum ex sua contumacia commodum mererentur. Et sanè mirum esset hæreticos esse exemptos à ieiunijs, à carniū abstinentia, à cultu festorum, ab impedimentis matrimoniij iure Ecclesiastico inductis, & similibus; eò quod ipsi, Ec-

Vbi maior pars est Catholicorum,

Vbi maior pars hæreticorum.

Soluuntur obiectiones, quod ad essentiam legis requiritur receptio.

Hæretici nunquam præscribunt contra leges Ecclesiæ.

1. quia deest bona fides.

2. quia deest consensus legislatoris.

Præscriptio hæreticorum contra leges Ecclesiæ.

Ecclesiã potest obligare nolentes & non recipientes

clesiæ auctoritate contempta, aliam consuetudinem seruant &c. Idem confirmat vsus Ecclesiæ; nam simulatque ad fidem redeunt, statim Ecclesiæ consuetudinibus obstringuntur, & matrimonia in gradibus prohibitis, vel cum alijs impedimentis ab Ecclesia constitutis inita, dissoluntur.

Consuetudo irritare potest matrimonium absque Parocho contractum.

CASVS II.

In quibusdam Gallia locis, & alibi, consuetudine introductum est, vt matrimonium absque Parocho contractum censeatur irritum.

QVÆRITVR, An illa consuetudo vim habeat legis, & cuius legis?

RESPONDEO, Consuetudo legitime præscripta habet vim legis: ac proinde potest introducere impedimentum dirimens, & id quod antè erat impedimentum dirimens, facere non dirimens. Vnde si in Gallia, vel alibi, fuit consuetudo introducta, etiam vbi Concilij Tridentini decretum non est peruulgatum, vt matrimonium absque Parocho contractum censeatur irritum, credo ex vi huius consuetudinis verè esse irritum.

Nec refert quòd huiusmodi consuetudo per constitutiones regias, seu occasione earum, introducta fuerit: quia etsi Princeps cum Episcopis regni non possit introducere aliquid nouum impedimentum dirimens, eò quòd ea potestas ratione Sacramenti seruetur Summo Pontifici, vt passim Doctores tradunt; tamen consuetudo orta ratione talis constitutionis, si legitime præscripta fuerit, potest hanc vim habere; non à potestate Principis vel Episcoporum, sed ex tacito consensu Papæ, qui eam tunc vult valere; vt colligitur ex Cap. finali de Consuet. Simili modo potest consuetudine fieri, vt professio ante annum 16. ætatis facta, sit valida, sicut erat ante Concilium Tridentinum; vt rectè docet Nauarrus in Consilij. tit. de Regular. Consil. 28.

Hac consuetudo tacite censetur approbata à Papa.

CASVS III.

Actio pro & contra Præscriptionem. Titius putat se legitima præscriptione acquisisse bona Cai: Caius verò putat præscriptionem illam esse illegitimam.

QVÆRITVR, Quomodo vterque iuri se posevit?

RESPONDEO, Etsi is qui putat se aliquid iuste præscriptione acquisiuisse, possit illud retinere, ac se iuri, donec per sententiam euincatur &c: tamen is, contra quem præscriptum est, si putat non legitime factum, potest exigere solutionem pensionum cassarum; & si opus sit, petere à Principe restitutionem in integrum, causis allegatis. Ita enim auctoritate Principis fit translatio dominij per præscriptionem, vt ex causa possit eiusdem Principis auctoritate concedi restitutio in integrum. Et sic non datur bellum vtrimque iustum seposita ignorantia: Si enim agatur, Vtrum sit legitime facta præscriptio, necesse est alterum errare: Si autem petatur restitutio in integrum, hoc non repugnat intentioni quæ alter re detinet, nec vult eam relinquere ante sententiam.

Actio pro & contra Præscriptionem.

CASVS IV.

Vtrum consuetudo ducentorum annorum, vel alia immemorialis, impendendi duas tertias partes reddituum Mandati (qui supponuntur relictæ ad opus eleëmofynæ in usum pauperum) in stipendia ministrorum, luminaria, & fabricam, eam vim habeat, vt potuerit illos redditus transferre in dominiũ Capituli, ita vt Capitulum possit in posterum hanc consuetudinem seruare; nec teneatur ad restitutionem ipsi pauperibus?

SUPPONO hanc consuetudinem esse immemoriam, vt Doctores loquuntur. Constat enim eam superare centum annos; & de eius initio nullam extare memoriam: quod satis esse, vt consuetudo immemorialis censeatur, docet Couarruias Reg. possessor. p. 2. §. 3. n. 7. & 8.

PORRO consuetudinis & possessionis immemorialis ea vis est, vt titulum non requirat, & præsumptionem bonæ fidei inducat, etiam si iuris præsumptio ipsi factò obstat, vt communiter docent Doctores, & colligitur apertè ex Cap. 1. de Præscript. in 6.

HOC tamen intelligendum, nisi de mala fide constet: certitudo enim de contrario excludit præsumptionem contrarij. Vnde quando constat mala fide consuetudinem vel possessionem continuatam, etiã per tempus immemorabile nulla nascitur præscriptio: Regula Possessor mala fidei. de Reg. Iuris in 6.

ITAQUE tota quaestio huc reuocatur, Vtrum ita constet de mala fide, vt elidatur præsumptio bonæ fidei, quam inducit immemorialis consuetudo vel possessio. Mihi sanè non videtur villo modo de mala fide hic constare. Incredibile enim est Capitulum, in quo tot viri doctrina & pietate insignes extiterit per ducentos pænè annos, in mala fide fuisse, & redditus illos contra suam conscientiam, vel saltem conscientia dubia in istos vsus impendisse. Sic enim omnes iniqui & scelerati fuissent: quod nullo modo est præsumendum. Deinde, si iniquè & mala fide isti redditus sic impendebantur, quomodo nemo vel è Capitulo, vel ex alijs Canonicorum Collegijs, de hac iniquitate vel Episcopum vel Summum Pontificem monuit? Cur Decani aliarum Ecclesiarum, quibus commissa erat cura & auctoritas exequendi Mandatũ Apostolicum de non conuertendis illis redditibus in alios, quàm pauperum vsus, non se commouerunt, & opposuerunt tam apertè iniquitati? Cur pauperum curatores qui in oppidis solent constitui, non sunt conquesti?

HÆC & alia huiusmodi insinuant aliquid subesse quod nos later, ratione cuius iniqua non fuerit visa talis vsurpatio: nimirum, vel concessionem aliquam Summi Pontificis saltem ad tempus, quæ postea fuerit vel vsu inculpatò, vel priuilegio prorogata; vel bonam fidem Capituli, & aliorum existimantium quamuis piam causam sub nomine pauperum posse comprehendere; vel tenuitatè præbendarum quæ ad sustentationem Canonicorum & cultus diuini non sufficerent, & ita ipsos Canonicos potuisse inter pauperes censi. Quibus omnibus perpensis, non video sufficiens fundamentum ad consuetudinem tam antiquam iniustitiæ damnandam.

CASVS

Consuetudo immemorialis, qua?

Eius effectus.

Nisi subsistat mala fides.

Signa bonæ fidei in hoc casu.

Vnde hic bona fides hic orta.

CASVS V.

Præscri-
ptio con-
tra absti-
nentiam
à carni-
bus.

In aliquo Ordine solebant Religiosi ex prima-
ria institutione à carnibus abstinere: sed
contraria consuetudine esus carniū sensim
inductus est.

QVÆRITVR Primò, An bonâ conscientia
possint Religiosi illi pergere in usu car-
niū?

QVÆRITVR Secundò, An Religiosi tenean-
tur admittere reformationem, qua Superior
priorem usum vult inducere?

8 **E**xpensus ijs, quæ hîc, tum ex Bulla Sixti IV.
tum ex Bulla Benedicti XII. notantur: &
considerata consuetudine in contrarium: Respon-
deo, Religiosos illius Ordinis in monasterio, vbi
neque talis Bulla, neque Regula de carniū ab-
stinentia ab hominū memoria fuit seruata, sed
contrarium vsu practicum, non obligari ad car-
niū abstinentiam, sed posse absque scrupulo car-
nibus vesci iuxta consuetudinem receptam.

Consuetu-
do hîc est
legitimè
præscripta.

Ratio est, quia omnis lex positua humana, et-
iam si à Papa vel Concilio Oecumenico sit lata,
vel confirmata, potest aboleri, ita vt vim obligan-
di amplius non habeat per consuetudinem ratio-
nabilem legitimè præscriptam, vt passim tradunt
Doctores, & colligitur ex constitutione Gregorij
IX. Cap. finali, de Consuetudine. De qua re vi-
deri potest Couarruias lib. 3. Variarū c. 13. n. 4.
Vt verò consuetudo sit legitimè præscripta, suffi-
ciunt anni 40. ex omnium DD. sententia. Hic
autem non solum sunt anni 40. quibus illa con-
suetudo vescendi carnibus in isto monasterio
viguit, sed multo plures, videlicet tempus me-
moriarū hominū superans, vt refertur in spe-
cie facti.

Est etiam
rationabi-
liss.

Quòd etiam illa consuetudo sit rationabilis, pa-
tet; quia Religiosum vesci carnibus nihil per se
habet rationi repugnans, nec id vlli iuri diuino
aut naturali aduersatur. Itaque bonâ conscientia
potest illis Superior vsus carniū permittere, nō
oblante Bulla prædicta, aut Regula præscripta.
Similiter etiam ipse bonâ conscientia potest car-
nibus vesci, iuxta Decessorum eius receptam con-
suetudinem.

9
Subditio-
nentur il-
lam refor-
mationem
admittere.

Vtrum verò Religiosi teneantur admittere eā
reformationē qua Superior priorem vsus vellet
inducere, alia quæstio est. Valdè verisimile est, ten-
neri eam admittere, cum sit secundum primariā
institutionem, nisi à Sede Apostolica habeant in-
dultum vt carne vesci possint. Hoc ipso enim quo
profitentur, & inferuntur Religioni, tacitè cen-
sentur se obligare ad rationabilem reformationē
acceptandam quæ Regula sit conformis, si ali-
quando introducatur. Contrarium enim esset
perniciosum; quia impediretur via ad maiorem
perfectionem, & ad rationabilem Regula instau-
rationem: qua de re multa dici possent.

NOTA ad
proximam.

Verum non facile Superior talia tentare debet,
sed in omnibus considerare quid magis expediat
ad Dei gloriam, & subditorum salutem. Sanè
melius est vt benè contenti vescantur moderatè
carnibus, sicut plerisque locis Benedictini, & alij
faciunt, quàm vt cum murmure & interna animi

perturbatione vescantur piscibus aut oleribus.
Esca enim per se nos Deo non commendat: nec
regnum Dei est in qualitate cibi, sed in charitate,
pace & gaudio in Spiritu sancto.

CASVS VI.

Abbas Pamphilus cum lustrat antiquas mo-
nasterij sui fundationes, inuenit quasdam
factas à Religiosis, alias ab Abbatibus, alias
à Prioribus, quæ tamen iam inde à 100. an-
nis non sint in usu.

Præscri-
ptio mona-
sterij cō-
tra pias
suorum
fundatio-
nes.

QVÆRITVR, An tanti temporis non vsus præ-
scripserit seu extinxerit illas fundationes:
adeò vt Abbas Pamphilus non teneatur eas-
dem ad vsus præstinos reuocare?

10 **R**espondeo, Si fundationes istæ Monachorū
ab exordio sui assidue fuissent in vigore, du-
rum videretur illas post tanti temporis continua-
tionem subito abolere eo nomine, quòd ex bonis
monasterij videantur fundatæ. Verum quia iam
à centum annis putantur fuisse omisæ, & in spe-
cie abolitæ, suffectis in earum locum ijs quæ in
reformatione Bursfeldensi præscribuntur, minor
est difficultas: quia tanti temporis continuatio
ijs non suffragatur: quin imò centum annorum
omissio contra eas pugnat. Quare non tenetur
Prælati eas reuocare in vsus, mutato Breuiario
Bursfeldensi in Romanum, nisi constet illas ex
bonis alienis, non ex ijs quæ erant monasterij fa-
ctas esse.

10

Et sanè quod attinet ad fundationes factas à
Religiosis ex bonis cōquisitis ab amicis, vel aliun-
de quàm ex beneficio; cum illa ad monasterium
statim ipso iure pertineant, non videtur ex illis
potuisse fieri fundatio, ad quam monasterium ex
iusticia obligaretur; quia per ea monasterium nihil
accipit, nisi quod suum est: Nemo autem suis sti-
pendijs militat se militia obstringens vinculo ius-
titia. Quòd autem se obligari putarit, est ex ig-
norantia; sicut & Religiosi tunc temporis ex ig-
norantia putabant se posse habere proprium. Qua-
re tales fundationes facile possunt omitti; præ-
sertim à Successoribus, qui nihil promiserunt,
neque etiam voto vel iuramento Antecessorum
tenentur.

11
Religiosi
omniat
quis un
monaste-
rio.

Idem dicendum de fundationibus factis ab Ab-
batibus, si ipsa dignitas Abbatialis non habet
propria bona sibi assignata: quia tunc omnia sunt
communis; & quidquid Abbas acquirat, non ac-
quirat dignitati, sed communitati. Si verò digni-
tas illa haberet bona propria legitimè annexa,
alia videretur ratio; quia ex illis bonis videtur
Abbas posse facere fundationē in suo monasterio,
sicut alibi: nec video cur monasterium non possit
obligari si cum illo contrahat; quia accipit ab illo
bona quæ ad monasterium non pertinebant. Idem
videtur dicendum de bonis acquisitis ab amicis
eo tempore quo fuit in dignitate: censentur enim
acquisita dignitati.

12
Abbas ex
bonis sibi
proprijs
potest obli-
gare mo-
nasterium.

Interdum facta diuisione bonorum distingun-
tur bona Abbatiali dignitati vel mensæ assigna-
ta, à bonis monasterij. Verum hoc non satis est
vt illa dignitas dicatur habere bona propria, nisi
hæc diuisio, & assignatio sit approbata à Sede Apo-
stolica, si monasterium erat exemptum; vel certè
ab Episc.

eopo, si non erat exemptum. Quia dignitates cum certis fructibus (qui postea non possunt à titulo diuelli) instituere, solius est Summi Pontificis, vel Episcopi.

13 Eodem modo dicendum erit de Prioratu. Si enim Prioratus habebat bona propria legitime sibi annexa, vel si Prior eo tempore quo in dignitate fuit, bona ab amicis acquisiuit, quæ dignitati eius acquisita censentur, potuit de ijs cum Monasterio transigere & fundationes instituere. Si verò non habebat bona propria, sed solùm communia, non potuit monasteriũ obligare: & omnis obligatio quæ intercessit, profecta videtur ex ignorantia, ac proinde nullius momenti; quia fuit error in substantia contractus.

His omnibus, alijsque, quæ narrantur in casu proposito, consideratis & perpensis, videtur mihi valdè probabile in hac reformatione non teneri D. Prælaturũ reuocare in vsum fundationes à Religiosis vel Abbate illius monasterij in eodẽ monasterio institutas.

Vtrum Prior ex bonis sui Prioratus possit tales fundationes facere, adeo vt contra religiosam paupertatem nõ peccet, vide supra V. Religiosa paupertas. Casu 8.

CASVS VII.

§. 1.

14 Titius nobilis pluribus annis vixit cum Martha, eadem viens vt vxore; quam & vxorem suam esse sepius coram Notario & testibus iurauit; sed nullius presentis testimonio probare potuit se cum ea matrimonium contraxisse. Procreatis verò ex ea prolibus, ipsa adhuc viuente, solemniter & in facie Ecclesia ducit Caiam nobilem, iuramento item addito iam suo, quam Marthæ, se cum Martha nunquam legitime contraxisse.

14 QUÆRITVR, Vtrius filij habendi sint legitimi; Martha an Caia?

14 P Erpensa specie facti, probationibus & præsumptionibus vtriusque partis, Iuris peritorum responsis, & Iudicium sententijs: tria mihi, saluo meliore iudicio, dicenda sunt.

Solemne matrimonium præferitur cuius præsumptio.

Primò, In foro externo matrimonium Titij cum Caia debere pronuntiarì legitimũ absolutè: quia cõtra solemnem contractum secundum formam Iuris initum, nullæ valent præsumptiones, quãtumuis sint multe & magne. Vnde si viuerent istæ tres personæ, scilicet Titius, Caia, & Martha, etiam per sententiam excommunicationis cogendus esset Titius redire ad Caiam, quam solemniter duxit, eamque, vt vxorem legitimam, tractare; & separandus esset à Martha. Quod confirmat sententia Officialis Attrebatensis, quæ omnium prima, & legitime lata fuit, & in rem iudicatam transijt.

15 Secundò, Etiam si pro matrimonio Titij cum Martha sint plurimæ præsumptiones, & quædam valdè vehementes, quæ rem in se possunt reddere dubiam; non sunt tamen nisi præsumptiones & coniecturæ, non autem certæ & indubitatæ probationes. Vnde non sufficiunt vt post secundum matrimonium, Iudex possit iudicare illud matrimonium interuenisse, aut validè fuisse contractũ,

sed necessariò debet iudicare illud fuisse nullum. Ratio est, quia non potest iudicare vtrumque matrimonium fuisse validum; sed alterum validum, alterum nullum. Tenetur autem secundum pronuntiare validum propter solemnitatem contractus, vt dictum est. Ergo primum debet pronuntiarì nullum.

Tertiò, Hinc rectè inferri videtur, proles ex Martha susceptas, non posse in foro externo pronuntiarì legitimas. Vbi enim non potest præsumi legitimum matrimonium, saltem fide contrahentium, non præsumuntur filij legitimi. Legitimi enim dicuntur quæ ex vero vel putatiuo matrimonio, bona fide partium inito, nascuntur. Atqui Iudex hic non præsumit legitimum matrimonium; neque præsumit hic aliquem matrimonij contractum bonæ fide intercessisse; sicut eum subest occultum impedimentum dirimens; sed potius præsumit omnia simulatè acta ad libidinem explendam. Ergo non potest pronuntiare liberos legitimos. Hoc ipso enim quo pronuntiantur filij legitimi, tacitè pronuntietur de matrimonio, illud habendum esse pro legitimo; etiamsi fortè coram Deo tale non fuerit. Atqui hoc est contrarium alteri sententiæ, quæ iudicat secundum esse habendum pro legitimo. Non potest autem Iudex contraria vel alyrata pronuntiare præsumenda. Cum enim expressè debeat pronuntiare secundum matrimonium fuisse & habendum esse legitimum; quomodo poterit implicite & in effectu iudicare primum habendum pro legitimo, aut primum verè aut bona fide fuisse contractum; sed ob occultum impedimentum fuisse irritum, cum nullius talis impedimenti fiat mentio?

Nec obstat quòd Titius & Martha sepius iureiurando coram Notario & testibus deposuerunt se verè coniunctos fuisse: quia si his in foro externo esset credendum, non deberet nec posset Ecclesia matrimonium cum Caia validum pronuntiare, quòd tamen tenetur facere, vt dictum est.

17 Similiter non refert quòd causa legitimitatis & matrimonij sit fauorabilis: hoc enim intelligendũ est in dubio, & quando causa maioris momenti non obstat. Hic autem causa maioris momenti interuenit, nimirum solemne matrimonium cum Caia, quòd pronuntianum est fuisse validũ.

Neque verum est liberos Marthæ esse in quasi possessione legitimitatis, ac proinde onus probationis incumbere liberis Caiæ. Quia postquam constat per sententiã de matrimonio legitimo Caiæ, præsumuntur omnia priora inualida, & ipsi præsumuntur illegitimi: vnde ipsis probatio incumbit. Cum autem non habeant vllas probationes certas, sed solas præsumptiones, quæ per contrarias præsumptiones, & maxime per iuramenta Titij & Marthæ præuia matrimonio inito cum Caia, & per ipsum solemne matrimonij contractum, abundè eliduntur; non video qua ratione illis in foro externo magnopere prodesse possint ad sententiam suæ legitimitatis obtinendam.

§. 2.

15 Titius Caia superstes inductus à prolibus Martha, & ab ysdem coram Iudice Ecclesiastico citatus, declarauit eas ex legitimo connubio suo cum Martha susceptas. Iudex non euocatus ad contradicendum Caiæ prolibus, pronuntians

Martha proles non possunt censeri legitime in foro externo.

Quinam dicendi sint legitimi.

Index contraria edicere non potest.

Quando nam iudicium matrimonium.

Martha proles non censentur in possessione legitimitatis.

nantia aut legitimas Titij & Marthæ esse proles, qua proinde paternam præstentur hæreditatem. Proles Caiæ Iurium ignare ab hac sententia pronocant: quo factio videtur eam pro sententia legitima agnoscere: atque ad eò tres sententias conformes (dua namque præterea pro legitimitate prolium Titij & Marthæ lata fuerunt) contra se latis debere fateri.

QVÆRITVR, An triplex illa sententia pro prolium Marthæ tanquam legitimis lata, efficiat ut Iudex, ad quem ultimè hæc lis defertur, debeat pronuntiare pro prolium Marthæ, contra proles Caiæ?

18
Ter victus in iudicio contradi. Torio non potest ulterius appellare.

Dico Primò, Regula illa Iurisconsultorum, Post tres sententias conformes non posse ulterius appellari, omnino intelligenda est de tribus sententijs, quibus appellans fuit ter victus in iudicio contradictorio. Nolunt enim Iura, eum, qui ter totis viribus coram tribus Iudicibus pro suo iure contendit, & eorum sententijs occubuit, amplius iure experiri, sed sententiam mandari executioni: Tria enim, vt veteres dicebant, sunt omnia. Itaque Iudicium illud, in quo quis non potuit iure contendere, non potest illi nocere; neque ille in eo potest ceteri succubuisse. Nemo potest dici victus in certamine cui non potuit adesse, in quo vires suas non potuit depromere. Quid autem est aliud Iudicium, quàm certamen quoddam iurij? Pessimi res esset exempli si huiusmodi Iudicia parti nocerent. Facile enim est Iudicibus obrepere, & rem collusionem peragere.

19
Non est iudicium contradictorium ubi una pars colludit, & habens interesse non citatur.

Dico Secundò, Prima sententia in fauorem liberorum Marthæ lata à D. Officiali Mechliniensis anno 1599. die 26. Aprilis omnino videtur fuisse irrita, vt bene probantur clarissimi Iurisconsulti Duacenses. Confirmatur hac ratione: Quia in ea perinde actum est ac si Titius cum filijs, quos ex Marthæ suscepit, iuissent ad D. Officialem, & vnanimi consensu petissent ab eo declarari ipsi Titio cum Marthæ intercessisse verum & ratum matrimonium, & se esse legitimas eorum proles. Atqui certum est talem declarationem fore omnino irritam quatenus in præiudicium aliorum potest cedere. Nec refert quòd modo iudicario processerint curando parentem citari, & per sententiam ad hoc condemnari vt eos pro legitimis haberet &c. quia ita fuerat inter eos conuentum, vt ex actis constat. Vnde in re ipsa nihil fuit nisi mera collusio & conuentio ad obtinendam huiusmodi declarationem in præiudicium matrimonij initi cum Caiæ, & posterorum ex ea descendentiũ. Illa enim simulata Iudicij forma non mutat substantiam facti. Ex quo patet nullum fuisse hæc Iudicium contradictorium, nullam sententiam verè iudicariam, cum solùm vna fuerit pars, & altera pars cuius intererat, quæ se debebat opponere, non fuerit citata. Non enim potest dici contradictor in Iudicio, qui est collusor & concors, & hoc agit vt in præiudicium tertij, pars, à qua se curat citari, sententiam obtineat. Quòd autem hæreses Caiæ necessariò citari debuerint, optimè probatum est à clarissimis Doctoribus Duacensibus: quia cedebat res in maximum eorum præiudicium. Si enim matrimonium Titij cum Marthæ

est verum & ratum; necessariò consequens est matrimonium cum Caiæ fuisse irritum; & consequenter proles non esse ex legitimo toro, vnde etiam carebunt successione familiæ paternæ &c. Quid nobilibus potest esse grauius?

Ex quibus patet Iudicem fuisse deceptũ. Certum enim est, si sciisset rem in tantum aliorum præiudicium cessuram, non tam facillè sententiam fuisse laturum, nisi prius audita parte, vt officium Iudicis postulat. Similiter si sciisset sententiam ante annos 28. à D. Officiali Attrebatensi in legitimo Iudicio latam pro matrimonio Caiæ, nullo modo voluisset ferre sententiam illi repugnantem, nisi re maturis examinata. Itaque hæc sententia omnino nulla censenda, nec facit ad numerum vt possint dici tres sententiæ.

Sententia hæc lata, est nullã.

Neque his obstat, quòd hæreses Caiæ, appellando videantur eam pro sententia iudiciaria, quæ ipsis nocere posset, agnoscere: Id enim ex ignorantia factum est: Si enim sciuisent modum procedendi Iuris, non debuissent illam curare, sed nouum iudicium ordiri nullà illius habitã ratione.

Appellatio ab ea facta non debet appellari.

Nec refert quòd ea ignorantia fuerit Iuris, quæ in foro externo obest: quia hæc toleratur in minore, in rustico, & in muliere, & in milite, ita vt illis non obstat, vt docet Molina Iureconsult. lib. 2. de Primogenijs cap. 6. n. 69. vbi etiam docet cum hac ignorantia istos posse præscribere. Non enim patitur æquitas, vt isti, in quibus non præsumitur talium subtilitatum notitia, ob huiusmodi errores ius suum amittant. Atqui appellans erat vir militaris, parũ gnarus rerum fori contentiosi.

Dico Tertio, Etiam si concederetur fuisse tres sententias validè latis (quod tamen concedendum non est:) tamen non impediunt appellationem, quia non sunt vniformes, vt ostensum est à Iureconsultis Duacensibus. Et quamuis essent vniformes, ob magnum præiudicium potest dari contra illas restitutio in integrum, vt iisdem rebus probant; idque non solum pro minoribus, sed etiam pro maioribus; vt ostendit ex multis Doctoribus Thomas Marchius lib. 7. de matrimonio disput. 37. n. 22. & lib. 10. disput. 9. n. 7.

20
Contra tres sententias conformes potest dari restitutio in integrum.

Dico Quarto, Matrimonium secundum in facie Ecclesiæ contractum, præferendum est priori clandestino, etiam si prius vno teste & famâ probatum esset, & secundum, duobus tantum testibus probaretur. Ita Vincentius in Capitulum 2. de clandest. desponsat. quem sequuntur Abbas, & alij Doctores in dictũ Cap. 2. Et Felinus in Cap. 1. Vt lite non contestata, n. 2. Quam sententiam esse communem dicit Sencinas consil. 129. & Aretinus consil. 13. in 3. dub. Vide Couarruiam tom. 1. p. 2. de Impedimentis matrimonij n. 14. p. 173. vbi citat alios. Faber in suo Codice p. Decisiones Tholosanæ. Et tamen fama cum vno teste in alijs facit plenam probationem.

21
Secundum matrimonium solemne præferendum priori clandestino.

Hoc si verum est, quanto magis præferendum erit secundum matrimonium in facie Ecclesiæ contractũ quod plurimis testibus probari potest, matrimonio clandestino priori, quod solã famâ & quibusdam indicijs, nullo autem teste probari potest? Sanè fama & illa indicia non faciunt plenam probationem, sed solum præsumptionem vehementẽ generant, quàm tamen iuramenta contraria, & contractus solemnitè initus facillè elidunt.

Hinc

22 *Conclusio.* Hinc clarè videtur inferri, non posse proles Marthæ pronuntiarì legitimas: quia sic matrimonium clandestinum ex solis præsumptionibus præferretur matrimonio solemnè contracto in facie Ecclesiæ. Hoc ipso enim quo pronuntiantur proles illæ legitimæ, matrimonium prius pronuntiatum: & consequenter secundum irritum. His addi possunt rationes in 1. §. deductæ. Ex quibus perspicuè concludi videtur partes Iudicis esse vt matrimonium secundum declaret fuisse legitimum & ratum, & proles ex eo susceptas legitimas.

PRIVILEGIUM.

CASVS I.

Privilegium benedicendi vasa sacra & Altaria.

Iulius II. concessit cuidam Abbati privilegium benedicendi vasa Sacra Et vt ex antiquis monumentis colligitur, videtur Abbas ille aliquando Altaria consecrasset.

QVÆRITVR Primò, Quid hic intelligatur nomine Benedictionis, & nomine Vasorum Sacrorum.

QVÆRITVR Secundò, Vtrum modernus Abbas possit consecrare Altaria?

23 **A**D Primum: Resp. Primò, Nominè Benedictionis sæpè intelligitur etiã ea benedictio quæ fit cum vntione chrisimatis: quia hoc nomen est generale, & comprehendit etiam consecrationem; vt patet non solum apud Doctores Siluestrum, Angelum, & alios, sed etiam ex Pontificali Romano. Et hoc modo non dubito quin etiã in hac Bulla Iulij II. vsurpetur.

Respondeo Secundò, Nominè vasorum Sacrorum in hoc privilegio maximè Calices vidètur intelligi; hi enim propriissimè sic appellantur. Alia vasa Sacra non opus habent benedictione: quia nullum Ius requirit vt vel Monstrantia, vel Ciborium benedicatur, quamvis etiam aliqua benedictio illis adhiberi possit. Vnde non dubito quin hic concedatur Abbati consecratio Calicum monasterio necessariorum. Neque hoc nouum videri debet; quia Zabarella in Clementinâ, Attendentes de statu Regularium, aliq̃ue docent Abbatem vtentem insignibus Episcopalibus posse de consuetudine Calices consecrare: mirum ergo videri non debet si id fiat expresso privilegio.

Ad Secundum: Neminem reperio qui Abbati cõcedat facultatem benedicendi seu consecrandi Altaria. Tamen dubium non est, quin Papa possit eam concedere. Sentio tamen Abbatem istum nõ posse in posterum vti hoc privilegio consecrandi Altaria: quia per non vsum tanti temporis videtur illud amisisse, Episcopo contra Abbatem præscribente, quod intelligo, si occasio fuit eo privilegio vtendi, & aliquoties non est vsum, aduocato ad hoc Episcopo.

Vtrum autem Abbas qui monasterij sui calices consecrare potest, possit etiam, accedente saltem Ordinariorum licentiâ, externorum calices consecrare, vide qua dicta sunt supra V. Consecratio. Casu 1.

CASVS II.

Privilegij per-diti recuperatio.

Vtrum privilegium alicuius monasterij Superioris negligentia amissum, possit solâ monasterij auctoritate resummi?

24 **R**espondeo, Privilegium per cessionem, non vsum, vel reuocationem Superioris in aliquo monasterio amissum, non potest resummi ab eodem monasterio propria auctoritate, sed debet descendere à Superiore, nempe à Generali vel Provinciali. Privilegia enim Ordini conceduntur, sic tamen vt ad singulos debeant descendere secundû Superiorum ordinationem. Et hoc modo potest privilegium illud in aliquo loco amissum restituui. *Similem ferè casum vide supra V. Bona Ecclesiæ Casu 8.*

CASVS III.

Communicat Pontifex alicui Ordini privilegia alijs Ordinibus concessa.

Communicatio Privilegiorum.

QVÆRITVR, An ea communicatio extendatur ad tempus præteritum & futurum?

26 **R**espondeo, Communicatio illa, qua communicantur privilegia alijs Ordinibus concessa, non est extendenda nisi ad concessa vsque ad illud tempus, non autem ad concedenda in posterum, nisi id exprimat. Ratio est, quia quando Pontifices volunt ita extendi, id aperte exprimunt hac vel simili clausula: *Et in posterum concedendis.* Vnde quando id non exprimitur, censetur non fieri talis extensio. Est enim contra proprietatè verborum. Verba privilegiorum non plus operantur, quàm secundum suam proprietatem significant.

Illud autem speciale privilegium Clementis I V. puto extendi ad omnes casus siue ante siue post illam cessionem referuatos: quia est Iuris communis vt Prælatus possit eligere Confessorum, qui ipsum absoluat ab omnibus casibus & censuris, à quibus ipse potest absolvere suos subditos: quia non debet esse peioris conditionis, quàm subditi.

Superior potest eligere Confessorem, & quo absoluitur a referuatis.

PROFESSIO RELIGIOSA INVALIDA.

CASVS I.

Virgo quedam annorum tredecim anno Domini 1565. professionem Delphis in Hollandia fecit. Postea nupsit, & proles procreavit.

Professio ante expletam aetatem.

QVÆRITVR, An professio fuerit valida? An validum matrimonium?

1 **V**idetur professio fuisse valida. Quia eo tempore Delphis Concilium Tridentinum non erat promulgatum, vt refertur: primùm enim Louanij dicitur promulgatum anno 1567. ac proinde manebat ius antiquum, quod solum 12. annos in puella expletos requirit.

Respondeo, Multò probabilius esse, hanc professionem fuisse inuvalidam. Ratio est, quia decreto Concilij Trident. sess. 25. cap. 15. de Regularibus, professio facta ante annum sextum decimum aetatis expletum, redditur irrita his verbis: *Professio antea facta, sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius Regule, vel Religionis, vel Ordinis obseruationem, aut ad alios quoscunque effectus.* Hoc autem decretum tum temporis vim habebat. Quia etsi fortè non esset illo anno promulgatum Delphis, tamen erat promulgatû Romæ; vt patet ex Bulla confirmationis Pij IV. Fuit enim Romæ confirmatum

Professio fuit inuvalida.

Promulgatio Tridentini Romae facta, ubique obligat.

matum & promulgatum anno 1563. 7. Cal. Februuar. Atqui probabilior, & ferè communis sententia tradit decreta Conciliorum, & Summorum Pontificum non egere promulgatione in Prouincia, vt incipiant obligare, sed sufficere promulgationem solemnem ritu factam Romae: qua facta, vbi que vim & robur habere. Quod etiam seruat stilus Curiae Romanae. Vnde Summus Pontifex in Bulla Confirmationis non iubet illa amplius promulgari, sed in virtute sanctae obedientiae praecepti ea tanquam sufficienter promulgata vbi que diligenter & inuolabiter tam in iudicio quam extra iudicium obseruari. Hinc sequitur hoc decretum anno 1565. Delphis vim & robur habuisse, & consequenter professionem fuisse inualidam.

2. Matrimonium est validum.

Quod si inualida professio fuit, non potuit esse impedimentum dirimens matrimonio secuto. Vnde sequitur illud matrimonium fuisse validum & legitimum; & proles legitimas, si nullum aliud impedimentum, v.g. cognationis, affinitatis, &c. interuenit.

Quamuis egressa sit monasterio, causa coram Iudice non deneganda.

Nec obstat quod fortè egressa sit causà non antè discussà coram Ordinario, & Superiore, sicut iubet Concilium eadem sess. 25. c. 19. Quia etsi id non rectè factum sit, tamen non reddit matrimonium irritum: & credibile est ex simplicitate id factum. Vnde cum causà nullitatis professionis sit satis manifesta, etiam re non discussa coram Iudice, ad æquum Iudicem pertinet rem adeò antiquam non mouere. Vel enim mouet eam ad instantiam partis, nempe agente Religione, vt persona restituatur monasterio; vel ex officio, vt consulatur saluti personae. Atqui neutro modo videtur mouenda. Non primo, quia vt suppono, non est credibile monasterium vetulam post matrimonium & proles susceptas sibi velle restituere. Nec etiam secundo, quia meritò potest & debet praesumi esse in bono statu, cum ad Religionem ratione talis professionis non obligetur, vt ostensum est. Nec refert quod egressa sit causa non deducta coram Ordinario; quia etsi ea in re potuerit peccare, tamen peccatum illud est transitorium, & facile per poenitentiam deleri potuit. Deinde illud praecipuum Concilij non pertinet ad ipsam, sed ad Ordinarium, qui tunc temporis erat; & solum continet formam & ordinem iudicarium, quem Iudex debet seruare.

3. Non est hic opus interuentu Ordinarij.

Itaque nihil hinc video ad salutem personae pertinens, ad quod Ordinarij partes requirantur. Vel enim agitur vt statum Religiosum repetat: & ad hunc, persona haec non tenetur. Vel vt agat poenitentia de egressu factò absque sententia Ordinarij: & praesumitur hanc egisse si mala fide id fecit. Accedit, quod vt Doctores tradunt, is qui se nouit inualidè professum, postquam etiam post quinquennium egredi & fugere causà non deductà coram Ordinario & Superiore, quando certò putat se non audiendum. Itaque non debet egressio illius puellae facta non seruato ordine Iuris adeò grauis videri, vt post 40. vel 50. annos ei ob illam difficultas moueatur. Videatur Nauarrus Comment. 4. de Regularibus sub finem. Denique in hanc sententiam Iudicem propendere æquum est, & nihil mouere ob fauorem matrimonij, & liberorum, ne illud videatur fuisse inualidum, & liberi illegitimi: quæ res in magnam illorum iniuriam posset redundare. Omitto, Ordinarij partes esse in rebus manifestis, vbi manifesta

est obligatio, nec probabilis suppetit excusatio, sequi illud Prouerbiorum 24. vers. 15. Ne queras impietatem in domo iusti, & ne vases requiem eius.

CASVS II.

Titus ante annum aetatis decimum sextum expletum edidit professionem in approbata Religione: post quinquennium id ei prius per matrem innotescit. Dimisso habitu fugit à monasterio vt causam suam agat.

Professio ante expletam aetatem.

QVAERITVR Primò, An tanto tempore, bona fide in Religione permanendo, non sit factus verus Religiosus?

QVAERITVR Secundò, An dimisso habitu, sic fugiens à monasterio, reddatur incapax vt audiatur?

AD Primum: Respondeo Primò, Notissimi Iuris est, Professionem ante XVI. annum aetatis expletam factam, irritam esse post Concilium Tridentinum, quod sess. 25. c. 15. de Regularibus, sic habet: In quacumque Religione, tam viros, quam mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum: nec qui minore tempore, quam per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta, sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alium Regulae vel Ordinis obseruationem, aut ad alios quoscumque effectus.

Professio ante 16. aetatis annum, est ipso facto inualida.

Respondeo Secundò, Si talis professio ab initio est nulla, vt ait Concilium, etiam nulla est nullamque inducit obligationem, quamuis per multos annos ea in Religione Titus permanerit. Quia quod ab initio inualidum est, tractu temporis non conualescit: vt habetur Cap. Non firmatur. de Regularibus Iuris in 6.

Nec tractu temporis conualescit.

Nec obstat, quod Concilium Tridentinum c. 19. eiusdem sessionis dicat, Neminem Regularem qui pretendat se per vim vel metum ingretum, aut ante aetatem debitam professum, esse audiendum, nisi intra quinquennium tantum à die professionis, Quia, non id dicit Concilium, quasi tractu longiore temporis obligetur, aut incipiat esse Religiosus: sed quia praesumitur fraus, quando tam diu tacuit: & quia alioquin eiusmodi desertores Ordinum, & reclamationes essent nimis crebrae, cum offensione magna secularium, & molestia Praelatorum.

Sæpè tamen potest esse iusta ratio non reclamandi ante quinquennium, & reclamandi post. Primò, Si metu sis compulsus ad professionem, & metus adhuc duret. Colligitur apertè ex Cap. Prolatum. De his quæ vi.

5. Iusta causa se non reclamandi ante quinquennium.

Secundò, Si nullam habuisti opportunitatem, eò quod non posses conuenire Ordinarium, & Superiorem non auderes te aperire, metuens carcerem, vel aliam afflictionem. Vnde Nauarrus Comment. 4. de Regul. nu. 76. inter cetera sic scribit: Secundo infertur, quod si metus vel impotentia reclamandi, plus quam quinquennio durauerit, poterit post illud, ipso Iure, vel restitutione audiri. Et infra, dicit Romæ aliquot Religiosos, qui impedimenta reclamandi probare poterant, fuisse auditos, etiam si ante decem annos professi essent.

X

Tertiò,

Tertiò, Si vltra quinquenniũ laborauit ignorantia impedimenti. Si enim metus durans vltra quinquennium, est sufficiens causa vt possis reclamare post quinquennium, & iure debeas audiri, vt Ius & ratio conuincit: cur non etiam ignorantia impedimenti? Hæc enim ignorantia non minùs reddit hominem impotentem ad reclamandum, quàm metus: nemo enim potest facere quod ignorat. Itaque si impotentia reclamandi durans toto illo quinquennio, est iusta causa, cur inualidè professus sit admittendus ad reclamandum post quinquennium; etiam ignorantia impedimenti toto eo tempore durans, sufficiens censeri debet, cum hominem omnino impotentem ad reclamandum reddat.

6
Per fugam
hic non est
redditus
incapax vt
causa pro
se alleget.

Ad Secundum: Respondeo, Etsi Concilium Tridentinum dicat eum qui antè habitum sponte dimiserit, non esse admittendum ad allegandam quamcumque causam: nihilominùs tamen hunc dimisso habitu fugitiuum ad allegandam causam admitti debere.

Primò, Quia non censetur sponte dimisisse, qui ob iustas causas ad tempus deposuit; vt sunt pericula itinerum per loca bellis hæreticorũ infesta, vt est Campinia Brabantia.

Secundò, Quia Concilium apertè loquitur solum de eo, qui absque animo resumendi dimiserit: Talis enim tantum censetur apostata, & incurrit ex communicationem.

Tertiò, Quia Concilium id statuit in pœnam, quàm non meretur qui bona fide processit.

Quartò, Quia ea quæ Concilium eo loco statuit, putat Nauar. Com. 4. de Reg. 77. non obligare tali modo professum in foro conscientia, saltè ad mortale. Adscribam verba eius, quia audio hæc à Iudicibus desiderari. Propositis ijs quæ ibi statuit Concilium, sic ait: *Super quibus multa dici possent: Primò quidem ea non ligare in foro conscientia, saltè ad peccatum mortale. Puto enim licere, cessante scandalo & præiudicio alius coram Deo, ei qui sit, vel iuste credit suam professionem coram eius diuina Maiestate non valere, aut reclamacionem dimittere habitum, & fugere de carcere, & non deducere causas nullitatis coram Ordinario & Superiore, & non redire ad monasterium, & non teneri ad pœnam apostata. Secundò, Quòd etiam quo ad forum exterius limitanda sunt non procedere in eo, qui iustam causam ea omittendi haberet; vt qui non posset habere licentiam eundi ad reclanandum, nec ire nisi dimisso habitu, vel non permititur causas vllas proponere coram Pralato vel Ordinario, quales videmus aliquot in Vrbe qui resumpto in ea habitu, benignè sunt auditi. Quartum enim ex æquo & bono ita intelligo, vt significet neminem quidem non portantem habitum Religionis cum audiendus est, audiari debere; sed eum qui temerè dimisit, eo resumpto audiari posse. Iniquum enim & inhumanum videtur negare perpetuò audientiam ei, qui iustam causam habet reclamandi, eo solo quòd ad id faciendum dimisisset etiam temerè habitum; cum id esset cogere liberum hominem per totam vitam seruire Religioni, cui nullatenus obligatur: contra leges vetantes liberi hominũ vendicionem & obligationè perpetuà ad manendũ alicubi, vel ad subeundum onus nimis onerans libertatem, & rationem naturalem, qua illa nituntur. L. Titio. §. Titio centum. de Condit. demonstrat. Hæc Nauarrus. Ex quibus verbis tota hæc quaestio facile soluitur.*

Nauarrus
dicit talem
fugitiuum
non peccare
mortale.

Ait, audiendum
in foro
externo.

7

Ad probandum etatem defuisse, Si libri baptismales non extant, sufficiunt duo testes; quia

non plures etiam in criminalibus requiruntur. Mater 10. Navi potest de filij atate, purgat suspicionem.

CASVS III.

Professio ante expletam probationem. Seu, Tridui dimissio à Nouitiatu.

Religiosus tempore sui Nouitiatus fuit per triduum à Religione dimissus: & post triduum iterum acceptatus. Fecit postea professionem lapsò anno, non tamen triduo illo, per aliud triduum, suppleto. Deinde plusquam quinquennio vsi Religiosus cum ceteris vixit. QVÆRITVR, Vtrum eius Pralatus possit huius rei cognitionem sumere, & professionem inualidam declarare?

8

Respondeo Primò, Religiosi istius professionem non posse declarari inualidam à solo Pralato, sed adiungi debere Ordinarium, & causam diligenter antè cognoscendam: quia res est maximi momenti. Ita Concilium Tridentinum sess. 25. de Regul. cap. 19.

Respondeo Secundò, Istum Religiosum etiãsi fortè ipsius professio fuisse inualida, tamen iure præsumi professum per mansionem quinquennij, ita vt nulla admittatur probatio in contrarium, nisi restituatur in integrum. Cum ergo præsumatur ratificasse per lapsum tanti temporis suã professionem, non video quã ratione possit in foro externo declarari irrita; præsertim cum probationes in contrarium non possint à Iudice ordinario admitti.

9

Respondeo Tertio, Valdè probabile esse tridui admisionem non impedire continuationem necessariam Nouitiatus, ita vt ab initio sit repetendus: maximè cum hæc dimissio fuerit incompleta, ipso manente illo triduo in monasterio, & curante se rursus tonderi.

Respondeo Quarto, Si Ordinarius cum Pralato declararet professionem fuisse inualidam, posset Religiosus appellare ab hac sententia, & audiretur ab Illustrissimo Nuntio, cum periculo famæ Pralati & Ordinarij. Quare non iudico id facile tentandum.

Appellatio in casu ad Nuntium.

CASVS IV.

Professio ante expletam probationem.

Quadam ante exactum annum probationis professa est. Post decem annos fugit, nupsit, aliquot proles procreauit. QVÆRITVR, Vtrum matrimonium fuerit validum?

10

Respondeo, Illud matrimonium non esse inualidum ratione professionis, nisi ipsam professionem intenderit postea ratificare. Ratio est, quia professio ista inualida fuit, vt constat ex Concilio Tridentino sess. 25. c. 15. de Regul. Itaque quantumuis multis annis postea manserit in monasterio, non est effecta Religiosa: Quod enim ab initio non subsistit, morà temporis non conualescit. Regula Non firmatur. de Reg. Iuris in 6.

Neque dici potest quòd eam ratificauerit tot annis manendo, & functiones professorum obiendo: quia etsi in foro externo tale quid præsumi possit, tamen coram Deo & in conscientia nulla fuit ratificatio, nisi sciuerit suam professionem fuisse

fuisse irritam, & intenderit eam de nouo firmare; vt passim Doctores tradunt: Nauarrus cap. 22. num. 33. Couarruias 4. decret. 2. parte cap. 4. initio, num. 5. vbi dicit esse communem: Silvester V. Matrimonium 8. qu. 2. & alij.

Adde, Multos Doctores expressè docere, eam personam, quæ scit professionem suam fuisse irritam, & se nunquam illam ratificasse, seposito scandalo, posse fugere è monasterio, & nuptias contrahere, etiam si amplius quam quinquennium post professionem illam inualidam, in monasterio mansisset. Ita tradit Nauarrus Comment. 4. de Regular. sub finem. Sancius lib. 7. disp. 37. n. 11. vbi citat alios. Vide plura apud eundem ad hanc rem pertinentia.

CASVS V.

Quidam sexto mense Nouitiatus in Ordine sancti Benedicti professionem emisit. Quam professionem fuisse inualidam primum trigesimo anno à professione illa cognouit.

QVÆRITVR, Vtrum rursus debeat recipi à Capitulo & Prælato, vt possit professionem suam ratificare?

Ratificatio professionis inualida.

11

Videtur debere recipi iterum. Quia receptio illa fuit inualida: atqui requiritur valida receptio, cum professio sit quidam contractus. Sicut cum matrimonium est irritum ob inhabilitatem contrahentium, vt conualescat, requiritur vtriusque nouus consensus.

Respondeo Primò, Si eo tempore, quo illa professio facta est, nimirum annos abhinc triginta, decretum Concilij Tridentini, quo irritatur talis professio, nondum erat receptum in illis locis, valdè probabile est professionem illam fuisse validam: vt rectè quodam loco in Concilij docet Nauarrus tit. de Regularibus. Ratio est, quia probabile est decreta irritantia vim non habere ante receptionem, maximè quando ex contrario graua incommoda sequerentur.

Probabile est professionem hæc fuisse validam.

Probabile quoque est fuisse inualidam.

Respondeo Secundò, Si ponamus hoc decretum fuisse receptum, vel si velimus sequi alteram sententiam, quæ non requirit receptionem, tunc dicendum professionem illam fuisse inualidam, neque solo temporis tractu coram Deo & in veritate potuisse validam effici absque vera ratificatione: vt constat tum ex communi sententia Doctorem, tum ex Regularis Iuris, Non firmatur, de Regularis Iuris in 6.

Respondeo Tertiò, Vt talis professio ratificetur & conualescat, non requiritur noua receptio vel admissio Prælati aut Capituli; sed sufficit prima admissio, qua ad illam inualidam professionem est admissus: modò consensus suum non reuocauerit. Ita Nauarrus de Regular. Consil. 46. Idem insinuat multis alijs locis, & expressè Concilio 35. num. 3. eodem tit. Angles 2. parte de Voto, quæst. vnica, art. 1. Sà V. Religio, & Sanchez lib. 7. de Matrimonio. Probatur ex Concilio Tridentino sess. 25. cap. 15. de Regul. vbi statuit, vt qui præterit se metu, vel alia de causa, inualidè professum, non audiatur nisi reclamari ante quinquennium à tempore illius professionis. Vbi Concilium supponit illum tacitè professum, & præsumit professionem tacitè intra illud quin-

Ad ratificationem huius professionis non requiritur noua receptio.

12

quennium factam absque noua admissione. Idem colligitur ex Capitulo significatum, de Regular. & Cap. 1. eodem in 6. vbi vt conualescat professio inualida, non requirit Pontifex nisi ratificationem ipsius professi, vel delationem habitus professorum, &c.

CASVS VI.

Titius inualidè professus est ob ætatis defectum, vel ob non impletum annum probationis.

Dimissio inualidè professi.

QVÆRITVR Primò, An ipse teneatur manifestare professionis suæ nullitatem?

QVÆRITVR Secundò, An inuitus possit eijci?

QVÆRITVR Tertiò, An sibi, an monasterio acquirat?

Ad Primum: Respondeo, Titius iste non tenetur manifestare professionis suæ nullitatem: sufficit vt illam ratificet, & continuet tanquam professus. Et si in culpa fuit, doleat, & confiteatur. Ad quid enim feriret hæc manifestatio, nisi ad se infamandum? cum non requiratur nouus consensus Prælati aut Capituli. Si non benè se gessit, emendet vitam, & in posterum viuat religiosè.

13

Ad Secundum: Respondeo, Si is qui inualidè professus est ob ætatis defectum, vel ob non impletum annum probationis, omni culpa ea in re vacat, non potest eijci, etiam si non diu in monasterio manserit; modò tamen sit benè idoneus, & se Regulæ benè accommodet. Imò videtur esse contra iustitiam si eijciatur; quia redditur infamis absque sua culpa.

Non potest eijci nisi ob graues rationes.

14

Si tamen aliqua ratio subsit, vt, quia deprehensus est esse molestus, vel parùm se conformare regulæ &c, ante validam professionem potest eijci intra quinquennium. Sicut enim Nouitius manet liber ad recedendum vsque ad punctum professionis, ita etiam monasterium, vt possit illum semper dimittere si causa subsit. Post tamen quinquennium non videtur posse eijci, quia Ius præsumit illum professum.

Si ante quinquennium innotescat Prælato professionem fuisse inualidam, & causa subsit illum dimittendi; vt, quia minùs congruit monasterio, potest impedire ratificationem professionis, & illum dimittere. Et, si ille, postquam se Prælati illi opposuit, & significauit se velle illum dimittere, ratificet apud se suam professionem, erit irrita: Pontifex enim non supplet defectum consensus Prælati, quia Prælati se professioni absolute opponit.

Ad Tertium: Respondeo, Inualidè professus acquirat sibi, non monasterio; cum sit capax domini, nec subsit monasterio. Nec obstat quòd illa deferat monasterio; quia id fit ex errore: sicut cum quis soluit indebitum: putat enim ea deberi monasterio, cum non debeantur. Potest tamen monasterium exigere compensationem alimentorum.

Acquirat sibi, non monasterio.

15

Inualidè
professus
que sibi,
que mo-
nasterio
acquirat.

CASVS VII.

Quidam Professus inualidè, diu in Religione permansit fungens munere Concionatoris: quo tempore multos libros comparauit, quosdam donatione amicorum secularium, vel pecunijs ab illis acceptis: quosdam ex eleemosynis ob pia exercitia, cum facultate Superiorum: alios ab ipsis Religiosis vel gratis, vel pro obsequijs in infirmitate præstitis accepit: alios commutatione vel pretio à Religiosis emit: alios communi partitione post obitum aliquorum, à Prælati Ordinis cum alijs Religiosis accepit: alios constitutus in officio Pastoralis emit. Postea declaratum est professionem fuisse inualidam, & ipsum esse liberum.

QVÆRIVR, An teneatur prædictos libros Ordini restituere?

16
Si ab ami-
cis dati
libri, vel
eorum pecu-
nijs empti.

Respondeo, Quòd ad eos libros attinet, quos donatione amicorum accepit, vel pecunijs in hunc finem ab ipsdem donatis comparauit; potest hos retinere, nec tenetur Ordini restituere. Ratio est, quia mens amicorum fuit eos in ipsum conferre, & donare eo modo quo iuste id poterat fieri, & ipse capax erat; nam solum ipsius intuitu donabant. Ergo cum ipse verè & in re capax fuerit dominij, fuit translatum dominium in illum, vel saltem ius capiendi dominij.

Nec obstat, quòd ipse non intenderit sibi acquirere, sed Ordini & Monasterio, eò quòd putauit se professum, ac proinde incapacem dominij: quia id prouenit ex errore inculpato, ac proinde non debet ei obesse. Omnis enim donatio & cessio iuris, cuius principalis ratio fundata est in errore, est irrita; quia debet esse omnino libera: talis autem non est libera. Accedit, quòd seruus seu mancipium etsi omne quòd acquirit, domino suo acquirat; tamen si postea deprehendat se non fuisse seruum, sed liberum, censetur sibi acquisiuisse, & dominus tenetur ei restituere: ergo & hic similiter. Confirmatur, Quia si fecisset testamentum ante professionem, & facta professione amici inter se bona ipsius distribuissent secundum testamenti dispositionem; totum fuisset inualidum, eò quòd professio non substitisset.

17
Si eleemo-
synis com-
parati cum
venia Su-
perioris.

Idem dicendum de libris ex eleemosynis comparatis cum venia Superiorum. Nisi fortè illa eleemosyna non fuerint data ad ipsius usum priuatũ, sed ad usum monasterij seu communitatis: tunc enim etsi Superior concessit vt libros ex illa pecunia, vel eius parte emeret, non tamen intentio eius alia fuit, quàm vt illorum librorum usum duntaxat haberet, & librorum dominium monasterio maneret. Si tamen Superior concessit illi eam pecuniam, vt pro suo arbitratu illam expenderet in bonos vsus: quo modo in quibusdam monasterijs dicitur concedi tertia pars eleemosynarum per Concionatorem acquisitarum: tunc posset illos libros retinere; quia pecunia illa est ei absolute concessa eo modo, quo eius est capax.

18
Si à Reli-
giosis ac-
cipi.

Quos autem iusta commutatione, vel iusto pretio à Religiosis emit, retinere etiam potest, si tamen illi potestatem alienandi in externos habebant. Secus verò si non poterant alienare nisi quo

ad usum, idque in suos confratres: vel si exiguo pretio comparauit, vt videri possit vsum ad vitam potius, quàm dominium comparasse.

Quos verò communi partitione post obitum aliquorum accepit, retinere non potest; quia in illam partitionem venire nõ potuit, cum verè professus non esset, & solum per errorem in illam partitionem admissus sit.

De ijs quos accepit à quodam benefactore gratis in usum priuatum pro tempore vitæ, cum onere vt postea cedant Conuentui; hos omnino Conuentui post mortem restituendos curare debet.

De comparatis in Pastoratu, hos retinere potest. Quia acquisita ex beneficio, non acquiruntur monasterio, sed beneficio, vt sæpè Nauarrus docet. Accedit, quòd cum ipse verè non fuerit Regularis, sibi acquisiuisse putandus sit.

Quod attinet ad tres vel quatuor libras Flandricas quas dictus Dominus Monasterio suo ex Pastoratu quotannis dependit, dum adhuc putaret se Religiosum esse, non debet quidquam repeti: quia bona fide acceptum & expensum, nec Monasterium inde factum est locupletius.

CASVS VIII.

Virum qui in Ordine S. Benedicti proficetur tantummodò iuxta certas quasdam S. Benedicti Regulas, & Statuta illis adiuncta, quorum aliqua tantum à Summo Pontifice sunt approbata, validè proficetur?

Suppono formulam Professionis qua nunc videntur, non contineri inter puncta Statutorum à Pontifice approbatorum: quo posito

Respondeo breuiter cum distinctione: Duplitter enim potest fieri professio in tali monasterio: Primò, Intendendo expressè vel implicite vouere obedientiam secundum Regulam sancti Benedicti à Summo Pontifice sic temperatam. Et hoc modo professio est valida; quia fit in Religione approbata, & secundum Regulam approbatam. Secundò, Eo modo vt affigat intentionem suam ad Regulam & Statuta quæ habet in manibus, nec intendat se ad aliud obligare. Et hoc modo professio non videtur valida. Ratio est, quia etsi fiat in Religione approbata, nempe in Ordine sancti Benedicti, tamen non fit secundum Regulam approbatam. Illud enim corpus discipline quod manibus tenet, & secundum quod vouet, non est approbatum ab Ecclesia. Etsi enim ea quæ sunt excerpta ex Regula Sancti Benedicti, sint approbata in ipsa Regula, & Statuta illa etiam ex parte sint approbata; tamen tota illa viuendi norma conflata ex parte illa Regularum, & ex Statutis, non est approbata tanquam Regula Religionis: præsertim cum Statuta illa solum ex parte sint approbata. Pontifex enim solum approbavit quadam ex Statutis illis excerpta, quæ ad moderationem Regulæ pertinent, nimirum vt seruent Regulam Sancti Benedicti cum illa moderatione, quam in Bulla sua expressit. Ea planè videtur fuisse mens Pontificis, cuius signum est, quòd nullam mentionem faciat illius partis quæ ex Regula fuit excerpta, neque aliorum Statutorum quæ in Bulla sunt ommissa. Imo ipsa omisso aperte indicat illum noluisse illa approbare.

Confirman-

Regula est
flata ex ve
lulis ap-
probatis
non conse-
sur appro-
bata

Confirmatur hæc omnia: quia si quis colligat aliqua ex Regula S. Augustini, & alia addat ex Regula S. Benedicti, vel Basilij, vt sic integram Regulam formet, talis Regula non censetur approbata ab Ecclesia, etsi partes eius approbatæ sint. Simile est in nostro casu.

21

Nauarr.

Quod autem professio, vt valida sit, debeat fieri secundum Regulam à Sede Apostolica approbatam, est communis sententia Doctorum, vt docet Nauarr. lib. 3. de Regularibus consil. 87. num. 22. Emisio, inquit, trium substantialium votorum etiam bis, ter, & sæpius repetita alibi quam in manibus potentis aggregare Ordini per Sedem Apostolicam approbato, & secundum Regulam à Sede Apostolica approbatam, non efficit quem Monachum vel Monacham, secundum omnes. Idem num. 20. dicit, Non omnem obedientiam voto firmatam facere Religiosum, sed tantum illam, qua fit alicui potentis recipere professionem regularem seruandi Regulam aliquam alicuius Religionis approbatæ &c. Idem colligitur nu. 11.

Miranda.

Miranda in suo Manuali Prælatorum qu. 24. art. 5. Conclusio est: Expressa professio fieri non potest nisi in Religione per Sedem Apostolicam approbata, & secundum aliquam certam & determinatam regulam. Hæc Conclusio est omnium Doctorum communis, & habetur expressè Cap. Vnico, De voto & voti redemptione. Idem quæst. 29. art. 1. hanc tradit definitionem Religiosi: Religiosi sunt qui in Religionibus emittunt tria essentialia vota in manu Superioris, aut alterius, eius nomine, potentis Religioni incorporare, secundum aliquam certam & determinatam Regulam per Sedem Apostolicam approbatam pro Regula certa Religionis, & non solum pro bono viuendi modo: vt tradunt omnes communiter & vnanimiter Doctores, &c. Hæc ille.

Eman. Ro-
drigues.

Emanuel Rodrigues tomo 3. quæst. 21. art. 1. dicit, Oblatos non esse Religiosos, quia non promittunt obedientiam monachalem secundum regulam à Sede Apostolica approbatam, vt regulam Religionis. Et infra, Bene dicit Innocentius ab omnibus receptus, quod non fit quis Religiosus per omnem obedientiam, sed per monachalem tantum, hoc est, per illam qua fit alicui potentis recipere professionem regularem seruandi regulam aliquam alicuius Religionis approbatæ à Sede Apostolica, qua non sunt nisi quatuor aut quinque, vt inter alios testatur D. Antoninus. Et infra, Non sufficit quod emittat tria vota essentialia in manibus eius Prælati, qui eum potest aggregare Religioni approbatæ à Sede Apostolica: cum sit necessarium quod illa promittantur secundum obedientiam regularem, & habitum regularem, &c.

22

Approbatio
Religionis
formaliter
consistit in
approba-
tione Re-
gulae

Ex quibus patet, communem Doctorum sententiam esse, inter cætera, hæc duo requiri, vt professio sit valida: nimirum vt fiat in Religione approbata à Sede Apostolica, & secundum Regulam approbatam pro Regula Religionis. Probant autem hoc ex Capitulo vnico De voto, & voti redemptione, in 6. vbi ad professionem solemnem, qua irritat matrimonium, & qua fit quis verus Religiosus, requirit Pontifex vt fiat in aliqua Religione à Sede Apostolica approbata. Ex quibus verbis optimè colligitur debere fieri secundum Regulam approbatam pro Regula Religionis: quia approbatio Religionis formaliter consistit in approbatione Regulæ. Approbare enim Religionem, est approbare illam Regulam seu formam viuendi profanctæ & secura regula vitæ religiosæ, cum potestate illam exequendi,

& secundum illam gubernandi, & alios aggregandi, &c.

Vnde etiam si Religio S. Benedicti sit approbata, nempe quatenus constat Regulam S. Benedicti: si tamen Abbas in aliquo monasterio relicta illa regulam, formet aliam, & secundum illam curet fieri professionem: non censetur illa professio fieri propriè in Religione approbata, sed solum materialiter: quia forma illa, qua Religio constare debet, non est approbata. Vnde professio illa, etiam si videatur fieri in Religione approbata, & per eam intendat quis fieri Religiosus, & excipiat à Prælo, tamen erit inualida, nec efficiet verè Religiosum.

Neque mirum aut durum videri debet, quod dicamus professionem talem esse inualidam, cum multis modis inualida reddi solet professio: nempe, per metum etiam reuerentialem, saltem in foro conscientia; per dolum, per defectum ætatis, vel anni probationis, etiam si vel vnicus dies desit; vt omittam alios multos modos inductos per Sixtum V. & postea reuocatos.

Professio
secundum
Regulam
non appro-
batam, non
est Religio-
sus.

Professio
inualida
ratione
morbi.

CASVS IX.

In Ordine Capuccinorum est quoddam statutum, quo declaratur Religionem non obligari ad retinendum eum, qui infectus lepra, morbo gallico, vel caduco ingressus, & in anno Probationis interrogatus an aliquo tali morbo labores, negauerit: si post professionem id patefactum fuerit.

Quæritur, Virum eius professio sit irrita?

Respondeo, Ex vi illius statuti irritam non esse. Primo, Quia hic nulla est clausula irritans; & aliàs illa deceptio non impedit, quin censetur voluntariè admissus: quia non est circa substantiam, sed circa qualitatem rei; vt patet in matrimonio. Secundo, Quia hoc statutum non est factum nisi in fauorem Religionis, vt ipsa haberet libertatem dimittendi talem ex suo cetu, ne alios inficiat, vel ne grauis sit, si visum fuerit expediens; & aliàs posset retinere, si iudicaret sibi conuenire. Vnde non reddit irritam professionem, nec dicit illum non esse Religiosum, sed supponens validè professum, sibi cauet ne fortè illum teneatur cum graui suo incommodo retinere. Itaque si velit illum retinere, non obstante illo malo, tenetur manere. Sicut si venderes mihi domum, & protestaror me nolle teneri emptione, si domus haberet tale vitium, detecto vitio non est irrita venditio: nec potest dissolui si velim domum illam non obstante vitio retinere; quia illa clausula solum in meum fauorem adiecta fuit emptioni.

23
Professio
illa non est
irrita.

Inuita Re-
ligione
non potest
egredi.

Adde, Possè magna incommoda prouenire si talis professio esset irrita: quia crebrò huiusmodi labe infecti penitentia; agenda; causâ ingrediuntur, qui postea vellunt egredi cum magno incommodo Religionis; præsertim cum morbus gallicus facillè possit curari.

Professio
inualida
ratione
gravis
metus
iniuste
inculsi.

CASVS X.

Catharina nouitia declarat ante professionem, si profiteri compellatur, id se metu duntaxat, & nō animo profitendi facturam. Proficitur. Declarat D. Officialis professionem esse validam, adeoque in omnem securitatem renouandam. Renouat Catharina. Ac postea iterum, auctoritate Superioris inducta, id ipsum facit. Sed in eadem pergit declarare se inuitā isthic detineri, & nullam votorum obligationem agnoscere. Non tamen intra quinquennium ipsa institit ut libera declararetur.

QVÆRITVR Primò, An valida fuerit professio? An saltem utraque illa renouatio non fuerit valida?

QVÆRITVR Secundò, An iure agendi exciderit, eò quòd intra quinquennium non uerferit ut libera declararetur?

QVÆRITVR Tertio, An, si egeret iure restitutionis in integrum, posset illud Nuntius Apostolicus concedere?

24

AD Primum: Respondeo Primò, Talem professionem fuisse irritam, quia metu graui per parentes extorta fuit: metus enim carceris, vinculorum, & flagellationis, est grauis, præsertim in puella; ut patet ex Cap. Perlatum. & Cap. Abbas. De ijs quæ vi metus causa: estque communis sententia Doctorum. Accedit, quòd ipsa puella, ut narratur, post prædictas minas declarauerit se animum profitendi non habere; sed, si profiteri compelleretur, timore duntaxat, non se obligandi voluntate, id facturam. Vnde non solum ratione metus, sed etiam ratione formalis dispositionis animi professioni repugnantis, irrita fuit.

Utraque
renouatio
fuit irrita.

Respondeo Secundò, Illa prior renouatio videtur omnino fuisse irrita. Quia ut narratur in specie facti, nitebatur declaratione Officialis tanquam Iudicis, qui declarabat prædictam professionem fuisse validam, & ideo renouandam. Suppono autem in illa declaratione fuisse errorem, quantum ex ijs, quæ hic narrantur, potest deprehendi. Atqui ratificatio voti, vel professionis, vel cuiuslibet alterius actus plenam libertatem requirentis, est irrita si nitatur errore, ut communiter docent Doctores: Caietanus 2. 2. qu. 189. nu. 5. Nauarrus cap. 12. num. 72. Lopez parte 1. c. 48. & alij. Errans enim non consentit: Putans enim se validè fecisse, renouando actum non plus intendit circa illum, quam antea circa illum fecit. Confirmatur, quia paulò post illam renouationem, dixit se illi renouationi non consensisse.

Respondeo Tertio, Quòd ad secundam renouationem attinet, ad quã rursus inducta est Superioris auctoritate, sicut ad priorem inducta fuerat: hæc etiam irrita omnino videtur, ob easdem causas: quia simili modo inducta narratur. Cuius etiam signum est, quòd repertum instrumentum illius renouationis combusserit, dicens, quòd in renouationem non consensisset. Accedit, quòd toto tempore quo ibi mansit, & moribus & verbis declarauerit se ibi inuitam detineri; & nullam votorum obligationem agnoscere.

Ad Secundum: Respondeo, Non videtur Catharina iure agendi excidisse. Primò, quia reclamauit statim post professionem. Quòd autem causam non sit prosecuta, non fuit ex defectu ipsius; sed quia Superior aduersus eam iudicauit, & censuit professionem esse validam & renouandam. Itaque fuit impedita per Superiorem. Atqui error Superioris nō debet ipsi obesse, nec ipsa debet ius suum idecirco amittere. Secundò, Ratio cur Concilium vetet tales audiri, est, quia ex taciturnitate & cessatione ab agendo per quinquennium continuata, præsumit spontaneam ratificationem professionis. Nisi enim hanc præsumeret, non posset ei denegare audientiam: hoc enim nihil esset aliud, quam personam liberã & sui iuris, contra suam voluntatem, præter meritum, includere perpetuo carceri; quod est durissimum, & planè iniustum. Atqui hic non potest præsumi spontanea & tacita ratificatio: quia contraria protestatio assidua, & detentio contra eius voluntatem facta, obstat; multoque minus potest præcipi iure, ut in tali casu præsumatur ratificatio: ergo illa dispositio Concilij ad hunc casum non extenditur; quia solum pertinet ad casum, in quo est præsumptio Iuris, & de iure, hoc est, ubi sunt illæ circumstantiæ, ex quibus Ius præsumit, & præcipit ut Iudex præsumat tacitam ratificationem.

Ad Tertium: Respondeo, Restitutionem huiusmodi pertinere ad solum Summum Pontificem: quia est remedium extraordinarium concessum contra dispositionem Iuris communis: ergo solum ex plenitudine potestatis Principis prouenire potest, qui solus est supra Ius commune, & solus potest remedia contra Ius concedere. Idem cernitur in civilibus: solus enim Princeps restituit in integrum contra prescriptionem, & contra sententiam, quæ lapsu decem dierum, transit in rem iudicatam. Confirmatur: Quia solus Pontifex potest dispensare in dispositione Concilij vniuersalis. Atqui hoc remedium non potest conferri absque tali dispensatione: quia Concilium præcipit talem non audiri. Vtrum Pontifex concesserit illud Illustrissimo D. Nuntio, me latet. Certè non est inter potestates eius ordinarias. Sed, ut dixi, nō puto esse opus in præsentī casu hoc remedio.

CASVS XI.

Titius adolescens XVI. annorum edidit professionem extortam à matre & sorore, à quibus pendebat, metu subtraCTIONIS alimentorum, & subsidiarum qua ad vitam sunt necessaria. Ante professionem sepe protestatus est se nolle profiteri, & potius fugam inturum. In ipsa professione, quam emisit absque animo sese obligandi, prorupit in lacrymas. & postridie iterum protestatus est se inuitā edidisse professionem. Notarius tamē professioni assilens scripsit metum non interuenisse.

QVÆRITVR, An professio illa sit valida?

CONSIDERATA specie facti, sentio hanc professionem ob duplicem rationem fuisse irritam & nullam. Prima ratio est, Quia professio Religionis debet esse libera, non coacta, non metu graui extorta: metus enim grauis irritam reddit professionem; ut patet Cap. Perlatum. Cap. Abbas.

De ijs

De ijs quæ vi metusue causa: estque communis Theologorum & Canonitarum sententia. At hæc professio non fuit libera, sed coacta, & graui metu extorta. Quod probatur primò, quia metus subtractionis alimentorum, & subsidiorum quæ ad vitam sunt necessaria, est metus grauis, secundùm omnes Doctores: qui metus hic intercessit, & incussus fuit à sorore & matre, à quibus pendebat iste adolescens, ad extorquendam professionem; vt narratur in specie facti. Secundò, Metus amissionis maioris partis bonorum censetur grauis, & sufficiens ad irritandam professionem & matrimonium, iuxta communem Doctorum sententiam. Atqui multò maior censetur metus subtractionis alimentorum ad vitam necessarium: ergo non est dubitandum quin sit sufficiens ad professionem irritandam. Tertio, In metu spectanda est conditio personæ cui incutitur, v.g. litne senex, femina, puer, qui se alia ratione iuuare non possunt: dicitur enim grauis iuxta qualitatem personæ, vt tradunt Doctores: Nauar. cap. 22. Enchir. num. 51. Sotus lib. 7. de Iust. quest. 2. art. 1. ad 2. & alij. Sed is de quo agitur, erat puer; nec sciebat qua ratione subsidio matris & sororis quæ nomine matris illum alebat detractio, posset viuere. Vnde apparet hunc metum, quem concepit, fuisse valdè grauem: quomodo enim puer huiusmodi asiduis minis non grauius percelleretur? Idem confirmant lacrymæ, in quas, in ipsa professione prorupit, & tot præuij renifus, & obliuaciones. Si hic metus non est sufficiens ad irritandam professionem, sanè magna parentibus patebit fenestra vt hac ratione in monasteria liberos suos intrudant, nec vllum erit contra hanc iniuriam remedium, quæ etiam in detrimentum & euersionem Religionum redundabit. Quorsum ergo Canones qui volunt professionem esse liberam, & inualidam esse iubent professionem metu extortam? aut de quo tandem metu loquuntur?

Secunda ratio, ob quam ista professio cenferi debet irrita, est, quia ei videtur absolute defuisse consensus. Nam adolescens iste sapius testatus fuit, non obstantibus omnibus minis & importunis deprecationibus sororis, & hortationibus Prioris, se nolle profiteri, & potius fugam initutum: idem paulò anteprofessionem matri & sorori testatus est, obfirmato animo persans in hoc proposito: ergo præsumendus est in ea voluntate permanfisse, & non animo se obstringendi verba professionis edidisse. *Cum enim constat de protestatione voluntatis, adhuc præsumitur nolle:* Cap. *Lorbarius* 3 r. q. 2. & l. *Si quis*, 3. c. de Legibus. Idem confirmant lacrymæ quas in ipsa professione fudit: item ea declaratio qua posttridie rursus idem testatus est, vt ipse narrat. Imò in specie facti expressè dicitur, quòd, cum instante professione amici eum obseruarent ne posset fugere, vt sapius prædixerat se facturum; & minis sororis ac matris, Priorisque illicijs, accedentibus diuersorum exhortationibus tandem cessisset, quia euadere nõ poterat, professionem emisit absque animo se obligandi. Defuit itaque consensus essentialiter necessarius.

Dices, Metus grauis non reddit irritam professionem, nisi sit iniuste incussus. At hic metus non fuit iniuste illatus; quia soror non tenebatur illum alere.

Respondeo, Et si soror non tenebatur lege iu-

stitia eum alere, tenebatur tamen lege charitatis, saltem eatenus ne incideret in grauem necessitatem. At minabatur se illum ita deserturam, vt sineret inedia perire; qua in re erat iniuria, secundùm multos Doctores. Deinde saltem ex parte matris erat iniuria, cuius nomine soror hæc omnia faciebat. Nec refert quod Notarius assisistens scripserit metum non interuenisse, si contrarium ritè probetur.

His igitur consideratis, & alijs, quæ in hanc sententiam dici possent, puto hanc professionem non fuisse validam.

CASVS XII.

Titius edidit professionem precibus importunis & metu reuerentiali extortam. Antè exactum quinquennium caput reclamare: sed precibus maternis adductus priorem professionem ratificauit.

QVAERITVR, An possit iterum reclamare, & audiri?

Respondeo Primò, Prima professio Titij si solum precibus importunis, & metu reuerentiali fuit extorta, nec intercesserunt graues minæ, fuit valida saltem in foro externo. Ratio est, quia metus reuerentialis cum importunis precibus non censetur in foro externo metus grauis cadens in virum constantem: ac proinde non iudicatur habere sat virium ad irritandum matrimonium vel professionem.

Si tamen accessissent graues minæ, vt si parentes dixissent, Nunquam amplius intrabis in domum meam: nunquam videas faciem meam &c. valdè probabile est etiam in foro externo censendam professionem inualidam, si ex vi talis metus secuta est. Quia metus reuerentialis vnà cum minis huiusmodi, æquiualeat metui graui, vt rectè docet Sancius lib. 4. de Matrim. disp. 6. Dico, *si ex vi talis metus professio secuta est;* quia in proposito casu non videtur secuta ex metu, sed ex libera voluntate, vt narratur. Quod si verum est, professio erit valida. Et sanè ita videtur iudicandum in foro externo, si ex ipsiusmet profitentis testimonio probetur.

Respondeo Secundò, Si post primam professionem ante exactum quinquennium cepit reclamare, poterat & debebat audiri. Verùm non perstitit in reclamatione, sed cogitauit de ratificanda priore professione.

Respondeo Tertio, Etiam si prima professio fuisset inualida, videtur tamen omnino ratificata per secundam, quæ videtur omnino liberè facta. Nam preces maternæ non æquiualeant metui graui, nec habent vim irritandi professionem. Accedit quòd implet Titius publicè testatus sit se liberè, & non coactè ratificare priorem professionem.

Respondeo Quarto, Si tamen re vera metu reuerentiali ne contristaret matrem, neue illam in acerbum luctum conijceret, secundam professionem emisit; non est improbabile posse reclamare, & causam Ordinario ac Superiori cognoscendam relinquere. Verùm non video qua ratione solidè eius professio possit in foro externo irrita pronuntiarì. Accedit quòd videatur non posse audiri, nisi prius restituatur in integrum; cum priorem recla-

Has fuit coacta graui metu.

In metu spectanda est persona cui incutitur.

Ab incommodis.

28 Defuit consensus.

29 Metus hic fuit iniuste incussus.

Testimoniis Notarij inuulsa.

Professio inualida ratione metus reuerentialis.

30 Metus reuerentialis non irritat Professionem in foro externo.

Nisi graues minæ accesserint.

Preces maternæ non æquiualeant graui metui.

rem reclamationem non sit profectus, & interea elapsum sit quinquennium. Quare omnibus consideratis videtur hoc frustra tentaturus.

CASVS XIII.

Professio inualida ratione metus reuerentialis.

Titius dimisso Religionis sua habitu apud Iudicem in foro externo contendit irritam suam esse professionem, utpote metu reuerentiali extortam: non potest tamen iuratis testibus eum metum probare. Addit praterea se ante requisitam aetatem vouisse.

QVÆRITVR, Quid hic Index statuere debeat?

32

ADmodum Reuerende Domine. Non erat necesse huc mittere: habes isthic viros praeclaros qui quaestioni proposita possint satisfacere, qui & coram melius possunt cognoscere de quibusdam circumstantijs, quae ad rem pertinent. Quia tamen meum quoque iudicium desideras, breuiter aperiam quid sentiam. Negotium videtur consistere in tribus quaestionibus. Prima est, Vtrum metus reuerentialis satis sit ad irritam reddendam professionem. Secunda, An satis sit probatum in praesenti casu hunc metum interuenisse. Tertia est, An satis probatum sit defuisse professioni iustam aetatem, quam Concilium Tridentinum requirit.

Probabile est ex metu reuerentiali posse irritam declarari professionem à Iudice.

Quod ad Primum attinet, Probabilis est sententia metus reuerentialem irritam reddere professionem: quam tradit Nauarrus multis locis, praesertim in Enchiridio c. 22. n. 51. & Comment. 2. de Regul. n. 31. Idem docent multi Doctores quos citat Couar. in 4. decretalium cap. 3. §. 6. n. 7. vbi dicit hanc sententiam esse communem. Et quamuis contraria sententia sit verior, tamen quia illa est probabilis, etiam in foro externo eam Iudex sequi potest, vt docet Nauar. c. 22. n. 51. praesertim quando id iudicat expedire ob varias circumstantias concurrentes.

33

De Secundo, est maior difficultas: Non enim videtur satis probatus ille metus reuerentialis vt in foro externo possit ferri sententia declaratoria irritae professionis, vt D. Tua facile potest aduertere. Qua in re etiam seruandum est quod praescribit Concilium Trident. sess. 25. c. 19. de Reform. regul. vbi statuit, Vt quicumque regularis praetendit se per vim & metum ingressum esse Religionem, aut ante debitam aetatem professum, non audiatur, nisi causas quas praetenderit, coram Superiore suo & Ordinario deducat: quod si ante habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcunque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, &c. Hoc tamen Doctores ita intelligunt, vt non sit admittendus ad probationem, nisi habitum resumpserit. Hanc formam iudex inferior seruare debet, alioquin sententia ipsius non erit valida. Testes etiam debent esse iurati, vt in alijs causis grauib; hic autem nullos testes iuratos video. Si res ageretur in solo foro interno, non haberet magnam difficultatem: quia credi posset reo asserenti se metu compulsulum vouisse. Sed in foro externo illi in suum fauorem non creditur propter praedudicium tertij, nempe monasterij, & propter scandalum.

34

Quod ad tertium attinet, nullo modo probatus est aetatis defectus, vt oportet; imò ex pro-

bationibus potius colligitur aetatem fuisse legitimam &c.

Ex quibus dicendum videtur rem esse plenius indagandam, vt per sententiam liberari possit.

CASVS XIV.

Petrus filius Presbyteri emisit professionem in Ordine Mendicantium priusquam ederetur Constitutio Sixti V. qua eiusmodi ad professionem inhabiles redduntur.

Professio filij Presbyteri ante constitutionem Sixti V.

QVÆRITVR Primò, An illa professio per hanc constitutionem irritetur?

QVÆRITVR Secundò, An possit ipse inuitu expelli ab Ordine, vel vltro ab eo recedere?

QVÆRITVR Tertio, An egeat dispensatione super irregularitate proneniente ex defectu natalium?

QVÆRITVR Quarto, An possit promoueri ad Doctoratum in Theologia?

AD Primum: Respondeo, Professionem filij Presbyteri in ordine Mendicantium factam bona fide ante Constitutiones Sixti V. editas A. Dom. 1587. & 1588. quarum prior sic incipit: Cum de omnibus Ecclesiasticis Ordinibus, fuisse validam, Ratio est, quia ante Sixtum V. nullum erat ius, nec vlla etiam constitutio Monastica in Ordine Mendicantium, quae huiusmodi redderet inhabiles ad professionem. Quinimò Iura huiusmodi filios inuitant ad Religionem concessio priuilegio ordinationis, Cap. 1. De filijs Presbyterorum. Constitutio autem Sixti V. reddens huiusmodi inhabiles ad Religionem, praeterquam ad statum laicorum, multis annis post (vt in casu supponitur) edita est; ac proinde non potest irrita reddere quae antè legitime sunt facta; nec enim disponit in praeterita, sed in futura. Imò statim post, per Gregorium X I V. fuit ferè tota reuocata; qui solum addit, Tunc non posse illegitimum ad Religionem admitti, quando pater eius ante vel post natiuitatem eius in eadem est professus. Accedit, quod qui bona fide nesciens se filium Presbyteri, professus est, non possit villo modo ob hoc puniri aut molestari; quia nemo sine causa puniri debet.

35 Sixtus V. reddidit filios Presbyteri inhabiles ad Religionem.

Gregorius XIV. moderatus est.

Ad Secundum: Respondeo, praedictum Religiosum ante dictam Sixti V. constitutionem professum, nullo modo posse ab praedicta Religione expelli, cum sit legitimus illius Religiosus; nec quidem quam commiserit cur tam grauis poena in illum possit statui. Duæ enim tantum sunt causae cur quis à Religione possit expelli; nempe si vel non sit verus Religiosus, ac proinde ius non habeat in ea manendi; vel commiserit aliquod flagitium expulsionem dignum; quorum neutrum hic inuenitur.

36 Non potest a Religione expelli.

Neque ipsi à Religione abire.

Pari modo non potest praedictus Religiosus instituto suo deserto tanquam Sacerdos secularis viuere: esset enim verus apostata & excommunicatus.

Ad Tertium: Respondeo, eiusmodi Religiosum nulla egeat dispensatione super irregularitate ob defectum natalium. Nam communis sententia Theologorum est iure communi dispensari per

37 Non eget dispensatione super irregularitate. profef-

professionem, seu per ingressum quo fit verè Religiosus, Sotus d. 25. q. 1. a. 3. Richardus eadem dist. a. 4. q. 3. Siluester V. Irregularitas n. 15. §. Vigesimo queritur. Barthol. Fumus V. Irregularitas n. 88. Angelus V. Irregularitas sub finem. Idem passim tenent Canonistæ cum Glossa in Cap. 1. de filijs Presbyterorum, & in Cap. 2. de Apostat. Vide Couarruuiam Clementina Si furiosus. 1. p. §. 2. num. 6.

Ad Quartum: Respondeo, Eiusmodi Religiosum posse promoueri ad Doctoratum in Theologia, quia non est prælatura vel dignitas ad quam illegitimi reddantur inhabiles: nec vllum lus est quod defectum natalium faciat impedimentum Doctoratus. Doctoratus enim non est beneficiû ecclesiasticum, sed testimonium eruditionis cum potestate publicè docendi.

CASVS XV.

Antonius natus ex solario & soluta, receptus est in monasterium, & ad professionem admissus tempore Sixti V. post editam supra dictam constitutionem de illegitimis, ignarus eiusdem constitutionis, à Superiore similiter ignaro.

Quæritur Primò, An ille titulo Religionis factus Sacerdos possit relicto monasterio redire ad seculum, vti pote cuius professio fuerit inualida & nulla?

Quæritur Secundò, An, Si professio illa fuisset inualida, posset Superior illi inuitum eicere?

39 Ad Primum: Respondeo, Probabile esse professionem irritam fuisse, ac proinde illum posse ad seculum redire, sed seruata ordinatione Concilij Tridentini sess. 25. c. 19. iuxta explanationem & limitationem Nauarri Comment. 4. de Regularibus sub finem.

Mihi tamen non minùs probabile videtur professionem validam fuisse, si in illis locis constitutio Sixti publicata non fuit. Primò, Quia id magis æquitati naturali consentaneum; præsertim cum nõ fuerit neque inhabilitas in persona admittenda, neq; defectus in potestate admittentis: sed solum omisso cuiusdam solennitatis in modo admittendi. Si dicas defuisse consensum necessariû, nempe Capituli. Respondeo, hunc adfuisse implicitè in consensu Superioris, quod potest videri sufficiens positus illis alijs circumstantijs.

40 Secundò, Quia Pontifex expressè loquitur de ijs qui post publicationem presentis constitutionis in futurum recepti fuerint aliter quàm præscribitur. Hoc autem satis probabiliter intelligi potest de publicatione facta in locis Regularium, saltem aliquibus illius diocesis. Primò, quia Pontifex cum bis terue significasset hæc vim habere post publicationem, sub finem quasi inferendo & continuando suam intentionem ait; Quocirca per Apostolica scripta mandamus Cardinalibus & locorû Ordinarijs, vt curent presentes litteras publicari: Cardinales quidem in locis Regularibus sua protectionis; Ordinarij verò in locis Regularibus suarû ciuitatum & districtuum; & curent eas perpetuò seruari. Videtur itaque supra loqui de hac publicatione; & post hanc demum curandû vt seruetur. Secundò, Quia

Pontifex statim post publicationem, vult omnia aliter facta esse irrita, & incurri penâ excommunicationis: atqui valdè durum esset statim post publicationem Romæ factam, per totum orbem omnia aliter facta censerî irrita, & tot bonos viros sanctissimè admissos, sine vlla culpa, cum magna infamia eicere, & secularibus proponi ridentos. Confirmatur, quia par non est vt Constitutio quæ seruari non potest, vim habeat: sed hæc non potest statim vbique seruari; quia non potest statim innotescere: ergo par non est vt vbique vim habeat. Vnde in omni constitutione solet sufficiens tempus assignari, quo moraliter possit passim in omnium notitiam deuenire. Et quamuis in legibus irritantibus fortasse non sit absolutè necessarium, tamè quando magnum sequeretur præiudiciû alteri parti ex rescissione contractus, debet secundum rectam rationem sufficiens tempus assignari vt possit innotescere: vt videmus Ecclesiam in decreto Matrimonij sess. 24. cap. 1. & in alijs fecisse. Hinc colligo illud, Post publicationem, intelligendum de publicatione in locis Regulariû.

Tertiò, Quia si leges reuocatoria priuilegiorum, non censentur habere vim nisi promulgata non solum in prouincia, sed etiam in diocesi, vt docet Sotus l. 1. de Iustitia q. 3. a. 4. & multi alij; idque propter incommoda quæ aliquin sequerentur: multò minùs obligabunt leges reuocatoria Iuris communis, vel quasi naturalis, quod quibus antè habebat vt admitteretur ad Religionem, & quòd Superior habebat vt admitteret; cum grauiora incommoda sequantur. Quartò, Quia in huiusmodi legibus valdè exorbitantibus & duris, facienda est mitior interpretatio si verba patiantur; imò interdum contra intentionem legislatoris secundum verborum proprietatem.

Ad Secundum: Respondeo, Etiam si professio illa fuisset inualida, Superior tamen non posset illum inuitum eicere, si alioquin sit idoneus, seque disciplina accommodet. Ratio est, quia quòd professio valida non sit, factum est per iniuriam Superioris, qui non ita illum admisit, sicut ex officio tenebatur admittere. Vnde ex hac inualiditate fundata in ipsius iniuria, non potest sibi vindicare ius expellendi illum.

Deberet tamen illo casu prædictus illegitimus iterum profiteri expressè. Sed posset id omnino secreto fieri, si res sit occulta: & tunc videtur antiquum locum posse retinere; non enim tenetur cum sui infamia id proflare. Si tamen passim notum sit, debet ita profiteri vt conlet, & consequenter locum postremum tenere. Absolutè tamen si iste mansurus est, debet rursus profiteri, saltem priuatim, vt tollatur potestas egrediendi. Nam contraria sententia est valdè probabilis, & per illam habet potestatem egrediendi.

CASVS XVI.

Sixtus V. Anno Domini 1587. edidit Constitutionem, quæ incipit, Cum de omnibus Ecclesiasticis Ordinibus, quam renouauit Anno 1588. nouâ Constitutione, quæ incipit, Ad Romanum spectat Pontificem. quibus Constitutionibus præcipit ne quis ad habitum vel professionem in quocumque

41
Leges Reuocatorie Iuris communis sunt odiosa.

42
Si idoneus est, non posset inuitus eici.

Iterum tamen deberet Professionem omittere.

Professio inualida defectu informationis.

38
Est capax Doctoratus in Theologia.

Professio illegitimi post constitutionem Sixti V.

Probabile est Professionem esse validam.

40
Publicatio Bullæ Sixtinae debet fieri in locis Regularium.

cumque Ordine Regulari admittatur, nisi ceria praemissa informatione de aetate, moribus, parentibus &c. sub pena nullitatis tam receptionis, quam professionis. Titius conuenitur in sua receptione, & professione hanc informationem non esse seruata.

QVAERITVR Primò, An hac professio fuerit valida?

QVAERITVR Secundò, Ad quos hac informatio deferri debeat?

QVAERITVR Tertio, An hac informatio requiratur iuridicam depositionem, seu testium iuramenta?

43

AD Primum: Respondeo, Si nulla informationes vel notabiliter non sufficientes habitae fuerint de admittendis, videtur Sixtina constitutio plane locum habere. Quia in declaratione statuit professionem esse nullius roboris, si non fuerit seruata forma ab ipso in institutione praescripta. Porro ea forma praescribitur ut iuuenes 16. annis maiores, aut viri adulti, non possint recipi in aliquam Religionem, nisi prius de eorum parentibus, patria, antea vita & moribus diligenter inquiretur. Et ex accurata informatione, & fide digna relatione compertum & exploratum sit, eos non esse reos aliquorum criminum; vt sunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia; vel reos aut suspectos existere, vt propterea damnati sint, vel damnari formident: denique ingenti ere alieno supra vires facultatum suarum grauatos, vel reddendis rationibus ita obnoxios, vt ex huiusmodi causa his vel molestia eis iam illata sit, vel timendum sit ne inferatur. Nisi denique constet ipsos non humanam aliquam rationem, sed tantum pietatis & deuotionis feruore, vitam religiosam sponte & ex animo elegerunt: de qua his omnibus in Generali vel Prouinciali Capitulo indubitata fide facta, tam Superioris, Generalis, seu Prouincialis, quam Definitorum consensu approbati, ad habitum Regularem admissi fuerint.

Qua ante professionem maxime inquirenda.

Sufficit moralis certitudo seu cognitio personae antea habita.

44. Hac informatio deferri debet ad omnes confessiones in admissionem.

Itaque forma requiritur vt ante admissionem ad habitum, fiat Diligens inquisitio de antea vita & moribus &c: cui inquisitioni aequiparatur cognitio & moralis certitudo antea habita ex longa conuersatione &c. Item requiritur vt sit compertum ex accurata informatione & fide digna relatione, eos non esse criminosos &c. Quare si informationes sint notabiliter insufficientes, ita vt persona non sit satis perspecta quoad mores, & ea quae hic praescribuntur; videtur admissio & secuta professio esse nullius roboris, vt in declaratoria habetur.

Ad Secundum: Respondeo, Si haec informationes non fuerint delatae ad eos, ad quos iuxta Sixtinam oportebat; sed solum ad magistrum Nouitiorum, non est seruata forma in re notabili. Illi enim debent ante omnes informari, & sufficientem notitiam habere, quorum est consentire & admittere. Finis quidem Sixtinarum est arcere defectuosos; sed inde non sequitur formam, si non seruetur, solum irritam reddere professionem defectuosorum; quia praescribitur forma generalis seruanda cum omnibus; quam (ne vilo casu defectuosi admittantur) vult ita seruari, vt semper professio sit irrita, si non seruetur. Hac enim seue-

ueritate vult Superiores cogere, ne vnquam in ea seruanda fiant negligentiores.

Illa verba, Declaramus eos, &c. in Sixtina secunda edita Anno 1588. quae incipit, Ad Romanum spectat Pontificem §. 12. manifestè accipienda de omnibus, qui post sextum decimum aetatis annum habitum susceperint, etiam si non sint criminosi, vel rationibus reddendis obnoxii. Similiter & ista, & eorum, vt patet totum textum expendenti: Nam in principio 12. illius §. Quod autem pertinet, indicat aperte se loqui de professione omnium illegitimarum; & eorum qui maiores sunt sedecim annis. Vnde non video quomodo illud, eorum, possit restringi ad criminosos, vel alios Bullae impedimentis obnoxios.

Ad Tertium: Respondeo, Sufficiens informationum quam Sixtina requirit, non postulat iuridicas depositiones, aut iuramenta testium, aut Notarij operam; sed sufficit vt a viris fide dignis habeantur; ita vt re humano modo certam reddant; & vt Sixtina loquitur, plenam fidem faciant. Vnde etiam non puto requiri subscriptionem aut scripta vlla: quia hoc non exprimitur.

45. Non requiritur iuridica depositio &c.

CASVS XVII.

Titius inualidè professus, post quinquennium non reclamauit, neque potest obtinere a suis Superioribus licentiam petendi à Pontifice restitutionem in integrum vt causam suam legitimè queat deducere.

Inualidè professus fugam meditatus.

QVAERITVR, Quo remedio sibi possit Titius consulere: & quomodo interim à suis Superioribus haberi possit ac debeat?

R Euerende Pater. Accepi litteras tuas bene longas, quibus tuas afflictiones exponis; quae me permouerunt vt etiam si nesciam quis sis, aut cuius Ordinis, responderem: charitas enim & causa aequitas id postulare videbantur. Itaque procedam per propositiones.

46

I. Supposita professionis tuae nullitate ob impedimenta per Sixtum V. statuta, sicut scripto tuo proponitur, oportebat te reclamare intra quinquennium à die professionis tuae computandum; & tunc potuisses audiri iure ordinario, deducendo causas coram Episcopo & tuo Superiore; vt patet ex Concilio Tridentino sess. 25. cap. 19. de Regularibus.

II. Si post quinquennium elapsum quis reclamet, non potest audiri iure ordinario; sed opus est restitutione in integrum, quam solus Summus Pontifex concedit. Quia praesumitur praesumptioe iuris & de iure infra illud tempus ratificasse suam professionem.

Non reclamans ante quinquennium elapsum eget restitutione in integrum.

III. Si tamen impedimentum esset perpetuum, vt in praesenti casu allegatur, non opus esset restitutione, sed posset, & deberet iure ordinario audiri ab Episcopo loci & suo Superiore: & probato impedimento deberet declarari liber, & sui iuris, habituque exui. Ratio est, quia hic cessat praesumptio ratificationis. Stante enim impedimento perpetuo nulla ratificatio potest esse valida.

Excipit Anacasmus.

IV. Idem probabile est cum ex ignorantia vel metu non reclamauit: sed tunc ipsa ignorantia & metus deberent probari.

V. His cessantibus, Superiores talis Religiosi possunt cum illo agere, cumque coercere tanquam suum

suum subditum & verum Religiosum, eumque punire si delinquit; quia merito vna cum Concilio Tridentino praesumunt illu esse Religiosum.

47
Recursus ad Pontificem non potest impedi à Superiore.

VI. Si tamen ille velit recurrere ad Sum. Pontificem vel Eminentissimos Cardinales vt impetret restitutionem in integrum ad agendam legitime suam causam, Superiores non possunt impedire: quia Iure naturæ & Gentium quilibet inferior ius habet, praesertim in re tanti momenti, recurrenti ad supremum Superiorem. Imò si ad hoc opus esset fugà, posset fugerè, etiam dimisso habitu si esset necesse, modò caueat scandalo, mentem suã postea saltem per litteras explicando.

VII. Impetrata restitutione à Summo Pontifice, posset etiam obtineri vt Illustrissimo Nuntio Bruxellæ causa committatur, adiuncto ei Superiore illius Religiosi, vel sine illo, prout suæ Sanctitati videretur. Sine autem restitutione, & tali commissione per Summum Pontificem facta Nuntius se non potest immiscere.

48
Destitutus omni auxilio potest fugam capessere.

VIII. Si restitutio & licentia agendi non posset obtineri, Religiosus ille posset fugam capessere, & redire ad saeculum, modò scandalo caueat. Quia cum non sit verè Religiosus, nec velit esse, nullo iure obligatur in conscientia perpetuò in Religione manere; nec quisquam illum ad hoc potest cogere, vt rectè docet Nauar. de Regular. Comment. 4. n. 77. & 78. Sanchez lib. 7. de Matrim. p. 253. Vide lib. nostrum 2. de Iust. dub. 7. n. 65. &c.

IX. Ille tamen Religiosus quamdiu non potest se expedire ab Ordine, potest absolui, & frui alijs priuilegijs: quia praesumitur Religiosus donec contrarium per sententiam declaretur; quæ praesumptio sufficit ad Iurisdictionem: caque de re nullus debet esse scrupulus. De hoc postremo latius agitur Casu sequenter.

CASVS XVIII.

Sixtus V. induxit quaedam impedimenta irritantia professionem. Quidam bona fide cum tali impedimento professionem emiserunt eo tempore quo illa Constitutio vigorem habebat.

QVÆRITVR Primò, An illa professio maneat perpetuò irrita, donec eam ratificauerint?

QVÆRITVR Secundò, An Superiores possint & debeant sic irritè professos, tractare vt suos subditos in administratione Sacramentorum, correctione, promotione ad Sacros Ordines, & Superioratum &c?

QVÆRITVR Tertio, An Superior teneatur taliter professos inducere ad iterandam validè professionem: Et si illi id nolint, possint interim vis priuilegijs Religiosis?

49
Inualidè professi nisi ratificent professionem, nullo tractu temporis sunt professe.

AD Primum: Respondeo, Professio eorum qui habuerunt tale impedimentum irritans inductum à Sixto V. facta eo tempore, quo illius Constitutio vigorem habuit, fuit irrita: vnde nisi cessante impedimento eam ratificauerint, manet irrita in hunc diem. Quia Non firmatur tractu temporis quod ab initio Iure non subsistit, Regula, Non firmatur. De Reg. Iuris in 6. Non ratificatur autè eorum Deo & in foro conscientia, nisi quis sciens

eam fuisse inualidam, vel saltem ea de re dubitans, nihilominus velit eam firmam esse, & se de nouo Deo obstringere, vt ei in Religione perpetuò feruiat. Vel certè nisi expressè intendat de nouo obligari, etiam in euentum quo fuisset inualida: Vt cum quis ita secum statuit: Etiam si mea professio fuisset inualida, tamen ex hoc tempore cupio illam esse validam, & quantum in me est illam iterum coram Deo renouo & emitto.

Hinc sequitur, eos qui sic nulliter professi fuerunt, neque professionem suam debito modo ratificauerunt, non esse verè Religiosos; ac proinde cessante scandalo posse egredi, & viuere in saeculo. Ita Nauar. Commentar. 4. de Regul. in fine. Sancius lib. 7. de Matr. disput. 37. n. 11. Henriques lib. 11. de Matrim. cap. 6. in Comment. finali. Emanuel Sà. V. Religio. n. 71. quod intellige, quando non sperant se posse obtinere licentiam egrediendi, eò quòd desit eis probatio, vel quia ob elapsum quinquennium non audientur: alioqui debent vti viã à Concilio Trident. sess. 25. c. 19. de Regul. praescripta.

Quare semper possunt redire ad saecula.

Ad Secundum: Respondeo, Superiores talium professoru possunt & debent eos tractare vt suos subditos, audiendo eorum confessiones, & Sacramenta eis ministrando, itè corrigendo, puniendo. Possunt etiam ad Ordines & Superioratum promoueri. Ratio est, quia si quinquennio à professione in Religione manserint, nec reclamauerint intra illud tempus; nec etiam cessante impedimento post quinquennium, manentes per aliquot annos impedimento sublato absque reclamacione, censentur in foro externo tacitè ratificasse suam professionem: ac proinde à Superiore haberi debent pro veris professis, & vt tales in omnibus tractari. Nam Concilium Trident. statuit illud quinquennium, vt, nisi interea reclamant, praesumantur professionem suam tacitè ratificasse: & idcirco non audiantur postea, sed habeantur veri Religiosi.

50
A Superiores possunt & debent haberi vt veri professi.

Si tamen illi se opponerent suæ professioni, & dicerent se nunquam suam professionem ratificasse, nec velle ratificare, non expediret eos mittere ad Ordines, aut promouere ad munus Superioris: quia etsi praesumantur esse Religiosi, tamen ipsi manifestè declarant se animo non esse Religiosos, nec velle esse, imò se cogitare de abitu: qui autè animo Religiosus non est, nò est promouendus, nisi animum mutet; vt per se notum est. Deinde, quia tales in foro externo non praesumuntur esse in bono statu, sed tendere ad apostasiam: nam praesumuntur esse Religiosi. Nec refert quòd Superior priuatim credat illos verum dicere, & re vera non esse Religiosos, ac proinde eos esse in bono statu etiam si egrediantur: Quia etiam si hæc priuata scientia vel credulitas Superioris satis sit, vt bonã conscientia permittat talem subditum celebrare, & vti Ordine accepto: non tamen sufficit vt promoueat illum ad Ordinem sacrum accipiendum, eò quòd desit illi animus Religionis. Idè dico de officio Superioris: In Religione enim non debent ad Ordines sacros vel Superiorum munera promoueri, qui affirmant se non esse Religiosos, nec animum ad Religionem habere, quantumuis putètur esse in bono statu, & veru dicere.

Non tamen debet mitteri ad Ordines, nisi nolint professionem ratificare.

Ad Tertium: Respondeo, Superior non tenetur (per se loquendo) taliter professos inducere ad iterandam professionem, vel ad eam, quam olim fecerunt,

Neque debent fieri Superiores

Non tenetur Superior illos inducere ad professionem iterandam.

52 Meditantes fugam non possunt ordinari priuilegio Religionis.

Neque ferre uocem in Capitulo

Neque a referuatis absolui.

Neque se amittere ijs, quae Ordini sunt propria.

fecerunt, ratificandam: nullum enim Ius id praecipit, & saepe accidere potest ut no expediat illos ratificare. Imo illi non tenentur eam ratificare, sed possunt expectare commodum tempus fugae.

Vtrum vero interea dum nolunt professionem ratificare, & fugam meditantur, possit ordinari, & frui priuilegijs Religionis, quibus absoluitur Religiosus a referuatis, & liberatur a uotis, &c. vide Sancium lib. 7. de Imped. Matrim. disp. 37. q. 5. ubi fuse & eruditè hoc prosequitur. Summa est, illos non posse ordinari priuilegio Religionis, sed debere id defugere quantum possunt absque nota infamiae. Sunt enim saeculares, ac proinde egēt litteris dimissorijs suorum Episcoporum, & titulo patrimonij vel beneficij.

Similiter non possunt ferre suffragium in Capitulo, nec acceptare munus Superioris, sed debent haec detrectare, & recusare quantum possunt sine infamia. Si tamen ex detrectatione & recusatatione infamiae nota eis impenderet, quam aliter non possunt effugere, sine culpa possent ita admittere.

Pari modo non possunt absolui a referuatis a Confessario Ordinis, nisi eo modo quo quilibet saecularis ab eodem Confessario absolui posset.

Itaque etiam si Superior in eis regendis procedere debeat secundum praesumptionem fori externi, & agere cum illis tanquam cum uiris Religiosis: tamen ipsi in omnibus procedere debent secundum iudicium fori interni & conscientiae, habendo se pro non Religiosis, & defugiendo ea quae Religiosorum sunt propria, quantum fieri potest absque scandalo & nota infamiae: Nisi uelint suam professionem ratificare; ad quod tamen absolute non sunt obligandi. Tenentur tamen illam ratificare, vel habere animum fugiendi oblata comoda occasione: ut bene docet Sancius supra.

CASVS XIX.

Professio inualida subdito ignorata.

Superior aduertit alicuius subditi professionem fuisse inualidam.

QVAERITVR, Vtrum hunc defectum subdito debeat patefacere? vel quomodo se habere debeat?

53

Respondeo, Si Superior successu temporis aduertit alicuius professionem fuisse inualidam, non semper tenetur id subdito indicare: ut si uideat illum bene contentum, & speret perseverantiam, vel si ex manifestatione metuat grauia incommoda. Fieri tamen potest ut tales sint circumstantiae, ut teneatur ei indicare: ut si Ordini impenderet inde aliquod graue incommodum &c.

Expedit benignè agere cum illo subdito: & totum negotium cum Episcopo conferre. Non puto uia aut aliqua uia aspera utendum; nisi quando constat quinquennium illius cucurrisse; nec causam amplius ad Ordinarium pertinere: quod hic sanè non constat. Nam in Sixtina secunda statuitur: *Ut nec tacita quidem professio inducitur intelligatur si in receptione constitutionis forma seruata non fuerit.* Per quod uidetur elidi omnis praesumptio ratificationis intra quinquennium; & consequenter ei, qui sic admissus, non cucurrit quinquennium. Unde posset iure Ordinarij audiri,

CASVS XX.

Titius Religiosus Professus multa allegat, quibus ostendit Professionem suam esse inualidam.

Quid agendum cum uolente discedere?

QVAERITVR, Quomodo in eo casu se geret Superior?

54

Respondeo, Si uera sunt coram Deo quae Titius allegat, potest cessante scandalo discedere, & redire ad saeculum; ut docet Nauar. Comment. 4. de Regul. in fine. Superior tamen non potest illum auctoritatè dimittere, ut constat ex Concilio Trident. Ea enim res deberet deduci coram Ordinario. Quod si elapsus est quinquennium a die professionis, iam excidit omni iure reclamandi, nec illi spes a foro externo. Si tamen persona Religioni esset noxia, posset Superior se habere permissiue, id est, non se opponere uolenti discedere. Imò si multum esset noxius, nec speraretur correctio, posset illum expellere. Tenetur autem ille, si uera sunt quae allegat, vel professionem suam ratificare, vel discedere. Ne autem sit scandalum, deberet ire ad loca, ubi est ignotus. Imò potest Superior ei dicere, si uera sunt quae allegat, Posse ipsum discedere, ita tamen ut caueatur scandalum.

CASVS XXI.

Hospitale est Fratrum & Sororum simul uiuentium qui se pro Religiosis habent, & passim a populo tales habentur, quorum praedecessores solebant profiteri Regulam S. Augustini; modernum uero iam pridem illam Regulam relicta, nouam quandam Regulam assumpsissent, quae non est approbata a Sede Apostolica.

Professio inualida defectu regulae approbatae.

QVAERITVR Primò, An sint ueri Religiosi

QVAERITVR Secundò, An relicto hospitali, ad saeculum & Matrimonium transire possint?

QVAERITVR Tertio, An Institutum istud ab Episcopo extingui queat?

Ad Primum: Respondeo, Fratres illos & Sorores hospitalarios, non esse censendos ueros Religiosos, etsi a plebe ita uocentur, & putentur tales. Ratio est, Quia institutum & forma illa uiuendi, nunquam fuit approbata a Sede Apostolica. Imò manifestè reprobatur a Canonibus: Cap. Desimus. & Cap. In nullo, 18. q. 2. & Cap. Periculoso, de statu Regul. in 6. Item a Concilio Tridentino sess. 25. c. 5. de Regul. Denique per Constitutionem Pij V. quae incipit, *Circa pastoralis officij.* Ex qua Constitutione auferit fortè quis affirmare, sorores quidem eas ad sic uiuendū esse inhabiles, ac illarum quaslibet professiones & receptiones irritas & nullas declarari: non tamen idem declarari circa Professionem fratrum. Nihilominus non uidetur ullū esse constituendū discrimen inter professionem fratrum & sororum illarum, adeoque dicendum, neutros esse uerè Religiosos.

55

Non est Religiosus, cuius forma uiuendi non est approbata a Papa.

Neque obstat, quod olim sorores, quae has praecesserunt, fuerint professae regulam S. Augustini; & fortè uerae fuerint Religiosae: quia posteriores sorores regulam S. Augustini non profiteantur, adeoque

Professio Religiosa inualida.

adeoque regula S. Augustini non potest eas constringere: quisque enim sua tantum professione, non aliena obligatur. Nolim tamen illis mox tam laxas præbere habenas.

56
Inuitti ne
retineantur.

Ad Secundum: Respondeo Primò, Non videri expediens vt Fratres illi inuitti in illo Instituto retineantur; cum Canonibus non congruat. Respondeo Secundò, Posse Ordinarium dispensare in voto Paupertatis & Obedientiæ, & absoluere ab hoc genere viuendi: & pro voto Castitatis eos remittendos esse ad Nuntium Apostolicum; qui, ad vitadum scandalum in populo putante eos esse veros Religiosos, posset ab eis requirere vt alibi habitent, præsertim si matrimonium inire velint.

Femina
issa non
videtur
egere dis-
pensatione.

Et quamuis fortè femina non egeat dispensatione suæ professionis suorumque votorum, quibus se illi Instituto obligarunt, eò quòd Pius V. generatim huiusmodi feminas inhabiles ad sic viuendum reddiderit, tamen ad ædificationem ipsarum & aliorum, & vt agnoscant potestatem Ecclesiæ, omnino videtur expedire vt requirant dispensationem ab Ordinario & ab Illustrissimo Nuntio Apostolico.

57

Ad Tertium: Respondeo, Fortasse expedire vt Institutum illud, qua parte feminas complectitur, potestate Ordinarij & Nuntij Apostolici omnino tollatur; vel certè, vt ex à virorum habitatione penitus separentur.

Vide supra Casum VIII. vbi fuscè ostensum est, neminem posse esse Religiosum, qui non proficetur secundum Regulam à Sede Apostolica approbatam.

CASVS XXII.

Titius instituit domum S. Agnetis, in qua seruetur laudabilis, pia, & bono publico expediens viuendi norma.

Quæritur, Vtrum Episcopus, in cuius diocesi ea domus erigitur, possit illud Institutum vt tale approbare, commendare, & declarare, illudque aliquibus priuilegijs munire?

Episcopus non Religio- nem, sed prius In- stitutum potest ap- probare.

58
Episcopus iure pro- prio potest in sua diocesi Reli- gionem in- stituere.

Respondeo, Episcopum, cum sit Princeps sacerorum in sua diocesi, posse iure proprio, & seposità Ecclesiæ reservatione, etiam Religionem nouam in sua diocesi instituendam approbare. Nam primæ Religionis, vt S. Antonij, Basilij, Augustini, Benedicti, non fuerunt initio à Summis Pontificibus, sed à solis Episcopis locorum admittæ & approbatæ, idque magis ipso vsu, permissione, & commendatione, vel laudatione Instituti, quàm aliquo solemnè actu vel instrumento. Quòd autem modò non possint, prouenit ex sola Ecclesiæ prohibitione, quæ vetatur nouarum Religionum institutio absque Sedis Apostolicæ auctoritate; vt patet ex Concilio magno Lateranensi sub Innocentio III. cap. vltimo de Religiosis domibus: & Lugdunensi sub Gregorio X. Capit. Religionum, de Religiosis domibus in 6. Simili modo poterant olim in sua diocesi quodammodò canonizare Sanctos, & eorum cultum publicè concedere; quod adhuc modò possent, nisi Summus Pontifex id sibi reseruasset.

Sed id mo- do non po- test ex pro- hibitione Ecclesiæ.

Vt neque Canonizati- onem.

59
Potest prius In- stitutum ap- probare.

Itaque cum Institutum illud domus S. Agnetis non eò tendat, vt sit, aut habeatur Institutum Religionis, sed solum vt censeatur laudabilis, pia, & bono publico expediens viuendi norma, non est

Rebellio.

253

dubitandum, quin Episcopus, in cuius diocesi erigitur, possit illud vt tale approbare, commendarè, & declarare, illudque aliquibus priuilegijs munire: certum enim est hanc potestatem ei iure proprio competere, & nusquam per decreta Pontificum vel Conciliorum id ei esse prohibitum. Simili modo aliquando approbatum fuit Institutum Fratrensi, quod tamen, præter tria vota simplicia, habitum nouum Religiosis proprium præscriberebat. Vidi similem approbationem factam post Concilium Generale Lateranense ab Episcopo Tornacensi circa annum Domini 1260. qua confirmatur Institutum & Regula Fratrum hospitaliariorum, qui seruiunt cuidam hospitali Gandau.

Ita in illi- tui Fra- trenses, & Hospitalia- rii.

60

Vt autem hæc approbatio habeat plus ponderis, bonum erit si Regula & totum Institutum examinentur diligenter ab aliquot Doctoribus Theologis, quorū accepto testimonio, Episcopus auctoritatiuè declarat illud esse laudabile, pium, &c. & pro tali illud approbet &c. Alijs rationibus, rem adeo claram, non est opus confirmare.

REBELLIO.

CASVS I.

Vtrum fidi & legitimi subditi degentes in vrbe Regi suo iniuste rebelles, possint illi vel eius militibus urbem rebellem inuadentibus resistere?

Resisteres legitimo Principi urbem inuadenti.

Respondeo, Id cuiusmodi ciues non posse: sicut nec priuatus potest resistere legitime potestati. Ratio est, quia Rex iure urbem illam inuadit tanquam Iudex legitimus subditos rebelles; alioquin daretur bellum vtriusque iustum, seposità ignorantia, quod omnes DD. negant. Nec refert quòd isti ciues non sint rebelles; nec meriti sint spoliati: quia hoc ipso quo sunt pars istius Ciuitatis, Rex habet ius inuadendi generatim omnes, & spoliandi ob delicta Ciuitatis, cuius ipsi sunt pars: si ergo resistant, faciunt ei iniuriam. Possent tamen resistere & sese opponere, si milles abigeret prædas, & præsumeretur id facere contra voluntatem sui Gubernatoris.

Possunt res- sistere præ- dationi.

Si obijcias Regem non præstitisse suas partes defendendo suos ciues; ac proinde ciues non teneri agere partes Regis cum tanto suo incommodo. Respondeo, Regem maximè præstitisse partes suas in hac re: Primò, Quando conatus fuit inire pacem, & sine omni incommodo suorum ciuium, rebelles illos sibi reconciliare, qui tamen pacem renuerunt. Secundò, Quando vix vllas prædationes admittit, vt lenitate reduci possent. Tertio, Quando magna vi armorum, quod tamen posset, rebelles non obruit; ex quo maximè passi fuissent fideles isti ciues.

Esto tamen: Concedamus fidos illos ciues non teneri pro Rege suo pugnare cum magno suo danno; tamen non possunt pugnare contra Regem: tum quia manent subditi; tum quia non possunt iuuare rebelles, etiamsi non essent subditi. Vnde etiam externæ nationes isthuc versantes, non possunt Regi resistere; quia hoc est iniquitati cooperari. Qui autem vult esse extra periculum spoliationis, debet se à rebelli Ciuitate separare.

Quid so- cium ex- terna na- tionis ist- hic versan- tes.

Y CASVS

CASVS II.

Secretarius in Oppido rebelli subscribens decretis.

Secretarius cuiusdam Oppidi ab hoste oppressi cum petuntur exactiones pro bello manifestè iniusto, resistit quantum potest; & quia aliorum vota vincunt, scribit decretum, & subscribit ex officio, non ut approbans, sed ut testificans.

QVÆRITVR, An id saluâ possit conscientia?

3
Ratio adhibenda,

Videri possit hoc omnino illicitum: Primò, quia videtur esse aperta cooperatio ad malum. Quis enim non dicat talem iuare ad bellum, & ad exactiones illas iniustas? Deinde, ex vi illius scripti exiguntur iniquæ exactiones: atqui omnium Doctorum sententiâ Notarius tenetur quando conficit instrumentum ex cuius vi petuntur vsuræ. Tertio, Notarius scribens sententiam capitis apertè iniquam, est irregularis, & tenetur ad restitutionem, quia cooperatur ad mortem iniustam. Ob has & alias rationes cenfeo hoc officium esse periculosum, & omnino dissuadendum.

4
Potest id saluâ conscientia fieri certis conditionibus.

Si tamen non esset alicui integrum, vel nollet omnino deserere hoc officium, videtur posse tolerari, modò scandalum absit, & ille id faciat cum animo impediendi mala, & promouendi causam iustam vbiicumque poterit. Ratio est, quia posito illo statu rerum, scribere tale decretum non est perse malum, & Respublica consentit vt faciat, & mauult talem esse in officio, quàm eum qui iniusto bello faueat. Itaque cessat hęc iniuria in Rempublicam; etsi ex vi illius decreti fiat executio: non enim ipse cogit soluere, sed auctoritas Magistratus, quam ipse suo scripto proponit. Nec etiam facit iniuriam Principi suo naturali seu legitimo: tàm, quia illa actio est solùm remota cooperatio ad bellum, & si ipse non scriberet, alius scriberet; tàm, quia Princeps mauult talem esse quàm alium sibi planè aduersum. Denique oppressâ Republicâ per Tyrannum, non tenentur omnes quætores, graphiarij, & alij officiales sua officia deponere, etiam ipse noua tributa instituat, modò ipsi nihil faciant, quod per se malum sit: nam Respublica mauult vt sint Christiani, quàm Turcæ vel hæretici, modò tamen illi animum habeant, qualem diximus.

CASVS III.

Aduocatus in Oppido rebelli consultus de exactionibus.

Virum Aduocatus à populo consultus possit respondere ipsum teneri ex vi decreti supra dicti ad solutionem exactionum pro bello iniusto?

5

Respondeo, Si Aduocato absit animus patrociniandi iniquitati, & eâ mente officio isto fungatur vt mala impediatur, & iustitiam, quantum in se est, pro re natâ promoueat, non est in malo statu, poteritque respondere quidnam ex vi talis ordinationis à Magistratibus factæ sequatur, vel debeatur: non quasi hoc absolutè debitum sit, sed ex suppositione; v.g. Sequendo ordinationem talem, ille debet tantum &c: hoc enim declarare, non est pronuntiare, Hoc esse iustum, vel debitum in foro conscientia, sed esse debitum in foro illius Respublice sic constituta. Accedit, quòd partes in hoc cõsentiant;

Adhibenda est limitatio,

nam quæstio ea de re inter ipsos vertitur: & quâuis fortè interrogans seu consulens non cupiat id declarari, non refert; quia Aduocatus solùm ex suppositione definit.

CASVS IV.

Virum sit illicita proclamatio diei precum, pro felici successu belli iniusti?

Proclamatio precum pro bello iniusto.

Respondeo, Seposito scandalo non putarem illicitam esse illam proclamationem; cum illam Secretarius vel Præco sine amissione officij non possit detrectare: modò felicem illum successum sanè intelligat & intendat; nimirum partem iustam causam fouenti, vt Deus illi felicem successum præbeat: parti iniquæ, vt superetur: id enim illi felicius esset, quàm vincere. Difficile tamen est videre quomodo possit vitari scandalum: videtur enim cooperari parti bellum iniquum gerenti, & illi victoriam precari.

Adhibenda est limitatio.

Aduerte, Vt clariùs securiusque in hoc & similibus casibus procedatur, expedit ipsam verborum formam examinare, qua Secretarius diem precum pro felici successu belli iniusti proclamat.

CASVS V.

Ciuitas gerens bellum iniustum, vt gerendo bello pecunias habeat, cogit ciues à se emere census; quos vt soluat, indicit vectigal.

Collectio vectigalium.

QVÆRITVR, An quis ex fidei subditis, possit vt redemptor, hoc vectigal colligere?

Respondeo, Possè: Si tamen non cogat soluere eos qui statum illum improbant, & scandalum absit. Ratio est, quia talis redemptor non est causa damni, posito illo statu rerum: & fideles subditi malunt talem aliquem esse istorum vectigalium redemptorem, quàm maleuolum vnum, qui iniustum bellum omnino promouere desiderat.

7

CASVS VI.

Virum liceat Ciuitatem rebellem iuare in constructione nauium, quibus bellum iniustum geret?

Constructio nauium bellicarum.

Respondeo, Cooperari ad ædificationem nauium Ciuitatis rebellis, non est perse malum; cum habeat vsum indifferentem. Itaque si absit mala intentio, & te cessante æquè benè opus fiet, puto te posse cum alijs manus admouere; præsertim si aliâ ratione non possis commodè victum conquirere. Consultum tamen est abstinere quantum commodè licet.

8

CASVS VII.

Virum liceat transfuere annonam ad naues Ciuitatis rebellis, & ad prædarios in oppido iniquè ab ea captis, collocatos?

Transfuctio annonæ.

Respondeo, Cùm transfuctio illa annonæ ad naues, & ad prædarios in oppidis abbelli Ciuitate captis collocatos, perse sit indifferens, & te cessante alij plurimi non sint defuturi, qui eam suscipiant, cessante scandalo non videtur

9

detur omnino prohibenda, modò praua intentio absit: maxime si sine graui iactura vel incommodo non possit eam relinquere.

CASVS VIII.

Ciuitas rebellis gerens bellum iniustum, sub ha-
sta vendit ea spolia, quæ à subditis legitimi
Principis accepit.

QVÆRITVR, An boni fideique subditi inter
rebelles istos degentes, possint ea bona e-
mere?

R Espondeo, Spolia illa, quæ Ciuitas rebellis
iniustum bellum gerens accepit è terris vel
nauibz subditorum legitimi sui Principis, vi-
dentur à bonis fideisq; subditis inter rebelles illos
degentibus emi posse eodem modo, quo ab alijs
emuntur; cum animo tamen reliquendi ea domi-
nis eodem pretio si compareant: ad quos, si co-
gnoscantur, scribendum erit, an tali pretio velint
illa redimi, quando magnâ quantitate emuntur.
Ratio est, quia non est voluntas dominorum, vt
soli rebelles & maligni illis frui possint, sed etiam
boni fideique subditi; tamen cum prædicta limi-
tatione. Valdè enim irrationabile esset bonos il-
los subditos, vique ibidem oppressos, ab illa em-
ptione excludere: sic enim totum commodum
perueniret ad rebelles, absque vllò dominorum
fructu.

Confirmari ista possunt ex his quæ habet Na-
uarrus cap. 17. numero 98. de proiectis in mare
per naufragium, si domino ita pereant vt non
habeat spem recuperandi. Hæc enim si quis recu-
peret suo periculo, potest ea retinere; nisi domi-
nus malit ei pretium restituere. Idem videtur si
suo sumptu recuperet.

Dices, Est dispar ratio: Quia in mari ita peri-
rent, vt dominus nullum ius in illa, vel in alia
acquireret. At per emptionem non pereunt, sed
manent in eius dominio; & illis consumptis, ha-
bet actionem personalem in emptores.

R espondeo, Hoc ius valdè parui æstimari à
dominis, & quasi pro nihilo reputari; nec esse ra-
tionabile vt propter illud velint excludi bonos
fideosque subditos, aut eorum conscientias grauari,
si cum prædicto animo emerint. Adde quando
tali animo emunt, non teneri ad restitutionem cum
suo damno; quia causâ gestionis negotij possunt
repetere pretium & sumptus factos.

RELIGIOSVS.

CASVS I.

Titius donauit Caio fratri pensionem annuam
ex bonis suis. Caius ingreditur Religionem.
Offensus ob hoc Titium donationem reuocat.

QVÆRITVR, An Caius possit priuari illa do-
natione ob ingressum Religionis?

V T ad Casum propositum clariùs respon-
deatur:

Notandum Primò, Hic esse donationem cen-
sus, quem Doctores vocant *consignatium*. Datur
enim ius percipiendi quotannis certam pensio-
nem ex bonis donatoris, & in dese-

sum solutionis obligantur quædam in specie.
Quale ius quisque super se & bona sua in genere,
vel in specie constituere potest, modò ipse sui iu-
ris sit: & hoc ius *Relictus* seu *census consignatiuum*
dici solet.

Notandum Secundò, Tale ius etiam si sit quid
spirituale, non minùs posse transferri in alterum,
& donari, quàm res corporales, vt agros vel do-
mos: & donatariu non minùs acquirere domi-
nium vel quasi-dominium talis iuris, quàm rei
corporalis donatæ, vel venditæ. His politis vt cer-
tissimis & notissimis in vtroque Iure.

R espondeo, Titium non posse reuocare illam
donationem semel factam Caio fratri, ex causa
ingressus Religionis. Ratio est, quia hæc dona-
tio fuit valida, & legitime acceptata, & per eam
translatum fuit dominium illius iuris in Caium.
Fuit etiam hæc donatio absoluta, non restricta
ad vllum statum, vel vitæ conditionem; nullo
etiam onere grauata. Postquam autem semel fa-
cta est donatio aliqua absolute, non potest ei pos-
tea vllum onus, vel conditio, vel limitatio apponi
absque consensu donatarij, vt communiter do-
cent Doctores. Quòd autem per hanc donatio-
nem fuerit translatum dominium in Caium abso-
lute, ex eo manifestum est, quòd integrum ei fue-
rit hunc censum alteri vendere vel donare: quod
est clarissimum perfecti dominij signum.

Quòd verò ob ingressum Religionis reuocari
non potuerit, perspicuum est: Primò, Quia tres
solum casus assignantur à Doctoribus, in quibus
donatio valida acceptata reuocari potest. Primò,
Ob ingratitudinem donatarij. Secundò, Ob pro-
blem susceptam. Tertiò, Si sit inofficiosa. Nullus
horum casuum hic locum habet, vt suppono.

Secundò, Quia nemo potest spoliari re sibi de-
bita, aut iure quod possidet, propter opus bo-
num & laudabile, quale est ingressus Religionis.
Hoc enim impium & sacrilegum esse docet san-
ctus Basiliius in Regulis sulsus disputatis quæst. 9.
& Saluianus lib. 3. de Auaritia, etiam si præten-
datur quòd Religio non egeat. Quòd si id im-
pium & sacrilegum ceseat in parentibus denegan-
tibus legitimam portionem filijs Religionem in-
gredientibus, quam tamen portionem filij non-
dum possident, sed solum habent ius ad rem, vt
loquuntur Iurisperiti: multò magis impium & sa-
crilegum erit, si quis spoliatur re quam nunc pos-
sidebat pleno iure dominij, eò quòd Religionem
ingreditur? præsertim cum illa Religio in magna
sit egestate, & aliæ circumstantiæ concurrant que
hic allegantur.

Ex quibus bene expensis, apertè concluditur
Titium non posse priuare Caium fratrem suum
bonâ conscientia donatione olim factâ census il-
lius: sed peccare contra Iustitiam, & teneri resti-
tuere in integrum, non solum soluendo in poste-
rum pensiones annuas, sed etiam soluendo easdem
pensiones pro annis præteritis quibus non soluit,
& facièdo damnum omne quod Caius ob dene-
gatam solutionem per Titium incurrit.

De hac materia vide infra V. Testamentum Casum
1. 2. 3. 4. & 5. Item vide quæ dicta sunt supra V.
Bona Ecclesia. Casu 1. 2. 3. 4. & 5.

Emptio
spoliòrù
iniquè
accepto-
rum.

TO
Affirma-
tur.

II
A simili, de
bonis nau-
fragantiù.

Reuoca-
tio factæ
donatio-
nis ob in-
gressu
Religio-
nis.

I
Census
consigna-
tiuus, quid.

Habet hæc
iur am vel
corporalis.

2
Hæc dona-
tio non pot-
est reuoca-
ri.

3
Non potest
reuocari
ob ingressu
Religionis.

4
Teneretur
Titius ad
restitutio-
nem.

CASVS II.

Religiosus est capax Pastorum.

Virum Religiosum Iure communi sint capaces Pastorum cum venia Superiorum & Episcopi illum diocesis? &c., An teneatur Superior eos recipere si infamia laborent?

Expendi ea quæ Illustrissima Dominatio Vestra ex Nicolao Garcia p. 7. cap. 10. num. 17. & sequentibus, notauerat. Nihilominus maneo in sententia, Religiosos Iure communi esse capaces Pastorum cum venia Superiorum, & Episcopi illum diocesis. Hæc enim est communis sententia Doctorum, vt docet Panorm. in Cap. *Quod Dei timorem*, de Statu Monachorum. Et constat ex multis Iuribus 16. quæst. 1. Ex quibus etiam patet ferè omnibus sæculis hanc praxim in Ecclesia fuisse.

Nec obstant Auctores quos Garcia in contrarium adducit: tum, quia pauciores sunt; tum, quia illi ipsi docent Episcopum posse illis concedere, & cum illis dispensare vt Pastorum habeant. Atqui hæc dispensatio semper, vel ferè semper interuenit. Episcopi enim est Parochos admittere, & plerumque ipse etiam est collator. Hoc ipso autem quo admittit, censetur dispensare. Imò hoc ipso quo permittit illi Pastorum fungi, eumque non expellit, ostendit illum esse capax Pastorum: Si enim non est capax, tenetur expellere.

Quod verò ad illum attinet, de quo agitur; ille duobus modis se tueri potest. Primò, Quod ab Episcopo admissus, & tam diu permixtus fuerit illud munus obire. Secundò poterit se tueri per Regulam Cancellariæ de Possessore triennali.

Si tamen infamia laboret de turpitudine, poterit ei indici purgatio Canonica; quam nisi possit præstare, poterit suspendi ab officio, & etiam priuari; quia infamis vtiliter nequit Pastorum gerere.

Abbas tamen, cum semel separatus ille fuerit à monasterio, cogi non potest vt illum recipiat, sed manet ille sub potestate Episcopi, vt communiter tradunt Doctores ex Cap. *In Paroia*. 16. quæst. 1. de quo videndus Nauar. Cap. *Non dicatis*, n. 7.

CASVS III.

Fuga ex monasterio.

Virum Religiosum fugiens ex monasterio timore pena, si excommunicatus qui tamen non dimisit habitum, antequam eo per sententiam fuit priuatus à Prouinciali & Capitulo? &c., An Episcopus possit vti eius operâ?

Respondeo Primò, Non est excommunicatus per hoc quod fugerit: vt docet Nauarrus Comment. 2. de Regularibus num. 61. quia id nullo Iure cauetur.

Secundò, Non est etiam excommunicatus quod dimiserit habitum, postquam à Prælato & Capitulo priuatus est habitu & Ordine ob sua delicta: quia non temerè dimisit, vt Canon requirit; nam licitè potuit parère illi sententiæ. Vnde etiam potuit vti habitu Clericali, sine vlla dispensatione Papæ: vt idem Nauarrus docet Comment. 6. num. 36.

Tertiò, Potest Episcopus vti eius operâ, &

dare illi nouam iurisdictionem. Non tamen potest vti eâ iurisdictione quam habuit à Religione; nam hæc per dimissionem est extincta.

CASVS IV.

Virum omnia illa quæ in Clementina Ne in agro, de Statu Monachorum. Et Cap. Cum ad monasterium, eodem in 3. imperatur Monachus Benedictinis, eos obligent ad peccatum mortale?

Respondeo, Non omnia obligare. Tum, quia non omnibus additur verbum præceptiui; tum, quia materia in plerisque est leuis; tum denique, quia principalis intentio non est vbique singulos actus prohibere, sed consuetudinem & continuationem. Vnde, etsi dicatur, *Firmiter inhibemus ne quis de cetero Monachorum lineis canisibus vteretur*, non tamen putandum est, si semel, bis, terue quis vtatur talibus, fore peccatum mortale; quia materia videtur leuis, & intentio Pontificis est consuetudinem prohibere. Videtur tamen fore peccatum mortale si ordinariè vtatur; quia materia videtur grauis, & aliàs apponitur verbum præceptiui. Fortè tamen verius est ne quidem tunc obligare sub peccato mortali: sic enim sentit Siluester Verbo *Religio*, 7. quæst. 15. ex Archidiacono; quia nõ videtur maioris momenti quàm comedere carnes; quod tamen non est mortale, vt multi Doctores docent. Verba præceptiua non semper indicant præceptum perfectum obligans sub peccato mortali.

Quæ verò dicuntur de silentio certis locis & horis seruando; de modo succurrendi inferioribus: puto non obligare nisi ad penam seu castigationem regularem sustinendam: quia nulla ponuntur verba quæ strictum præceptum significant. Eiusdem generis cenleo esse ea quæ habentur Clementina *Ne in agro*, de Statu Monachorum, §. *Statutum*. hoc enim verbum iuxta Doctores non significat præceptum: Item ea quæ §. *Sanè*, de mensura confessione & communione, & expositione Regulæ lingua vulgari. Vnde initio §. *Si quis*, dicitur, *Si quis præmissorum temerariè violator extiterit, regulari subiaceat disciplina*. Nec obstat, quod §. *ultimo*, dicitur, *Præmissa omnia expresse volumus & statum firmiter obseruari*; quia hæc verba non significant præceptum, sed statutum.

Maior difficultas est de ijs quæ habentur §. *Si quis*, de Sotularibus altis; de Capitijs non filiis; de venatione clamosa: quia penæ quædam imponuntur. Sed hæc penæ non sunt adeo graues vt requirant peccatum mortale.

Alia est ratio de ijs quæ habentur §. *Quia verò*: nam verba sunt præceptiua, & grauis pena imponitur. Idem dico de ijs quæ habentur §. *Ad hæc*, quia dicitur, *Perpetuo prohibemus edito*.

Petes: Vtrum positò quod singula supra dicta cadant sub præcepto obligante ad culpam mortalem; si alibi tanta obligatio non sit in vtu, vel Religiosis ante professionem non sit infinuata, possit eadem adhuc vim obtinere?

Respondeo, Sicut lex potest abrogari per consuetudinem, ita etiam potest abrogari obligatio; si nimirum sensim incipiat lex seruari tanquam res libera, nemoque inter se vinculo peccati teneri si omiserit.

Obligatio Statutorum Monachorum S. Benedicti.

8

Vtus lineæ canisibus.

Silentium certis locis & horis, &c.

Confessio & Communio ræstruam.

De Sotularibus, caput iij. & venatione.

Obligatio mortalis potest consuetudine fieri vniuërsis.

Infamia laborans non tenetur Superior recipere.

Fuga ex monasterio.

omiserit. Non tamen sufficit quod mihi profitenti hæc obligatio insinuata non fuerit ; quia hoc ipso quo inferior professione alicui monasterio, tacite suscipio omnes leges & consuetudines illius ; idque cum ea obligatione, quâ ibidem vigent.

CASVS V.

Praelatus Arsenius in sua inauguratione iuravit, Quod bonas consuetudines, laudabiles & approbatas monasterij obseruabit, & obseruari curabit: & in fine iuramenti additur hæc clausula, Præmissa per me lecta, promitto tenere & adimplere, prout & in quantum iure teneor.

QVÆRITVR, An saluo isto iuramento possit consuetudines quasdam minus laudabiles, & Religioni incongruas, quæ tamen immemorabili tempore seruatae sunt, abrogare?

Respondet, Prælatum Arsenium per illius iuramenti formulam, nullo modo impediri, quin possit & debeat procedere in reformâdo suo monasterio, & tollendis quibusdam consuetudinibus etiam immemorialibus, quarum in articulis à Religiosis propositis, fit mentio.

Primò, Quia Abbas solum iurat Quod bonas consuetudines, laudabiles & approbatas monasterij obseruabit, & obseruari curabit. At illæ consuetudines, quas ipse cupit tollere, quarum mentio fit in articulis, non sunt bonæ & laudabiles: vt est illa de Taillis & Contingentibus, de mensis separatis, de trimestri recreatione nouem dierum, de absentia à choro post certum annorum numerum in Religione transactum, & similia. Sunt enim aperte contra regulam, quam sunt professi: nec solum contra regulam, sed etiam contra vitæ regularis rationem & essentiam; & continent in se vel violationem votorum, vel illius violationis aut certe peccati mortiferi periculum. Vnde non consuetudines bonæ, sed tanquam corruptelæ sunt censendæ.

Secundò, Quia in iuramento additur hæc clausula: Præmissa per me lecta promitto tenere & adimplere, prout, & in quantum iure teneor. Per quam clausulam omnia restringuntur ad ea duntaxat, ad quæ aliàs iure tenebatur. Itaque cum nullo iure, seposito iuramento, teneretur illas consuetudines seruare aut permittere, iuramentum superueniens nullum vinculum inducit: quia solum est accessorium, supponens obligationem iuris, ratione officij; quæ obligatio cum non subsit, nihil etiam subest quod iuramento confirmetur. Sicut cum quis promittit, & iurat soluere vsuras in quantum iure tenetur, nullam per hanc promissionem aut iuramentum obligationem contrahit: secus tamen esset si illa clausula, in quantum iure teneor, abesset.

Confirmatur, Quia illud, in quantum iure teneor, vim habet conditionis, si iure teneor: atqui conditione non subsistente, sub quâ iuramentum est præstitum, perspicuum est ipsum esse irritum, & nullam prorsus inducere obligationem.

Tertiò, His addo, etiam si Prælati expresse iurasset se seruaturum omnes illas consuetudines iam dictas, tamen nullo modo teneretur; sed posset & deberet illas tollere, modo facultas exequen-

di suppetat. Ratio est, Quia iuramentum non potest esse vinculum iniquitatis. Atqui iniquum est & illicitum vt Superior illas consuetudines seruet, aut seruari euret, aut permittat. Item, Nemo potest se iuramento obstringere ad aliquid, quod repugnat ipsius officio, seu ad cuius contrarium ex officio tenetur: atqui Prælati ex officio tenentur ad tollendas huiusmodi consuetudines; quia tenentur reformare suum monasterium, & ad veterem disciplinam reducere, vt statuit & præcipit Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 1. de Reformat. Vnde, sicut si iuramento promitteret se nõ reformaturum suum monasterium, iuramentum esset plane irritum; ita etiam irritum esset, si promitteret se consuetudines illas seruaturum, aut permitturum ab alijs seruari.

Denique, nullum iuramentum potest obligare contra bonum commune, aut contra decreta Conciliorum, vel Summorum Pontificum, aut aliorum legitimorum Superiorum: quia auctoritas Superioris semper censetur excepta circa materiam illi subiectam.

Ex his luce meridianâ clarius est, iuramentum illud nullo modo impedire Prælatum, quin possit & debeat reformationem sui monasterij instituire, & supra dictas consuetudines, quantum in ipso erit, è medio tollere.

CASVS VI.

Vtrum Prælati Arsenius possit suis Novitijs in professionem emissuris, hæc formulam professionis & renuntiationis proponere, & exigere ab his scripturam, quo testentur se in eam consentire?

Formula est huiusmodi: Ego, N. Novitius Religionis monasterij S. Paphuntij professionem solemnem ibidem hodie emissurus, cum à Reuerendo admodum in Christo Patre ac Domino D. Arsenio dicti monasterij Prælati, iuxta Statuta Synodi nuperrime celebrata, de voluntate mea circa obseruationem regule, & reformationem examinatus essem, tam secreto & particulariter, quam publice coram toto Conuentu; respondi & respondere paratus sum, id quod præsertim scripto sincere & ex animo respondeo & restor: me paratum esse & fore, vt quouis post meam professionem tempore, obseruem, Deo dante, totam ac integram Regulam S. Paphuntij. Itemque decreta ac reformationes non tantum factas, sed & ex regulâ aut secundam regulam prædictam ad meliorem eius obseruationem faciendâ: quæ omnia sine resistentiâ, contrauentione, aut contramachinatione amplectar; & obseruabo quandoocunque à S. Sede Apostolica, Nuntijs eius, vel à Synodo, aut à præfato Domino nostro Prælati, aut alio pro tempore existente, fuerit inuocatum aut præceptum.

Et ne huius præsentis bonæ voluntati impedimentum postea interueniat; declaro præsertim eodè scripto, me desiderio perfectæ subiectionis ac paupertatis Christi Domini imitanda peritorum, renuntiare omni iuri & pretensione iuris ad certas portiones, aut portiones quantitates, aut qualitates in cibo aut potu; ad vestitus pretium seu taxam; ad vinâ seu emolumentum ex officij & laboribus; ad certas recreationes, exemptiones ab officijs diuinis, atque regularibus: idemum cuiuscunque iuri quomodocunque ordo, renuntio in præsens, & futurum, vobis haberi incipex: huiusmodi iuris acquisiti vel acquirendi; ita vt nullo prætextu vel colore quidquam mihi vt debitum postulare vnquam possim aut valeam.

Iuramentum non est vinculum iniquitatis.

Iuramentum contra bonum commune non obligat.

Reformatio à Novitijs inchoanda.

Formula Novitij preposita in ordine ad indicendam reformationem.

Superior tenetur ad Religiosam reformationem, non obstante suo iuramento in contrarium.

12 Affirmatur.

13 Si conditio non inest promissioni, iuramentum superueniens non obligat.

A simili de iuris.

14

Promittoque me fore contentum nuda & sola Regula
prædicta, & Reuerendi Domini pro tempore Prælati
mei dispositione; quam, vt à Deo profectam, ipso auxi-
liante, a quo semper animo & gaudente suscipere cona-
bor. In cuius rei fidem & testimonium, hoc scriptum ma-
nu propria subsignauit, hac die &c.

17
Oppositio
quorundam
contra
prædictam
formulam.

Quidam ex dicto monasterio contendunt hanc
formulam non posse à Prælati Nouitij proponi;
imò eam irritam esse & nullam; & volunt vt. Præ-
latus per instrumentū eam irritam declaret: Quia,
inquiunt, est actio purè personalis inter contrahentes
contraria primlegijs & consuetudinibus antiquis & im-
memorabilibus huius domus: addentes, se non reputare
illos Religiosos ad aliud obligatos, quā ad id, quod verba-
liter in Capitulo promiserunt iuxta nuperam Synodum,
Quæ dicit debere eos examinari de voluntate obseruatio-
nis Regula, non obligans eos vt id scripto suo testentur.

18
Sententia
Auctaria
pro prædi-
ctæ forma-
læ.

Expenfis sacris Canonibus & in primis S. Oc-
cumenici Concilij decretis, & communi Docto-
rum de Statu Regularium doctrina: Respondeo
non videri vllum dubiū quin Prælatus huiusmodi
formulam suis Nouitij proponere possit, & exi-
gere ab illis vt scripto testentur se in illam con-
sensisse. Primò, Quia in hac formulā nihil habet-
tur, quod non contineatur implicite in ipsa pro-
fessione, & ad quod, cum quis accedit ad profitem-
dum, non debeat esse paratus. Quod patebit, si
singulæ eius clausulæ considerentur.

1. Religio-
sus tenetur
ad obser-
uationem
Regulæ.

Prima est, Quæ testatur se esse & fore paratum ad
seruandum totam Regulam S. Paphnutij. At commu-
ne est omnibus Religiosis vt regulam sui Ordinis
seruare parati esse debeant; & in omnibus Ordi-
nibus bene constitutis sepius à singulis exquiri so-
let, An regulam Ordinis integrè parati sint serua-
re. Imò hoc ipso quo quilibet votum obedientiæ
in professione emittit, obligat se ad parèdum om-
nibus, quæ secundum Regulam præcipiuntur; vt
omnes Doctores tradunt: D. Thomas quodlib. 1.
qu. 9. art. 4. & quodlib. 10. art. 10. & 2. 2. qu. 186.
art. 9. ad 1. Siluester V. Religio 1. num. 8. & 10.
& Religio 6. num. 6. vbi dicit; Si Prælatus præci-
pit secundum Regulam, id est, secundum contenta in re-
gula explicite vel implicite, vt sunt omnia sine quibus
ordo regularis, & plenior obseruatio conseruari non pos-
set, obedire tenetur secundum omnes: nimirum ex vi
voti obedientiæ, vt ibidem explicat.

Neque his obstat quòd aliqua fortè in regula
per legitimam dispensationē sunt sublata, vel mu-
tata; quia de his non agitur, si quæ talia sint; sed
de alijs quæ essentiam instituti Regularis vel mo-
rum decentiam magis attingunt, & praua consue-
tudine sunt abolita, vt nu. 20. dicitur. Neque tam-
en hic exigitur, vt regulā statim integrè, etiam
quoad ista, seruent, & omnes illas consuetudines
regulæ repugnantes deserant; sed solum vt parati
sint eam integrè seruare, & illas consuetudines re-
ligioso statui minimè congruentes relinquere,
quando legitima auctoritate reformatione indu-
cta, præcipiuntur.

19
2. Tenetur
ex voto
Obedientiæ
ad legitima
reforma-
tiones.

Secunda est, Quæ testatur se etiam esse & fore pa-
ratum ad seruanda decreta & reformationes cum factas,
cum legitima auctoritate faciendæ; idque sine resisten-
tiæ & contrariatione. Sed & hæc clausula ius-
tissima est: quia ad hoc totum omnis bonus Re-
ligiosus semper paratus esse debet, & per votum
obedientiæ se ad hoc totum obligat. Quia eo ipso
quo vouet obedientiam, obligat se ad omnia quæ
præcipiuntur & ordinabuntur consentaneè ipsi

regulæ: vt omnes Doctores tradunt.

Tertia est, Declaro me renuntiare omni iuri & præ-
tensionem iuris ad certas portiones, aut portionis quanti-
tates, aut qualitates in cibo & potu, ad vestitus pretium
seu taxam, ad vna seu emolumenta ex officijs & labo-
ribus; ad certas recreationes, exemptiones à diuinis offi-
cijs & obseruantijs alijs regularibus; & volo haberi
incapax huiusmodi iuris, &c. Hæc omnia iustissima
sunt, & statui Religioso intrinseca: quia ex vi vo-
ti Paupertatis in professione emissi, omni iure ad
pecuniam, & ad res pecuniæ æstimabiles, se spoliat
quilibet Religiosus, & fit incapax talis iuris. Et
ex voto Obedientiæ, priuat se iure ad actiones &
recreationes externas. Vnde prætereundè ius ad
pecuniam, vel res temporales, pecuniæ æstimabi-
les, vt ad certam quantitatem vel qualitatem cibi,
ad vestitus pretium, ad emolumenta ex officijs
diuinis &c. ita vt de his independentè ab arbi-
trio Prælati possit disponere, nec Prælatus possit
ea tibi auferre, est manifestè contra votum Pau-
pertatis; estque vitium proprietatis, quod tanto-
pere sancti Patres in Religiosis semper sunt dete-
ctati. Simili modo prætereundè ius ad certas exem-
ptiones à choro, ad recreationes & ambulationes
per villas & agros &c. est cõtra votum Obedien-
tiæ: quia est nolle subesse Superiori in istis actio-
nibus. Sicut enim Paupertas Religiosa postulat vt
in vsu omnium rerum externarum, quæ pecuniæ
æstimantur, pendeat Religiosus à voluntate Su-
perioris, ita vt Superiori liberum sit res istas au-
ferre, earumque vsum prohibere; ita Obedientia
postulat vt in omnibus actionibus externis in a-
gendo & cessando ab actione pendeat à nutu Su-
perioris, ita vt Superiori liberum sit illam actio-
nem permittere vel non permittere, & exemptionem
ab aliquo onere communi concessam reuo-
care.

20
3. Tenetur
renuntiare
iis, quæ
repugnant
Paupertati.

Hæc omnia ita clara sunt in verâ Theologiâ,
vt nullus de ijs dubitare possit; vt omnibus Docto-
ribus, sine discrepantia vlla, consentientibus. Ita-
que solum vnum, vel alterum adducemus. Mar-
tinus Nauarrus scribens in illa verba Regulæ S.
Augustini: Non dicatis aliquid proprium &c. Com-
ment. 1. n. 24. Paupertas, inquit, seu Expropriatio
quæ omnino necessaria est ad Religionis substantiam &
essentiam, debet esse Primò, interior, quæ quis sponte vult
omnino carere omni iure pecuniarum suo, etiam quatenus
est instrumentum exercendæ virtutis. Secundò debet esse
comitata paupertate exteriori, de qua supra n. 12. Ter-
tiò, vt non solum sit voluntaria omnium vel aliquorum
iurium pecuniariorum presentium vel futurorum, sed
absolutè omnium. Et infra dicit omnes Religiosos
facere huiusmodi donationes & renuntiationes
(nimirum omnium rerum & iurium suorum) ex-
pressas vel tacitas ad eò necessariò, vt aliàs non ef-
ficerent Religiosi. Cap. Non dicatis, 12. q. 1. & Cap.
Cum ad monasterium, de statu monachorum.

Religiosus
in omnibus
pender à
Superiore.

Nauarrus.

Ne quis autem putet per ius pecuniarium solum
intelligi ius ad speciem pecuniæ numeratæ, idem
Nauarrus eodem Comment. 1. n. 16. sic ait: Pecun-
niæ appellatione non solum venit pecuniæ numeratæ, sed
etiam quicquid eâ est æstimabile. d. Capitulo Totum,
1. quæst. 3. & l. Pecuniæ nomine, non solum pecuniæ
numeratæ, sed etiam omnes res tam solæ, quam mobiles,
& tam corpora quam inuicibiles continentur. n. De verbo-
rum significatione; quæ probat etiam intra; puta ob-
ligationes & actiones; pecuniam dici; vt ponderauit
Glossa d. Cap. Totum.

Quid sit
ius pecu-
narium.

Ex qui-

Ex quibus patet Religiosum, qui res pecuniã aestimabiles, vel ius ad illas retinere vult independenter ab arbitrio sui Prælati, nõ minus esse proprietarium, quã eum, qui pecuniam retinet.

Siluester.

Silu. V. Religio, 6. n. 7. explicans ad quid obliget votũ Paupertatis: *Monachis, inquit, prohibitum est sub terribili præcepto habere propriũ: De statu monachor. Cap. Cum ad monasteriũ, & Cap. Monachi.*

Proprium tripliciter sumitur.

Quod quidem proprium sumitur tripliciter. Primo, secundum Hostiensem, vt importat dominium rei iustis modis acquisitum. Secundo, pro domino usurpato: & sic quantum ad Religiosos, Proprium, secundum Archidiaconum post Ioannem Andream, dicitur, *Quidquid celatur Abbati, vel alij Prælato suo, vel contra eius voluntatem tenetur.* Et infra, dicit non posse Summum Pontificem dispensare cum Religioso manente Religioso, vt possit vti re aliqua ad libitum propria auctoritate absque dependentia ab arbitrio Superioris. Quod etiam docent S. Thomas, Paludanus, Archidiaconus, quos ibidem citat.

21 Tenetur obdiere dispositioni Superioris.

Quarta clausula est. *Promitto me fore contentum nudã & solã regula supradictã, & Reuerendi Domini pro tempore Prælati mei dispositione; quã vt à Deo profectam, ipso auxiliante. equo semper animo & gaudenti suscipere conabor.* Nihil est hic quod non sit summe laudabile, quodque professio Religiosa non exigit, & ipsa Regula non requirat. Capite enim 3. dicitur, *In omnibus omnes magistrã sequantur regulã, neque ab ea temerẽ declinetur à quoquam. Nulus in monasterio propriũ sequatur cordis voluntatem; neque præsumat quisquam cum Abbate protervẽ intus vel foris contendere.* Et cap. 5. *Primus humilitatis gradus est obedientia sine mora: hac convenit his, qui mox vt aliquid imperatum fuerit à Maiore, ac si diuinitus imperetur, moram pati nesciunt in faciendo; de quibus Dominus dicit, In auditu auris obediunt mihi, &c.*

22 Clausula quare recte addita.

Quinta est. *In cuius rei fidem & testimonium hoc scriptum manu propria subscripauit.* Merito hoc exigitur, vt si forte contingat Religiosum flaccescere, ad laxiora dissuere, & velle resistere reformationi; possit suo scripto conuinci & confundi. Multi enim magno eum seruore incipiunt, sed postea vel sponte languescunt, vel ab alijs corumpuntur, & disciplinã religiose iugum nituntur excutere: vnde bonis Prælatorum studijs disciplinã instaurare conantur se opponunt; sicque fit vt prauã consuetudines confirmantur, & omnis reformatio impediatur. Itaque non satis erat hanc formulã ab illis suscipi; sed oportebat vt etiam posteris temporibus constaret quid suscepissent, ad quid se expressẽ paratos ostendissent; ne auderent disciplinã reformationem impedire.

23 Conclusio.

Ex his perspicuum est D. Prælatum potuisse hanc formulã à suis Nouitijs exigere, & petere vt scripto testarentur se illam per omnia admittere: neque solũ id potuisse, sed etiam debuisse facere: quia cum teneatur Iure diuino ad reformationem sui monasterij, & hoc medium videatur necessarium ad hanc reformationem aliquando suauiter introducendam, tenetur illud amplecti; præsertim cum sit valde suaue, & nihil noui oneris adferat, quod ex ratione professionis secundum Regulã non insit, & à Nouitijs non libenter suscipiatur. Quisque enim tenetur vii medijs ad finem propositũ opportunis. Confirmatur, quia Synodus huius Religionis nuper celebrata præcipit substantiam huius formulã his verbis; *It qui admittentur in his monasterijs, examinari debe-*

Hæc formula est conformis Synodo Pronunciãti.

bunt si parati erunt post professionem diligenter obseruare Regulã, decreta & reformationes, non modo factas, sed etiam quæ fient in posterum; & in eo acquiescere quod à Summis Pontificibus, eorum Nuntijs, & Synodis statuetur. Hic expressẽ habes omnia, quæ continentur primã, secundã, & quartã clausulã formulæ, & implicite quæ in terciã.

Prælati non proprii scripti.

Nec obstat quod Synodus non iubeat scriptum exigi: quia etiã nõ prohibet, sed hoc relinquit prudentiã Prælati. Nemo enim dubitare potest quin is qui iure exigere potest aliquam promissionem vel declarationem sui propositi, possit etiam huius actus petere testimonium in scriptura: Scriptura enim non imponit nouam obligationem, sed solum præbet testimonium rei transactæ, & valet ad coarguendum mendacium, si forte alter velit negare quod fecit.

24 Soluuntur Obiectiones num. 17. relata.

Ex quibus patet quã frivolum sit quod supra num. 17. obiectum est, Synodus prædictã non obligauit eos vt scripto suum actum testentur: ergo Prælatus non potuit hoc exigere. Itẽ, Ergo formulã illã est irritã declaranda. Nulla enim hic est rationis connexio: quia etiam si Synodus nihil de totã re statuisset, Prælatus tamen sua ordinaria auctoritate poterat totã illã formulã à suis Nouitijs exigere; sicut & quilibet alius Superior alterius Religionis; vt ex supra dictis est manifestum.

Non minus infirmum est illud: *In illã formulã est actio purẽ personalis inter contrahentes, nimirũ inter Abbatẽ & Nouitium: ergo est inualida.* Esto, sit actio purẽ personalis inter contrahentes: an ideo scripto fieri non poterit? aut si scripto fiat, ideo erit inualida? Vt interim omitam non esse purẽ personalem, cum Abbas vices suas alteri committere possit. Sed neutrum planẽ ad rem pertinet. Si dicant se non in hoc vim facere, sed in eo quod sequitur, nimirum: *Quod sit actio contraria priuilegijs & consuetudinibus antiquis & immemorialibus huius domus,* Hõc certẽ magis erat explicandum. Nõ enim putamus vllũ in orbe esse monasteriũ, quod ex priuilegio Sedis Apostolicę (cuius est priuilegia dare Ecclesijs & monasterijs exemptis) habeat, vt Prælatus non possit à Nouitijs suis illã exigere. Cui enim id esset priuilegiũ seu beneficium? Non Abbati, vt, cui potestas ordinaria maximẽ intrinseca officio, suspenditur. Non monasterio, quia aperit portã ad ruinã & totius disciplinã euersionem. Quid enim magis noxium esse potest monasterio, quã Nouitios debere admitti sine accurato examine, & exploratione voluntatis circa totã regulã &c; & si obiter examinentur, non posse huius rei peti scriptum testimonium?

CASVS VII.

Religiosus uolens intendens Prælaturam vel officium.

Virum si quis Religionem Mendicantium suum ingressus cum animo ut fiat Prior, vel Procurator, vel ut certo loco habitet, professio eius sit valida, ita ut si postea prætextu illius finis non obienti egrediatur, non sit verẽ apostata & excommunicatus?

25 Intentio superueniens professioni non potest ea vitare.

Respondeo, Iste Religiosus vel concepit animum illum post professionẽ seu vota emissã, vel ante. Si post professionem concepit, non potest villo modo professionem & promissionem antecedentẽ Deo factã infirmare. Multi enim sunt

sunt in Religionibus, qui post professionem ita sunt affecti, vt nollent profiteri, si res adhuc integra esset, nisi hanc vel illam libertatem, hoc vel illud officium, huic vel illum locum putarent sibi concedendum: non tamen idcirco laxari potest illorum promissio, quæ absolute facta. Idem tenetur in alijs omnibus contractibus humanis, vbi non licet poenitere, etiamsi quis videat se grauari contractu, quando alias legitime celebratus est. Nec refert quod dicat, Si tale quid sciuissim fore, noluissem me obligare, noluissem contrahere: quia talis conditio nihil ponit in re, cum non extiterit: ac proinde contractum non potest irritum reddere, qui absolute & absque eiusmodi conditione inuitus est.

26
Intentio
ante emis-
sam pro-
fessionem
respicitur
se potest ha-
bere.

Quod si habuit animum illum ab initio ante professionem seu votorum emissionem, id tripliciter fieri potuit. Primo, vt intenderit tale officium, vel commorationem in tali loco tanquam finem principalem: vt si quis tantummodo moueatur desiderio Prælatuæ, vel similis officij ad se mancipandum Religioni. Secundo, vt solum ei fuerit finis secundarius, vel potius causa sine qua non: vt si ingrediatur quidem principaliter vt Deo seruiat, non ingressurus tamen, nec professionem facturum, nisi simul putaret fore vt eligatur in Priorem vel Procuratorem. Tercio, vt sub hac conditione ingressus & professus fuerit.

1. Si inten-
dat Præla-
turam: vt
finem prin-
cipalem.

Si primo modo intenderit tale quid consequi, omnium Doctorum sententia est, professionem esse ratam, ac proinde non posse absq; peccato apostasie & excommunicationis egredi, etiamsi id quod intendit, non consequatur. Vide Caietanum q. 88. a. 2. Sotum lib. 7. q. 1. a. 3. dub. 1. assert. 2. Azor. lib. 11. cap. 15. dub. 3. Nauarrum c. 12. n. 32. & alios. Ratio est, quia etiamsi tale quid intenderit consequi in Religione, & talj intentione motus fuerit ad vouendum; tamen absolute vouit, & vouit illud quod melius est Deoq; gratius, quam eius contradictorium. Vouit enim Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam perpetuam seruare in Religione, sicuti ceteri seruant: quod sine dubio Deo gratius est, quam oppositum: & consequenter promissio eius facta Deo inducit insolubilem obligationem. Quod confirmatur à simili: Quia si quis voueret Deo ædificare templum vel monasterium, etiamsi ad id moueretur vanà gloriâ vt nomen ipsius apud omnes celebretur, tamen omnium iudicio tenetur voto, nec potest resiliire, et si intentionem illam mutare debeat. Quia quod Deo promittit, bonum est, & melius quam oppositum. Ergo similiter obligatur qui vouit in Religione eo animo vt aliquando fieret Abbas, Prior, vel Procurator.

2. Si autem
intendas
vt finem
secundari-
um.

Hinc patet etiam obligari, Si secundo modo se habuerit in vouendo, proponendo sibi tale officium tanquam causam sine qua nollit vouere, nisi putaret se consecuturum: quia tunc ex bona intentione motus fuit ad vouendum, & iste animus non facit vilo modo vt id quod vouetur, malum sit exequi, aut minus bonum quam eius oppositum; sed est quiddam comitans actum vouendi, nullo modo ipsum votum inficiens. Si enim finis principalis non reddit votum irritum, multo minus id facit finis secundarius.

3. Si eam
intendas
sub condi-
tione: idq;
dupliciter.

Si tertio modo se habuerit in vouendo, fieri id potuit dupliciter: Primo, vt vouerit Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam Deo, ea lege

vt Religio vicissim ei promittat quod ipsu facies Priorem vel Procuratorē &c. ita vt sit contractus quidam inter ipsum & Religionem: & sic debuisset mentē suam Religioni explicare. Nō enim potest iniri contractus, nisi vtraq; pars cōsentiat, ac proinde vtriusque debent conditiones explicari. Hoc modo quidem non teneretur, sed votum esset planē absurdum & irreligiosum, & cum graui peccato fieret. Secundo, vt vouerit hæc, ea lege apud se statuendo vt nollit obligari nisi in euentum futurum; nempe, nisi contingeret ipsum fieri Priorem vel Procuratorem, & in eo officio continuari, ita vt si non continuetur, cesset obligatio. Hoc modo obligatio voti esset suspensa vique ad impletionem euentus futuri, & duraret tantum durante illo euentu, & cessante euentu cessaret: quæ ratio vouēdi esset absurda & impia. Accedit, quod in foro externo nunquam admitteretur qui vellet allegare se hoc animo, & hac tacita conditione vouisse: Nullus enim est qui non posset tales intentiones & pretextus allegare. Denique talis conditio cum sit absurda, & contra perfectionem religiosam, haberetur pro non opposita.

RESTITVTIO.

CASVS I.

Restitu-
tio fame.

An qui bonâ fide alteram infamauit, teneatur ad restitutionem? Item, An Superior possit condonare infamiam suo subdito factam?

AD PRIMUM: Respondeo, Qui bona fide procedens aliquem infamauit, non tenetur ad restitutionem, secundum Doctores, si non potest eam facere sine suo graui incommodo: si autem sine tali incommodo possit, tenetur: sicut qui damnum alteri intulit sine sua culpa graui, nō tenetur compensare domino cum graui sua impensa. Ratio est, quia ille infamator non tenetur ratione iniuste læsionis, cum non fuerit formalis iniustitia; neque ratione rei acceptæ, quæ neque extat, neque potest reparari sine graui incommodo.

AD SECUNDUM: Respondeo, Superior, iuxta quorundam probabilem sententiam, potest condonare infamiam illatam inferiori: præsertim si iusta causa intercedat. Alioquin verius puto condonationem non valere; quia Religiosus non cessit iure famæ suæ, vt recte docet Nauar. Comment. 2. de Regul. n. 2.

CASVS II.

Titius differt restitutionem furti: Primò, ne per eam fiat coniectura de auctore furti. Secundo, ne per hanc coniecturam (restitutionem faciente Confessario) violetur sigillum confessionis.

Dilatio
restitutionis
ne coniectura
fiat de fure.

QVÆRITVR, An sit causa sufficiens differendi restitutionis?

RESpondeo, Non apparet vlla ratio cur pecunia illa non sit statim restituenda. Quia ex ipsa restitutione non magis innotescet auctor furti, quam antea innotuerat. Neque Domina illa facta restitutione, magis certa erit de auctore, quam erat cum furtum fuit commissum, vel cum Confessarius ille indicauit se posse efficere vt fiat restitutio.

3

Accedit,

Coniectura de auctore furti ex restitutione per Confessarium, non violat sigillum.

Accedit, quod Confessarius qui à penitente accipit aliquam pecuniam nomine eius restituendam, non violat vlllo modo sigillum confessionis illam restituendo, etiam si persona cui fit restitutio, inde coniecturâ aliquam factura sit de auctore: quia nemo violat sigillum faciendo id ad quod obligatur ex iustitia, modò prudenter & circumspèctè id agat. Quod si inde capiat dominus rei aliquam coniecturam de auctore furti, id planè per accidens sequitur ex illo facto; nempe ratione alicuius circumstantiæ, vel facti quod antea notum erat.

Neque videtur censendum est Sacerdos vlllo modo violare sigillum confessionis. Quod etiam ex eo clarè conuincitur: Nam obligatio restitutionis non oritur ex vi Sacramenti Pœnitentiæ, aut ex præcepto Confessionis, sed ex iure naturæ. Vnde etiam si non esset à Christo institutum hoc Sacramentum, nihilominus auctor furti teneretur vel per se, vel per alium restituere, etiam si inde oriretur aliqua suspicio de ipso auctore apud dominum rei. Et sicut tunc si per alium restitueret (v. g. per Titium Sacerdotem cui non fuit confessus) ille non censeretur violare secretum naturale, etiam si oriretur inde suspicio de fure: ita modò dum restituit per Titium cui fuit confessus, Titius non censeretur violare secretum confessionis, etiam si talis suspicio ex restitutione oriatur.

4 A simili.

Idem ex alio capite Confirmatur: quia quando interuenit consensus penitentis, non violatur sigillum: vt quando penitens cupit vt Confessarius conferat de casu dubio cum certo Doctore cui fidit: tunc enim potest eum illo conferre adhibita circumspèctione, etiam si putet Doctorem coniecturam in animo de quo agatur: ergo multò magis si committatur illi restitutio faciendâ certè personæ, potest illam facere, etiam si persona illa conijciat auctorem: quia actio illa fit ex consensu & commissione penitentis.

Denique hæc restitutio non potest vlllo modo odiosam reddere confessionem, cum iure naturæ sit debita: ac proinde nõ potest censi vlllo modo violatio sigilli. Omnis enim violatio sigilli odiosam reddit confessionem.

Ex quibus patet nullam probabilem causam hic habere; cur ista pecunia non debeat statim restitui.

CASVS III.

Acceptio pignoris ab eo qui foro cessit.

Henricus foro cessit. An possit tradere creditori certum aliquod pignus, si solum indeterminate pignus aliquod ante cessionem promiserat?

5 Si promissum pignus indeterminatum.

Respondet, Id fieri posse, quamuis tunc non sit soluendo omnibus alijs creditoribus. Ratio est, qui antea legitime contractum erat, & solum dilata fuit eius traditio ex benignitate creditoris, quæ ei non debet obesse. Quod autem ab initio contracta fuerit obligatio pignoris, & non tantum exacta à debitore promissio de contrahenda obligatione, quando creditor vellet; Valdè credibile est: quia non solet exigi promissio de contrahenda tali obligatione in futuro: (cur enim non contrahatur in presenti, cum nulla sit ratio differendi: sed solum exigi promissio de tradendo pignore in futuro, quando vollet credi-

tor, concessio interim vsu pignoris ipsi debitoris traditio autem pignoris non est necessaria in foro conscientiæ.

Nec refert quod ab initio pignus non fuit determinatum: quia potest contrahi obligatio pignoris indeterminate, vt videlicet tradatur id quod vollet creditor, vel quod erit iudicio boni viri sufficiens.

Sed: Quid si contractus pignoris ab initio nõ fuit initus, ne implicite quidem ex intentione contrahentium; sed solum data sit promissio de contrahendo quando vellet creditor: An tunc possit certum pignus tradere?

6 si solum data promissio de contrahendo super dando pignore, quod vollet creditor.

Respondet, Probabilius videri tale pignus posse tradi, & talem traditionem validam esse, si hæc promissio acceptata fuit à creditore. Ratio est, quia debitor ex illa promissione acceptata, tenebatur ex iustitia constituere pignus, volente creditore: ergo illud constituendo & tradendo quando factus est impotens, non fecit contra statum vrbis sue non gratificandi vni creditori in præiudicium alterius. Non enim hoc est gratificari, seu gratis facere, sed ex obligatione iustitiæ. Promissio enim acceptata in rebus magni momenti, & ex causa, inducit obligationem strictam iustitiæ, quamuis ex ea non detur statim actio in foro civili.

Confirmatur, Quia creditor hic duplicem habet obligationem iustitiæ, nempe fideiussionis seu impliciti mutui, & promissionis pignoris: alij autem tantum habent simplicem, vt supponitur in casu: ergo hic est præferendus iure naturæ, nec vllum Ius positium obstat. Sicut enim is qui habet expressam hypothecam præfertur iure naturæ nullam habentibus hypothecam, cur non etiam præferatur is qui habet promissionem expressam hypothecæ obligantem ex iustitia?

Hinc sequitur, In primo & secundo casu potuisse creditorem illum sibi integrè ex pignore satisfacere, vel accipere solutionem ab ipso debitore, exclusis alijs creditoribus, vsque ad pignoris valorem. Neque in conscientia teneri restituere donec per sententiam cogatur. Quamuis nec ipsa sententia obligaret in conscientia; quia falsa præsumptio niteretur ob defectum probationum iuridicarum.

Confessarium notabile.

Sed: Quid si promissio illa acceptata nõ fuisset?

Respondet, Non potuisse postea pignus tradi. Hoc enim Iuri communi, & statuto vrbis istius repugnaret: nec posset creditor ille præferri ceteris. Nam contractus ille fideiussionis seu mutui impliciti non inducit tacitam hypothecam, nec facit priuilegiatum in ordine restitutionis; cum neque expressum mutuum gratuitum id faciat nisi in paucis casibus. Iure expressis. Nec vsquam memini me legere Doctorem qui gratuitas præstationes, id est, mutationes putaret inducere tacitum pignus, aut priuilegium Prælationis.

7 Si promissio non fuerit acceptata.

CASVS IV.

An facta compositione & remisso reliquo, quis est creditoribus possit sollicitare & integrum debitum recuperare, siue Henricus qui prius foro cessit, postea ad ampliores fortunas perueniat, seu non perueniat?

Compositio cum eo qui foro cessit.

Respondet, Facta compositione & remisso reliquo, quemuis è creditoribus possit sollicitare

8

citare & integrum debitum recuperare, quando is qui foro cessit, postea ad ampliores fortunas peruenit. Ratio est, quia diligentia qua creditor debitum conatur recuperare, facit Iure communi illum potiore, Nec obstat remissio facta: quia censetur coacta, & conditionalis, nisi constet de contrario.

Idem videtur dicendum quamuis non prouenerit debitor ad fortunas ampliores; modò facta iam sit compositio cum omnibus; & coacta fuerit. Ratio est, quia debitum reliqua partis solutionis non fuit extinctum per illam compositionem & remissionem; sed solum consopitum, ita ut reuinceret, quando foret soluendo. Ergo si possum illum inducere ut mihi integrè satisfaciat ante illud tempus, & ipse consentiat, non videtur ei fieri iniuria: quia volenti non fit iniuria. Neque etiam facio iniuriam alijs creditoribus: tum, quia non sum causa ne alijs soluat hoc pro rata; suppono enim quòd alijs non esset soluturus etiamsi ego nõ peterem: tum, quia diligentia me potiore fecit Iure communi: tum, quia debitor soluens ad instantiam creditoris, non censetur gratificari. Vnde non videtur hoc repugnare Statuto Oppidi, quod vetat gratificationem; & videtur intelligendum de gratificatione qua fit ante compositionem; nisi aliunde constet de contrario, pro quo verba Statuti essent expendenda.

CASVS V.

Utrum mercator qui pecuniam suam dedit ad lucrũ iuxta Bursa Antuerpiensis consuetudinẽ & cursum, teneatur ad restitutionẽ lucris; & si ipse nõ restituar, an heredes teneantur?

9 Ratio dubitandi.

Pro parte affirmante, nimirum talem vel heredes eius teneri ad restitutionem, esse videtur communior sententia Doctorum, qua docet non posse quidquam accipi in mutuo, nisi ratione lucris cessantis, damni emergentis, vel periculi fortis. Atqui in huiusmodi contractu non semper interueniunt isti tituli, vel saltem non tanti estimantur, quantum cursus Bursa assignat: ergo.

Negatur.

Pro altera tamen parte, quòd non teneatur, sunt hæc argumenta. Primò, quia multorum DD. sententia est (quam etiam notauit Emanuel Sà V. Restitutio) quando quis bona fide fecit aliquem contractum, qui postea deprehenditur non fuisse iustus, illum non teneri in conscientia ad restitutionem, si alio titulo tantundem ab eo lucrari potuisset: v. g. per cambium, vel censum annuum vtrinq; redimibilem, vel per triplicem contractum cum mercatore. Nã quiuis vir bonus intendit contrahere & lucrari omni titulo iusto, qui contractui subest, & omni meliore modo quo potest. Atqui is qui ad Bursam dedit, potuisset tantundem lucrari ab eodem, si dixisset, Nolo dare ad Bursam, sed dabo ad cambium. Ergo non tenetur restituere, Idem videtur sentire Gregorius à Valentia.

10 Contractum iniquus bona fidei in re mobili paritur prescriptionem.

Secundò, quando quis ex inculpata ignorantia fecit contractum iniustum de re mobili, probabile est, si bona fide triennio possederit, nasci prescriptionem seu usucapionem, qua rem faciat suã, & non teneatur ad restitutionem. Ita Ioannes Medina q. 17. Cod. de Restitutione. & fauet Coarruias Regula Professor p. 2. §. 7. n. 6. & Molina Iureconsultus l. 2. de Primogen. cap. 6. n. 69.

Atqui contractus Bursa est de re mobili, quia pecuniarius: ergo

Tertiò, quia hanc sententiam debent admittere omnes, qui admittunt cambia prout sunt in vsu. Omnia enim cambia eò plus lucrantur, quòd longius est tempus solutionis: cuius non est alia ratio, quàm quòd communi mercatorum iudicio concurrentibus circumstantijs qua ordinariè concurre solent, carentia pecuniæ eò plus aestimetur, quò est diuturnior. Quòd si mercatores possint hoc modo pretia cambiorum statuere, cur non etiam pretia Bursa? Vnde etiam huic sententiæ aperte fauet Molina disp. 404. §. Timoratus, vbi docet, pretium quòd communitè statuunt mercatores pro cambio secundum longius vel breuius tempus nundinarum, censendum esse iustum.

Mercatores licet statuunt pretia cambiorum & carentia pecuniæ.

Ob hæc argumenta iste vsus Bursa, qui est Antuerpiæ inter mercatores, nõ videtur damnandus, modò constitutionem Caroli V. non excedant, Et consequenter heredes eorum qui tales contractus fecerunt, non videntur in rigore teneri ad restitutionem. Vnde mercatores à quibus heredes ad sopiendos scrupulos & causã tranquillitatis conscientia, petunt remissionem, non debent se præbere difficiles. Non enim constat illis coram Deo quidquam deberi. Qua ergo conscientia volunt sibi restitui, maxime cum ipsimet huiusmodi contractus faciant? Vnde præter inhumanitatem, seiplos manifestè redarguunt iniustitiã: Si enim isti contractus sint iniusti, quomodo ipsi eos faciunt? Si verò putant iustos, quã conscientia volunt sibi restitui?

11 Conclusio.

Quia tamè neutra ex parte res est satis liquida, optimum consilium iudico vt tale lucrum expendatur in pias causas, in bonum eius ad quem Deus nouit pertinere: vt si inde aliquid debebat restitui, Deus illud acceptet pro salute animæ & bonis successibus creditoris. Si verò nihil erat restituendum, heredi & parentibus illius proficit. De hoc casu vide plura lib. 2. de Iustit. cap. 20. dub. 14. & hic supra V. Mutuum, Casu 3.

Notabile ad praxim.

CASVS VI.

Puer oues, vaccas & animalia totius pagi custodit. Hæc ducta vel permisso ipsius intulere agris vicinis damna aliquot centenariorum florenorum spatio duodecim annorum. Sed toto eo tempore non sciebat se peccare hoc faciendo. Posterioribus tamen annis etsi sciret se malè facere, tamen non curabat. Hic iam est viginii quinque annorum; & legato, vel aliter acquisiuit aliquot centenarios florenos.

Restitutio ex damno per peccata illato.

Quæritur, An ex suo teneatur restituere damna in pueritia illata per animalia malè per ipsum ducta vel custodita?

Respondeo, Nõ tenetur de damnis illatis toto eo tempore quo ignorabat se malè facere, ista permittendo. Quia non tenetur ratione rei acceptæ, cum non sit inde factus ditior: nec ratione iniustæ acceptationis, cum ignorauerit se malè facere. Sed difficile creditur esse fuisse ignorantiam.

12 Non tenetur de damnis prioris temporis.

De posterioribus tamen damnis tenetur. Quia ex officio tenebatur cauere ne animalia ista damnum inferrent. Nec refert, quòd hoc efferit in

Sed posterioris.

commo-

commodum eorum, quorum erant animalia, & ita ipsi teneantur tanquam inde facti ditiores: tū, quia damnū longē maius est, quā cōmodum, vt quando vastant legetes; tum, quia sēpē nullum est commodum, vel certē nullius momenti. Adde, etiā mancipium & Religiosum ex damno dato culpā suā teneri naturaliter & in conscientia, etsi non ciuilitē.

Tituli excusantes à restitutione.

Posset tamen excusari, si domini, quibus illata damna, censerentur à tali non petere restitutionē; vt si essent ex ijs quorum erant illa pecora: item, si essent ignoti: si eorum hereditas in multos diuisa, ita vt singulis parū deberetur; si non fuit lata culpa quę sub peccato mortali obligaret, iuxta multos Doctores: item si propter eā punitus fuisset. Denique si ipse sit pauper secundum suam cōditionem, non tenetur statim restituere, sed potest ducere vxorem & dare operam vt sensim restitutio fiat, vel condonatio obtineatur.

CASVS VII.

Restitutio ex prodito thesauro alieno.

Miles in depopulatione vr̄bis inuadens domū meam, petiit sibi ostendi thesaurum in ea reconditum, in qua, quod miles nescit, bona Cai sunt deposita & abscondita. Ego mortis metu coactus, ostendo bona Cai, non mea.

QVÆRITVR, An teneat Caio restituere?

13 **S**I miles, obiecto mortis metu, iubeat sibi ostendi thesaurum alienum, possum ostendere: & si dixerim, Ibi est, accipe; non ideo teneor ad restitutionem, si æquē benē erat accepturus: quia ista vox non est causa damni.

Si iubeat sibi ostendi thesaurum meum, & ego illi ostendam alienum tanquam meum; teneor ad restitutionem. Ratio est, quia censor illum, proposito obiecto inducere vt accipiat alienum, cū antea non haberet voluntatem determinatam: vnde tuto ipsius voluntatem, adeoque teneor; sicut tenerer si expressē dicerem, Relinque meum thesaurum, ostendam tibi thesaurum Petri.

Si tamen miles diceret: Ostende mihi thesaurum Petri, alioquin accipiam tuum, possum ostendere; quia iam est in illo voluntas determinata accipiendi thesaurum Petri. Vnde ostendendo, non induco illum, sed solum facio opus de se indifferens: non enim cum tanto meo damno teneor re illam non pandere.

Si miles iubeat ostendi omnem thesaurum in hac domo reconditum, possum ostendere alienum ibidem reconditum, tacito meo; & dicere, Nullū esse amplius. Ratio est, quia iam est determinatus ad omnem auferendum; & ego non magis teneor ostendere meum, quā alienum. Hęc videtur fuisse mens istius militis in depopulatione vr̄bis.

CASVS VIII.

Restitutio ex re malè dispensata.

Titius administrator bonorum sui Principis, consumpsit decem millia florenorum in itineribus & negotijs sui domini consciendis cū sufficerent mille.

QVÆRITVR, An teneatur, ad restitutionem?

14 **R**espondeo, De Titio administratore bonorum illius Principis, qui decem millia florenorum consumpsit in itineribus & negotijs do-

mini sui consciendis, cū mille abundē sufficerent: non videtur dubitandum quin teneatur ad restitutionem; nisi re vera dominus condonet. Quia hoc non est administrare bona sui domini, sed dissipare. Tenetur enim ea prudenter & bona fide administrare. Credibile est illum excessum versum in rem Titij, etsi dicat expensum in itineribus. Habet hęc locum parabola Euangelica de villico, qui diffamatus est apud dominum suum, quasi dissipasset bona illius, qui haud dubiē tenebatur ad restitutionem. Neque vt dominus censeatur tam inmanem summam condonare, sufficit quod Titium valdē charum habuerit, & quod Titius minū fortē fraudis fecerit quā priores administri, &c. vt per se constat. Itaque puto illū obligandum, nisi obtineat condonationem. Si verē intendit in omnibus vtilitatem sui domini, sed peccauit solum excessu v. g. accipiendo comitatū militarem ingentem, vbi exiguus sufficiebat, &c. & non conuertit illa in rem suam, cur domino suo non aperuit, & petijt condonationem? Denique nisi plura & certiora signa condonationis appareant, non ausim excusare.

Villicus iniquitatis.

CASVS IX.

Titius habens mandatum à Caio vt Parisijs emat merces pro Caio, ijs vili pretio emptis, tanquam institor Parisiensis vendit easdem Caio pretio maiore.

Restitutio ex tibi cōmissa emp-tione.

QVÆRITVR, An teneatur ad restitutionem?

Respondeo, Certū est Titij teneri ad restitutionem. Quia cū damno mandantis fecit contra mandatum: mandatū enim ei est vt Parisijs à mercatoribus & institoribus Parisiensibus emeret merces pro Caio: at ille inueniens illas merces Parisijs emi vili pretio, emit sibi eas, vt ipse tanquam institor Parisiensis vendat easdem Caio pretio maiore. Itaque decipit Caium, persuadens illi tanti tales merces Parisijs constare.

15

CASVS X.

Plures deputati. V. G. tres vel quatuor ad capiendas informationes alicuius negotij, committunt examen vni, eiusque iudicio ipsi subscribunt.

Restitutio inmeriti stipendij ex tibi commissa informatione.

QVÆRITVR, An singuli possint statuta stipendia recipere?

Resp. Videndū est an illi tres vel quatuor deputati ad capiendas informationes illius negotij, satisfaciant intentioni eorū, quorū voluntate & auctoritate deputantur, si vnus solus negotij examinet, alijs absentibus & nihil agentibus, sed solum subscribentibus iudicio vnus, qui negotij examinavit. Si enim satisfaciunt illorum menti, possunt stipendia statuta recipere. Si non satisfaciunt; sed agunt contra illorum mentem; non video quomodo possint illa stipendia integra recipere, cū officium impositum non præstiterint. Longē solidior est informatio capta à pluribus siue iunctim, siue separatim, quā ab vno. Facilius vni, quā pluribus imponitur. Plura vident multi, quā vnus solus. Facilius etiam vnus corrumpitur, quā plures &c.

16

Verosimilibus negotatur.

Restitutio
lucris
ex com-
missa tibi
sollicita-
tione.

CASVS XI.

*Titius sollicitator pecunias accepit ut Caio of-
ficiū procuraret.*

QVÆRITVR, *An Titius possit illas pecunias
retinere si gratis hoc beneficium Caio procura-
verit? Item, An possit plus accipere à suo
cliente, quàm Iure sit sollicitatoribus sta-
tutum?*

17 **A**d Primum. Respondeo, Sollicitator, qui pe-
cunias accepit, ut alteri officium procuraret,
potest illas pecunias ex quadam *entia* retine-
re, si in gratiam ipsius officium clienti datum est;
quia gratiam suam apud amicos expendit, eoque
favore impetravit, pro quo favore alliciendo, al-
ter pecuniam obtulit. Vnde eo nomine manet il-
lis obstrictus: quanquam fortasse amici illi agrè
ferrent, si hoc scirent; eò quòd contrahant opinio-
nem apud clientem, quod per sordes & munera
dent officia.

18 **A**d Secundum. Respondeo, Sollicitator nò potest
accipere à suo cliente amplius, quàm Iure sit statu-
tum; nisi maiores labores subierit, quàm ordina-
riè sit consuetum. Nam quod Iure statutum est,
censetur stipendium, & quasi pretium legitimum:
nisi fortè longà consuetudine id non seruetur: nà
consuetudo Ius abrogat.

CASVS XII.

Restitu-
tio lucris
ex com-
missa tibi
venditio-
ne redi-
tus.

*Titius Brugis habet reditum 27. florenorum
annuorum nummo 18. difficilis solutionis.
Committit Caio & Sempronio ut illum ven-
dam, & quidquid obtinere poterunt ultra
400. florenos & 8. pensiones annuas ex re-
trocessis, sit ipsorum. Dum hæc agantur iam
reditus ille, vna cum agro in quo fundatus
erat, transatus erat in alium virum bonum
& facilem, ignorante Titio. Hunc ad eum
isti duo quibus venditio commissa, & facile
ab illo obtinent redemptionem cum solutio-
ne annuorum præteritorum: ita ut supra sum-
mam à Titio expressam singulis obtulerint
8. libra flandrica.*

QVÆRITVR, *An possint retinere?*

19 **R**espondeo, Non videntur posse retinere. Pri-
mo, quia ipsis commissa solum venditio ad
quam requiritur industria quæ meretur mercedè.
Atqui hæc non est venditio, sed pura redemptio,
in qua nulla vel parva exitit industria. Termini
autem in huiusmodi mandatis strictè accipiendi
iuxta mentem mandantis. Secundò, quia non erat
mens Titij committere venditionem Caio, nisi
supposito priori statu rei, qui status erat tota ratio
cur vellet alienare. Vnde cum status rei esset mu-
tatus, tenebatur mandatarius monere mandan-
tem, an vellet ipsum procedere ad venditionem;
quod cum non fecerit, egit contra officium suum.
Mandatarius enim tenetur agere iuxta expressam
vel tacitam intentionem mandantis, & utiliter
eius negotium gerere, & sic exigere mercedem
constitutam. Vnde non puto illum posse in hoc
casu plus exigere vel retinere, quàm æstimatio
operæ ab ipso præstitæ valeat.

*Mandata-
rius nò po-
test agere
iuxta ta-
citam vel ex-
pressam in-
tentionem
mandantis.*

CASVS XIII.

*Titius habens reditum octo librarum flandri-
carum super agro cuiusdam nobilis, cuius
difficilis solutio: dixit Caio, Vende mihi
hunc reditum, & quidquid supra 400. flo-
renos, & 8. annos pensionum obtinere pote-
ris, tuum erit. Accepit Caius. Sed ante-
quam expediatur in Curia procuratorium
venditionis, deprehendit Caius agrum esse
venditum, & reditum refusa sorte cum pen-
sionibus in manus magistratus dissolutum.
Caius hoc videns non monet ea de re Titium,
sed solum indicat reditum illum constitutum
nummo 18. non 16. Rescribit Titius se om-
nia ratum habiturum quæ ille fecerit. Itaque
Caius perinde ac si vendidisset reditum cum
pensionibus, mittit Titio 928. florenos, nem-
pe 400. & 11. annos pensionum.*

QVÆRITVR, *An possit reliquum retinere?*

20 **R**espondeo, Non posse: quia non accepit illam
pecuniam ex venditione: nec induxit domi-
num agri ut redimeret; nec aliquid omnino egit
ut illa refusio sortis fieret. Solum autem erat ei
data commissio vendendi, & accipiendi quidquid
supra 400. florenos, & pensiones 8. annorum ex
illa venditione proveniret. Hic autem nec vlla
venditio ipsius operâ facta est, nec quidquam ex
venditione provenit. Vnde illa pecunia magistra-
tui numerata, statim cecit in dominium Titij: nec
Caius vllum ius in illam aut partem eius habet;
sed solum potest exigere aliquid pro labore, si quæ
subijt &c. Neque Titius putandus est tantam
summam donare, nisi re totâ intellectâ illud de-
claret. Quis enim præsumatur donare gratis 600.
vel 700. florenos, ei qui nihil operæ præstitit?
Neque refert siue illa refusio sortis & pensionum
facta sit ante procuratorium expeditum, siue post,
quandoquidem Caius nihil ad hoc operæ contu-
lerit. Alia esset ratio si reditum illum ipsemet
emisset à Titio: tunc enim distinctio illa posset
locum habere, & videndum esset an emptio facta
sit ante refusionem, an post.

CASVS XIV.

*Gubernator Dunckerkanus, ortâ inter eum & Restitu-
Anglos controversiâ, fisco addidit merces tione ex cõ-
Anglicanas Dunckerke existentes. Simi- fiscatio-
liter Regina Angliæ fisco addicit merces ne.
Titij Dunckerkanus in Angliâ existentes.*

QVÆRITVR, *An Gubernator Dunckerkanus
teneatur Titio de damno mercium eius in
Angliâ confiscatarum?*

21 **R**espondeo, Duobus modis potuit Guberna-
tor illâ confiscatione mercium Anglicarum
dedisse Titio causam damni iniustè: Primo, si il-
lam præcipitanter fecit, non missis priùs vltro ci-
troque litteris vel nuntijs ad rem componendam;
sic enim videtur occasionem dedisse Regi-
næ confiscandi bona Titij. Secundò, si ita occultè illam
confiscationem fecit, ut non potuerit commodè
venire

venire ad notitiam aliorum mercatorum, ut possent sibi cauere. Dum enim Princeps talia vult facere, tenetur subditos monere per edictum ut sibi caueant: alioquin est illis causa damni, & tenetur ad restitutionem.

CASVS XV.

Restitutio ex omiſſa delatione reorum ad fisco.

Carolus Officialis avari Regij ad eundem officio iuravit se omni modo curaturum utilitatem Principis, & eiusdem damna auersurum: præterea, quantum in ipso erit, effecturum ut placita & decreta Principis obseruentur, inter qua vnum est, ne mercatores minus interesse recipiant quam 12. in 100. idque sub graui pena. Ipse autem Carolus egens pecunia in obsequium Principis, accepit à mercatore Antuerpiensi pecuniam sub tali interesse. QVÆRITVR Primo, An Carolus vi huius iuramenti teneatur deferre cinem vel mercatorem quem occulte nouit hic præuicari: & si non detulerit, teneatur fisco de damno? QVÆRITVR Secundo, An possit illum mercatorem Antuerpiensem arte aliqua excusare, ne vi reus à fisco deprehendatur & mulctetur?

AD Primum: Respondeo, Carolum, ex eo quod sit officialis Principis, & tale iuramentum fecerit, non teneri deferre cinem vel mercatorem, quæ occulte nouit facitare vsuras, etiam si inde commodum confiscationis Principi obueniret. Ratio est, quia hoc est proprium munus Promotoris fisco, & eorum qui ex peculiari officio tenentur commoda fisco procurare: quamuis nec hos putem ex iustitia, sed solum religione iurisurandi ad hoc teneri ut inde fisco ditetur.

Nec obstat quod Carolus iurauerit se procuraturum commoda Principis, & occurrurum damnis eiusdem, & curaturum ut decreta eiusdem & mandata seruentur: quia non videtur hoc ita generaliter intelligendum. (alioquin omnes Officiales æque ad eadem obligarentur) sed secundum conditionem officij, & in ijs quæ officium cuiusque proprie concernunt. Hinc consequens est, quod non teneatur fisco de damno.

AD Secundum: Respondeo, Carolum non teneri accusare mercatorem illum Antuerpiensem cum quo contraxit, eo quod ipse supra taxam pragmaticam, Principis nomine interesse exegerit. Primo, Quia non videretur vsus bona fide, petendo ab illo pecuniam mutuum, & consentiendo in tale interesse. Secundo, Quia id posset cedere in damnum Principis, si aliàs opus esset pecunia. Tertio, Quia mercatores dicunt illam pragmaticam de non accipiendo nomine interesse 12. pro 100, non esse iam plurimis annis in vsu, & contraria consuetudine esse abrogatam: vnde non esse illius habendam rationem. ita mihi ante aliquot annos responderunt. Quod si verum est, non solum Carolus non teneretur curare mercatorem illum Antuerpiensem mulctari, sed etiam posset eum tueri, si contingeret eum deferri. Quod si non est verum, non posset eum tueri si ab alio deferretur, nisi id putaret pertinere ad obsequium Principis, ut si metueret se aliàs pecuniam ab illo, vel alijs non obtenturum, nisi eum tueretur.

SIMONIA.

CASVS I. Titius beneficium simoniace obtinuit per ignorantiam simoniæ ab alio commissam eius fauorem.

Beneficium mihi ab altero simoniace obtentum.

QVÆRITVR, An teneatur restituere fructus extantes: & quodnam illi à Iure remedium?

Respondeo, Qui beneficium simoniace obtinuit per ignorantiam simoniæ ab alio commissam in eius fauorem, quoad fuit in illa ignorantia seu bona fide, non tenetur restituere fructus non extantes, quibus non est factus ditior: Sed quantum scuerit, tenetur restituere fructus extantes, vel componere cum Pontifice.

si placet ignorans simoniam.

Quod si bene functus sit officio, & fructus non superent ipsum officium, ut si beneficium erat tenue, ut Canonatus 150. vel 200. florenorum, probabile est Episcopo dispensare posse ut fructus extantes retineat; maxime si difficilis esset ad Pontificem aditus propter sumptus &c. Secundo tenetur beneficium resignare in manus Episcopi, si ipse est collator, qui poterit de integro illi collationem facere. Similiter in manus Capituli, si Capitulum ius conferendi habeat. Hæc omnia facile ex Iure probari possunt, ut Cap. penult. de Electione. & Cap. Ex infirmitate, de Simoniam.

Si autem sciuit alterum simoniace pro se pacisci, vel certe scire potuit & debuit, aut postea sciens ratum habuit, non potest ab Episcopo vel alio collatore rehabilitari, sed eget rehabilitatione Papæ, ut patet ex iisdem locis, adiuncta Gloſſa: & tenetur restituere fructus etiam non extantes, quantum commodè potest; (non enim tenetur se in extrema inopiam conjicere) vel tenetur compositionem facere cum Pontifice, vel Nuntio Apostolico.

Si aliquis tenus sus consensit simonia.

CASVS II.

Titius Parochus obligat se ad permutationem Pastoratus cum Caio ratione seruitij a Caio præstandi, addita hac conditione, Si Pontifex consenserit.

Permutatio beneficii ratione seruitij præstandi.

QVÆRITVR, Virum in hoc contractu sit simonia?

Respondeo, Omnino in hoc contractu videtur esse simonia: quia ille Parochus obligat se ad permutationem Pastoratus cum alio, ratione seruitij præstandi ab altero, & illa permutatio est veluti pars stipendij: ut si Episcopus dicat alicui, Seruias mihi duos annos, dabo tibi centum florenos, & præterea beneficium si contigerit vacare. Nec refert quod dixerit, Ea spe innixus: nam sic sæpe consueverunt obligationem exprimere. Non est hæc tamen simonia confidentia, ut patet ex 4. speciebus huius simoniæ, in Bulla Pij V. enumeratis, sed alia inducens penas Iuris ordinarias si vtriusque completa fuerit, id est, si seruitium sit præstitum, & permutatio promissa sit secuta.

3

Aduerte tamen, Si per illa verba, Ea spe innixus &c, non intendit se obligare, sed solum bonam spem dare se hoc facturum amicitia & gratitudinis causâ, non esse simoniã in foro conscientia. Nec refert quod velit pensionem seruare, quia conditio addita, si Pontifex consenserit, speciem simoniæ abstergit.

Resignatio sub onere expensarum in acquisitione factarum.

CASVS III.

Titius fecit expensas ad plenum ius beneficii acquirendum. Sed, nondum perceptis ex beneficio fructibus, illud Caio resignauit pro expensis in beneficii acquisitione factis.

QVÆRITVR, An in isto contractu sit simonia?

4

R Espondeo, Hic manifesta est simonia: quia expensas illas pro se fecit, nempe quia beneficium eas postulabat ut ipse pleno iure illud possidere posset. Vnde frivolum est dicere, quod reperat illas ab alio, tanquam pro ipso factas. Si enim pro alio facte fuissent, debuisset beneficium tunc alterius esse. Cõstat autem ex communi sententia Doctorum, expensas quas ego feci pro instrumentis & similibus ad beneficii plenum ius acquirendum pertinentibus, non posse postea in pactum deduci, ut à resignatario mihi reddantur: id enim esse apertam simoniam. Itaque si volo beneficium meum resignare, non possum expensas exigere, sed debeo illas amittere, etiamsi nihil fructuum perceperim. Omnis enim pactio in beneficii sine auctoritate Pontificis facta, est simoniaca & nulla, ut plurima Iura docent. Neque verum est illas expensas esse antecedenter tantum annexas beneficio; quia verè consequenter annexæ sunt: nemo enim fit debitor istarum expensarum nisi ratione beneficii iam collati.

CASVS IV.

Cessio & dein permutatio litigiosi beneficii inter ipsos litigantes.

Conuentum est inter Iulium & Caium præsentantes ius ad idem beneficium, ut Caius Iulio cederet iure suo ad beneficium, ut Caius Iulio cederet iure suo ad beneficium, ut Caius Iulio cederet iure suo ad beneficium. Postea inter eosdem accessit beneficii permutatio.

QVÆRITVR, An debeat Iulius procurare Perinde valere ut beneficium retineat?

5

O mniibus consideratis, mihi probabile est Iulium posse retinere Canonicatum; nec opus esse iterata collatione, seu Perinde valere. Ratio est, quia illa cõuentio inter Iulium & Caium, qua Caius pro expensis factis in capienda possessione beneficii cessit iure suo, Vel non fuit simoniaca ex parte Iulij, sed redemptio vexationis, ut tunc passim doctores ibi iudicabant; ut si Caius nullum verum ius habuerit, sed solum apparentem iuris ymbra; Vel si ille ex parte rei aliquid iuris habuit, Iulius excusatur per bonam fidem: & consequenter non incurrit pœnas à iure statutas, nec factus est inhabilis ad illud beneficium. Nam hæc inhabilitas pœna est, quæ in foro conscientie non incurritur quando abest culpa.

6

Itaque cum Iulius non sit factus inhabilis per illum priorem contractum, potuit hoc beneficium alià vià eidem Iulio validè conferri, v.g. vià permutacionis. Vnde permutatio, quæ postea inter Iulium & Caium intercessit, potuit ex parte Iulij esse valida, quamvis re vera Caius non esset verè dominus beneficii. Hæc enim permutatio facta est independentè à priore contractu: suppono enim priorem contractum non esse factum eo fine ut veniretur ad permutacionem, sed simpliciter & absolutè ad vitandam litem. Itaque permutatio illa ex parte Iulij fuit valida, & ipse verè ac-

quisiuit ius & dominium illius Canonicatus ex illa permutacione.

Nec refert quòd Caius non fuerit verè dominus illius beneficii: satis enim est in foro conscientie, quòd ipse, quantum in se erat, & ad ipsum pertinebat, illud deposuerit in manus Collatoris causà permutacionis, & Collator illud contulerit in Iulium. Non enim Iulius accepit illud à Caio, sed à Collatore immediatè. Valida itaque fuit collatio, etsi permutatio ex parte Caij fuerit inualida. Accedit, quòd Collatores absolute conferre soleant, non restringentes actum suum ad formam huius vel illius contractus præcedentis. Vnde cum Iulius verum ius habuerit saltem ex præsentatione, collatio fuit valida in foro conscientie.

Denique probabile est non esse simoniam si quid detur parti pro expensis litis, ut habet Sà V. Simonia, nu. 1. atqui quod Iulius dedit Caio, æquiparatur ei, quod datur pro expensis litis: quia datum est ad vitandam litem, & quidem ut videbatur iniustam. Quibus omnibus perpensis iudico non esse absolute necessarium, ut Iulius proeuret Perinde valere: sed posse in conscientia beneficium retinere.

CASVS V.

Titius accepit Capellam à Nuntio Apostolico, quæ pertinebat ad ius Patronatus Principis Biarnensis. Caius hoc intellecto accedit Procuratorem illius Principis, & impetrat ab illo præsentacionem, interim dum ipse Princeps adhuc esset hæreticus & excommunicatus nominatim à Sixto V. virtute cuius præsentacionis litem mouet aduersus Titium. Titius tandem ut liberetur molestijs Caij, facit pactum ut ille cedat iure prætenso, & ipse det pensionem; assignato Procuratore qui eam caret cõstitui ab Ordinario quando vellet Caius. Verum tergiversante Caio, eò quòd speraret se amplius posse impetrare, pensio non fuit constituta, & tamen aliquot annis soluta.

Pensio statuta & soluta non habita licentia Ordinarij in litigioso beneficio.

QVÆRITVR, An sit commissæ simonia? & quid remedijs pro Titio?

R Espondeo, Si ponamus Caium nihil probabilis iuris habuisse ad beneficium illud (cò quòd sciret iam legitime esse collatum ab Illustrissimo Nuntio Apostolico, & ipse impetraverit ab hæretico nominatim excommunicato, essetque infamis ob crimen depositione dignum) sic lis ab eo intentata, solum fuit iniusta vexatio: ac proinde solutio pensionis ante legitimam eius constitutionem, nihil fuit aliud quam redemptio vexationis, quare in ea solutione non fuit admittenda simonia. Qui enim iam habet ius in re indubitatum, potest ei qui illum iniuste turbat, aliquid temporale promittere & soluere ut cesset, ut Doctores passim fatentur: non enim dat aliquid temporale pro spiritali, cum alter nihil iuris spiritalis habeat; sed dat temporale ut cesset ab iniuria, seu ut cedat iure prætenso, quod re vera nullum est.

Si tamen ponamus Caium aliquid probabilis iuris habuisse (quod tamen ego non video) solutio pen-

7 Si Caius nullum ius habuit, Titius potuit redimere iniustam vexationem.

8

tio pen-

Alioquin est simonia

tio pensionis ante legitimam constitutionem simoniaca fuit; similiter & pactum quod antecessit, nisi auctoritate Ordinarij, vel alterius potestatem habentis, fuerit approbatum; imò illa solutio conventionem simoniacam compleuisset, facta simonia reali ex conuentionali: & proinde induxisset pœnas Iuris, id est, excommunicationem & inhabilitatem ad illud beneficium. Quare hoc beneficium retineri non posset, nisi à Sua Sanctitate impetraretur dispensatio, & rescriptum quod vocant Perinde valere. Mihi tamen probabile est Titium nõ incurrisse pœnas nec inhabilitatem, eò quòd videatur bona fide & ex simplicitate soluiffe pensionem, vt narratur: nam constituit Procuratorem qui curaret pensiones ab Ordinario constitui volente Cajo: & quòd constituta non fuerit, fecit tergiuerfatio ipsius Cai, cuius erat sumptus facere.

Quid agendum Titio.

CASVS VI.

Resignatio prouia promissione gratitudinis.

Titius resignauit Canoniatam in Sempronium hortau amici Sempronij, qui dixit ipsum non fore ingratum. Vnde Titius expectat à Sempronio 300. vel 400. libras Flandricas. QVÆRITVR, Vtrum Sempronius possit illas soluere nomine gratitudinis?

9. Hæc resignatio est simoniaca.

Respondeo Primò, Hic commissam videri simoniam saltem mentalem, quia animus Titij præsumitur fuisse obligare Sempronium ad insignem aliquam summam, qualis ferè dari solet in expressa venditione Canoniciatus. Idem videtur fuisse animus amici asserentis illum non fore ingratum. Imò videtur hæc simonia satis prodita actu externo, spectatâ consuetudine loci vbi commissâ: nam huiusmodi fucio verborum solent contractus simoniacos palliare. Soluere enim ingentem summam pecuniæ vocant courtoisiam & gratitudinem.

Soluendo pecuniam, vtrumque completur.

Respondeo Secundò, Si Sempronius soluerit hanc summam quasi ex obligatione, seu vt satisfaciât obligationi, quam Titius ei intendit imponere, metuendum est ne fiat simonia realis vtrimque completa, quæ inducit pœnas Iuris, nimirum excommunicationem latè sententiæ, & inhabilitatem ad idem beneficium, & irritum reddit contractum, iuxta ea quæ communiter tradunt Doctores, Nauar. cap. 23. Enchir. nu. 104. & alij quos ibi citat: quo casu non posset retinere beneficium.

10. Si non soluerit, non incurrit pœnas Iuris.

Respondeo Tertio, Si nihil soluerit, etiam si in contractu fuisset expressa conuentio simoniaca, non incurrit pœnas, nec tenetur dimittere beneficium; sed potest illud retinere non obstante prouia promissione: quia simonia conuentionalis nõ inducit pœnas Iuris, nec reddit collationem irritam, vt docet Nauarrus supra, & alij Doctores.

Si soluerit ex mera gratitudine, non est simonia.

Respondeo Quarto, Si soluerit animo merè gratuito, non ex vi & debito obligationis, probabile est non esse simoniam: in foro tamen externo iudicabitur simonia realis, & priuabitur beneficio. Ratio est, Quia tanta summa pecuniæ non solet dari per modum courtoisia, vt nunc loquuntur, seu honestatis & gratitudinis, sed videtur dari in pretium. Vnde nemini velim esse auctor vt aliqua ratione, aliquoquè respectu talem summam accepto beneficio numeret. Accedit,

quòd difficile sit ita animo esse comparatum, vt talem summam intuitu solius gratitudinis numeret.

Respondeo Quintò, Si Titius expensas fecit in adipiscenda possessione, & soluendis iuribus con-
fuetis, nec tamen vllum emolumentum percepit ex beneficio, posset Sempronius gratitudinis ergò refundere expensas, modò nullum antè ea de re pactum interuenerit. Quia consentaneum & equum videtur vt seruet suum benefactorem indemnam.

Ex gratitudine potest refundere expensas.

CASVS VII.

Titius resignauit certam præbendam in manu sui Principis ius Patronatus habentis in fauorem Cai, idque sub pensione centum florenorum; & pensione necdum confirmata, Caius cepit possessionem dictæ præbendæ, quæ titulo promotus est ad Subdiaconatum.

Acceptatio beneficii à Patrono sub onere pensionis.

QVÆRITVR, An hic commissâ sit simonia?

Svpono, Eum qui solùm habet Ius Patronatus non posse creare pensiones; imò nec imponere onus creandæ pensionis dum præsentat aliquem, nisi singulari priuilegio id ei à Sede Apostolica sit indultum, sicuti Regibus & Principibus concessum videtur, à quibus quotidie videmus Abbatibus pensiones imponi; quæ tamen videntur omnino confirmari & creari debere à Sede Apostolica.

12.

Itaque si Caius acceptauit beneficium cum illo onere sub beneplacito Sedis Apostolicæ, nõ commisit vllam simoniam. Quòd si acceptauit absolute, intendens absolute soluere pensionem ante Sedis Apostolicæ approbationem, commisit simoniam conuentionalem: ratione tamen cuius non est priuatus beneficio cuius possessionem accepit, vt Nauarrus & alij quidam docent iuxta stilum Curie Romanæ. Cauere tamen debet ne illam soluat ante Sedis Apostolicæ approbationem: quia sic simonia conuentionalis transfret in realem vtrimque completam, quæ inducit pœnas Iuris, redditque omnia irrita, inferens simul excommunicationem & inhabilitatem ad idem beneficium. Et hoc omnino verum est, nisi fortè, quod tamen non puto, Princeps illè potestatem habeat pensiones imponendi, quæ non egeant Sedis Apostolicæ confirmatione.

Quare vt Caius securè procedat, non soluat nisi Sedes Apostolica omnia probauerit. Potest tamen interim retinere beneficium, & illud administrare, penitentia conceptâ, si intentio non fuit qualis debuit.

CASVS VIII.

Existente bello inter Reges Gallia & Hispania, cum occupasset Rex Catholicus Ardeam, contulit Titio quandam Abbatiam olim deletâ, cui nihil super est præter nomen & partem redituum, ea intentione vt à Sua Sanctitate peteretur confirmatio, quam Titius neglexit petere. Postea inita pax inter Reges, vbi articulo inter conditiones habetur, vt prouisiones beneficiorum vtrimque factæ rata sint. Nihilominus Galli volunt Titium exturbare.

Pacifici de parte fructuum vt recipias.

QVÆRITVR, An Titius, vt se tueatur, quis via Iuris non super est, possit pacisci cum Gubernatore Ardeæ pro parte fructuum?

L ij Vt ad

13
Supponi-
tur prou-
isio legiti-
mā facta.

Est Titius
fit secular-
ris.

Titius po-
tess sic pa-
cifici, quia
habet ius
ad rem.

14
Titius so-
lam potuit
colligere
fructus ut
admini-
strator.

Quomodo
supplicabit
Papa ut
fructus
faciat
suos.

Exigere
aliquid in
admissio-
ne ad mo-
nasterium
opulentum.

15
Probabi-
lius est esse
simoniam.

VT ad quæstiones propositas respondeam: Suppono prouisionem factam Titio exuli Gallo de illa Abbatia per Regem Catholicum fuisse validā: quia Rex Catholicus tunc iure belli obtinebat illa loca; & consequenter successerat in omne ius Regis Gallie, cuius erat ad illam Abbatiam præsentare, uti nunc suppono. Nec obstat quòd Abbatia sit beneficium regulare, cuius Titius cum sit secularis, non est capax sine dispensatione: quia iam ab annis centum & amplius confuevit illa Abbatia conferri seculari, cum monasterium sit deletum. Nunc

Respondeo Primò, Quòd si illa prouisio valida fuit, sequitur Titium acquisiuisse saltem ius ad rem. Ac proinde posse redimere vexationem, si quis ipsum velit ab hoc per manifestam iniuriam deturbare; modò illi qui iniuriam & vexationem inferunt, tales sint, ut solùm possint obesse, & non prodesse; uti accidit in præfenti casu, sicut patet ex narratione facti. Ita docet Sotus lib. 9. quæst. 6. art. 1. in responsione ad 5. & alij quidam doctissimi recentiores. Potest igitur pacisci cum illo Governatore pro parte fructuum, quandoquidem nulla alia via tuendi sui iuris superest contra inuafores.

Respondeo Secundò, Titium per præsentationem Regis Catholici non acquisiuisse ius in re; neque factum dominum istius beneficii aut tituli (nisi fortè Rex Gallie plus aliquid habuerit in huiusmodi beneficiorum dispositione quàm Rex Catholicus habeat in Abbatibus & Prioratibus suarum Prouinciarum, quod ego non credo.) Vnde sequitur non potuisse Titium fructus illos percipere nisi per modum administratoris sequestrando illos, donec à Sua Sanctitate obtineret tituli collationem, ad quem erat præsentatus. Neque conueniebat ut tam diu differret hanc tituli impetrationem seu confirmationem, uti narratur distulisse. Nihilominus tamen si eos percipit tanquam suos, sufficit modò ut id in supplicatione exprimat, & petatur condonatio. Quamuis etiam probabile sit hoc non requiri: nam fructus debentur præsentato, si confirmetur.

Respondeo Tertio, Ut Titius à Sua Sanctitate impetret titulum, nulla requiritur Regis Gallie commendatio aut præsentatio; sed sufficit præsentatio Regis Catholici legitime facta; & confirmata per articulum 9. pacis inter Reges inite; de qua constabit ex litteris administrationis.

CASVS IX.

Utrum sit Simonia, si monasterium satis opulentum exigit aliquid in receptione Religiosorum vel Religiosarum, pro victu, vestibus, conuiujs & similibus; alioquin non recepturum eos?

Respondeo, Etsi probabilius sit esse simoniam, quando monasterium satis opulentum exigit aliquid in receptione Religiosorum vel Religiosarum pro victu, vestibus, conuiujs & similibus, alioquin non recepturum eos; ut patet Extrauag. Urbani I V. & ex Francisco Victoria 2. parte de Simonia num. 12, ubi ait hanc esse communem sententiam Doctorum, nempe Veterum: Tamen probabilis est sententia eorum, qui

dicunt hoc Ius per contrariam consuetudinem, Probabile Prælati coniuuentibus, esse sublatum; modò non exigatur pro ipso statu Religionis. Ita multi Doctores in Hispania & Italia, qui dicunt hanc sententiam esse securam. Quia simonia iuris positui potest consuetudine aboleri: talem autem dicunt hanc esse. Idem tenet Nauarrus cap. 27. num. 106, dum ait, quòd excusentur à mortali, ubi est consuetudo contraria. Ex quo manifestè sequitur non esse simoniam. Vnde

Infero Primò, Post factum posse hanc sententiam teneri, & non esse censendos excommunicatos, qui id fecerunt: præsertim cum ad hanc excommunicationem requiratur præsumptio; id est, ut sciant esse prohibitum sub pœna excommunicationis.

Infero Secundò, Omnibus modis conandum ut hæc consuetudo tollatur, ubi commodè fieri potest: quia potius est corruptela, quàm consuetudo, ut inquit Urbanus; & maxime illa de conuiujs, idque proprium est Episcoporum si Superiores non fecerint: quia tenetur monasteria reformare præsertim in similibus excessibus. Colligitur ex Concilio Tridentino cap. 8. 9. & 12. de Reform. Regular. sess. 25.

Infero Tertio, Alteram sententiam, nempe quòd sit simonia, cum sit probabilior, posse etiam teneri, & ex ea Religiosos vrgeri ad reformationem, iuxta Extrauag. Urbani I V. quæ habetur inter communes post sextum Decretalium.

Hoc tamen obseruandum generatim, quando est aliqua re contraria sunt sententia, & utraque est probabilis; posse nos nunc hæc, nunc illà uti, pro ut magis ad Dei gloriam & animarum salutem fore videbitur. Quando tamen aliquid est contra Iura, vel habet speciem mali, non facile id est permittendum, præsertim ante factum.

CASVS X.

In quodam monasterio consuetudo est petere ab ijs qui ad Religionem admittuntur, ut suppellectilem, aut bona alia secum conferant.

QUÆRITVR Primò, An hoc simpliciter petere, sit simoniacum?

QUÆRITVR Secundò, An hoc petere pacto inuito sit simoniacum?

AD Primum: Respondeo & Dico Primò, Nullam hinc esse simoniam, quando non ini- tur pactum de illis rebus adferendis, vel soluendis; sed solùm dicitur esse consuetudo, & petitur titulo consuetudinis, ne monasterium grauetur; & persona nihilominus esset admittenda, si aliàs esset benè idonea; nec haberet facultatem ista præstandi. Neque de hoc potest esse dubium.

Dico Secundò, Si monasterium ita esset opulentum ut facile posset suos sustentare, & simul eos quos admittere desiderat, essetque status eorum tranquillus, ita ut non sit vllum periculum egestatis, probabilis est fore simoniam, saltem iuris humani, aliquid exigere in admisione, etiam pro indemnitate. Colligitur ex S. Thoma 2. 2. quæst. 100. art. 3. ad 4. & fusè probat Suarez lib. 4. de Simonia cap. 17. & contrariam consuetudinem dicit esse corruptelam.

Ad Secundum:

19
Hac se m.
pora mul-
tum excu-
sant mo-
nasteria.

Ad secundum: Respondeo, Monasterium (qua-
lia sunt pleraque in Campinia Brabantiae) hinc
temporibus videri plane eo esse in statu, vt etiam
licite possit inire pactum (quatenus se aliquo mo-
do seruet indemne) cum Nouitijs, quibus media
suppetunt, vel cum eorum parentibus, vt secum
deferant libros, vestes, utensilia cellarum, & alia
quae necessaria, donec incorporati fuerint mona-
sterio. Si enim, vt patet ex Concilio Trid. sess. 25.
cap. 16. potest monasterium accipere, imò & exi-
gere pro victu & vestitu tempore probationis, vt
docet Suares de Simonia lib. 4. c. 17. multò magis
poterit illa iam dicta exigere quae minoris sunt
sumptus. Confirmatur, quia passim Doctores tradunt
quando monasterium est pauper, vel est in
periculo egestatis propter damna vel casus impè-
dentes, posse pacifice de alimentis totà vità Reli-
giosi necessarijs; multò magis de istis minutio-
ribus.

Vnde meritò, cum illi qui nondum audierunt
Philosophiam, cupiunt admitti, potest Prælatum
exigere à parentibus vt præstent sumptus tempo-
re studiorum necessarios.

20
An deo
differenda
professio.

Vtrum autem aliquantulum possit differri pro-
fessio, si putentur parentes facta semel professione
non soluturi quae promiserunt, vt hac ratione in-
ducantur ad celeriore solutionem, pato relin-
quendum iudicio Prælati: modò non sit valdè
diuturna ea dilatio.

Itaque sentio R. D. Prælaturum tutà conscientia
in hac recepta monasterij sui cõsuetudine pergere
posse; cum nec sacris Canonibus, nec rationi natu-
rali repugnet, nec vilius simoniae sit periculum;
cum non obstatum religiosum, sed ad aliquam
monasterij indemnitate ista exigantur.

SOCIETAS IESV.

CASVS I.

Vtrum Violatio Regularum Societatis Iesv
sit peccatum?

Obliga-
tio Re-
gulariũ
Societatis
IESV.

Missis ijs quæ in vtramque partem dici pos-
sent:

1
Præcisè vt
est violatio
Regule,
non est
peccatum.

Respondeo Primò, Hanc violationem per se &
præcisè consideratam, quatenus est violatio talis
regulae, peccatum non esse, nec mortale, nec ve-
niale. Ratio est, quia obligatio legis positivæ pen-
det ex voluntate legislatoris volentis per eam sub-
ditos obligare. Atqui Auctor Regularum Socie-
tatis Iesv expressè explicuit nolle se vt illè ad pec-
catum obligaret: ergo per se non obligant. Tribuunt
tamen ius Superiori imponendi penitentias seu afflic-
tiones corporis eas violentibus: hæc enim fuit mens
Auctoris, & hoc modo à singulis sunt acceptatæ.

2
Est tamen
peccatum
ex alijs ca-
pitibus.

Respondeo Secundò, Quamuis regula illa
per se vim obligandi ad peccatum non habeant,
possunt tamè ex alijs capitibus vim obligandi ha-
bere, ita vt si contra eas fiat, peccatum commit-
tatur. Primò, Ratione voti. Sic omnes illæ quæ
pertinent ad vsum rerum, donationem, acceptio-
nem, commutationem &c. obligant sub peccato,
vt 24. 26. 27. Summarij. Item 7. 8. 9. 11. 17. 25.
ex Communibus. Vfus enim vel vsurpatio cuius-
libet rei absque dependentia à voluntate Superi-
oris, peccatum est contra votum paupertatis, et si

non semper mortale, ob paruitatem materiae.

Secundò, Potest obligare ex lege alicuius vir-
tutis. Hoc modo plurimæ obstringunt sub pec-
cato, maximè consideratà modestia, maturitate
& ædificatione, quam iure naturæ tenetur præbe-
re Religiosus Societatis, id est, talis Religionis,
quæ ad talem finem est instituta. Tales sunt ex
Summario, 6. saltem quò ad primam partem, 8.
10. 14. 16. 17. 20. 22. 28. 29. 30. 42. 43. 44.
46. 49. Item ex Communibus, 13. 19. 20. 21.
22. 23. 24. 28. 29. 30. 31. 32. 34. 37. 38. & si-
miles. Nam quod his continetur, ferè totum ad
ius naturæ & legem virtutum pertinet, vt quis
deprehendet, si rem benè expendat. Idem cernitur
in regulis plurimis particularium officiorum.

Tertiò, Potest obligare ratione peculiaris
promissionis, vt 9. & 40. Summarij: omnis enim
violatio promissionis sine iusta causa, peccatum
est.

Quartò, Ratione scandali. Hoc modo ple-
rumque peccatum est violatio regularum coram
alijs, etiam si vera illi non peruertantur: non
enim tantum ab omni malo tenemur abstinere se-
cundum Apostolum, sed etiam ab omni specie
mali, & hoc propter alios. Atqui violatio regulae
coram alijs haud dubiè speciem mali habet.

Quintò, Ratione læsionis disciplinae. Pulchri-
tudo enim & decus religiosæ familiæ consistit in
bona disciplina seu conformatione morum cum
regulis: sicut enim mirè Religionem ornat, si in
ea suis temporibus seruetur silentium, si omnia
tranquilla, omnia benè composita, si omnes sta-
tis temporibus surgant, orent, studeant, com-
edant, corpus exercent, si morem Superioribus
gerant &c. ita è contrario illam dedecorat, si
omnia plena tumultu, strepitu, cachinnis, loca
publica immunda, si quisque surgat, oret, com-
edat dum lubet; si nulla cum Superioribus con-
iunctio, nulla erga illos vel socios reuerentia.
Qui ergo violando regulas, notabiliter lædit dis-
ciplinam, haud dubiè peccat; quia magnum Re-
ligionis bonum & ornamentum evertit, vel com-
maculat. Imò ratione huius læsionis violatio re-
gulae posset esse graue peccatum, si nimirum inde
sequeretur grauis læsio disciplinae: vt cum quis
sua libertate & laxitate alios ad laxitatem inducit.
Ob eandem causam Superiores grauiter peccant,
qui suà negligentia patiuntur disciplinam collabi.
Et subditi, qui nolunt se ad eam accommodare,
vel eo sunt ingenio vt non sperentur se accom-
dati, possunt & debent eijci tanquam perniciosi
bono Societatis.

Sextò, Ratione negligentiae. Ita D. Thomas
22. quæst. 186. artic. 5. ad 1. & Caietanus ibi-
dem. Idem tenent alij Doctores. Hoc in primis
locum habet in ijs quæ ad cultum diuinum perti-
nent: vt si quis ex torpore quodam omitteret
meditationem, Sacrum, lectionem rerum spiri-
tualium, examen: est enim ille torpor, Acedia
peccatum, quod quisque vitare tenetur: similiter
si quis hæc cum tali negligentia & torpore præ-
stet. Deinde etiam id locum habet in alijs: eo-
rum enim omisso ex negligentia est peccatum: vt
si ex negligentia omittas lectionem, studium, of-
ficia charitatis &c. quia homo tenetur vt nõ ope-
retur aut cesset ex tedio laboris: quod maximè
verum est si non dentur actus indifferentes.

Z iij Septimò,

7. Ex affectu minus ordinato.

Septimò, Si ex libidine Regulam violem. Ita D. Thomas supra, id est, ex nimia cupiditate, vt exponit Caietanus, vel alio affectu minus ordinato. Sic sapè violatur silentium, comeditur vel bibitur extra tempora, luditur, iocatur, &c: quidquid enim ex inordinato animi motu fit, peccatum est; quia est contra legem diuinam, secundum quam animus se in appetendo & fugiendo debet componere.

8. Ex contemptu.

Octauò, Ratione contemptus. Ita D. Thomas supra. Potest autem hic contemptus fieri tribus modis. Primò, Si nihil æstimes Regulam, & ideo nullam curam habeas eius seruandæ. Et hoc sine dubio est graue peccatum; imò videtur mortiferum: nam ex vi votorum teneris habere propositum generale viuendi secundum Regulam; vt colligitur ex D. Thoma loco citato. Secundò, Si nolis Regulam seruare, vt te illi vel Superioribus non subicias: v. g. si frangas silentium, si omittas meditationem ne te Regulam aut potestati Superioris submittas: hoc enim esse peccatum mortale non est dubitandum: nam ex vi votorum subiecisti te potestati Superioris & Regulam, vt docet Caietanus. Differunt hi duo modi; quia aliud est non habere curam seruandi, aliud nolle amplius esse subiectum. Tertiò, Si nolis seruare Regulam, vt sic ostendas te illam vel Auctorem eius nihili pendere.

6

Ex his patet qua ratione violatio Regulæ peccatum esse possit.

Promissio seruandi regulas, nõ obligat sub peccato in singulis regulis.

Dices, Videntur Regulæ omnes etiam obligare ratione promissionis; quia singuli promiserunt se illas seruaturos: quisque autem tenetur seruare promissum Iure naturæ, nisi iusta causa non seruandi interueniat. Confirmatur, quia inter Religiosum & Societatem initur quidam contractus reciprocus, in quo ille se tradit Religioni & promittit seruare Regulas, si Religio illum velit admittere; & vicissim Religio hac lege illum admittit: ergo tenetur bona fide id præstare ex vi contractus. Cuius signum est quòd si nolit eas seruare, Religio possit illum expellere, tanquam qui fidem Religioni datam non seruarit.

Respondeo, Hæc ratio fatis probat Religiosum debere retinere propositum generale seruandi Regulas, & vitam suam eis conformandi: sine enim tali proposito Religio nullo modo vellet illum retinere; & si simularet se habere illum cum non habet, grauiter peccaret, quia deciperet Religionem: nam Religio hoc propositum requirit tanquam conditionem sine qua noller illum admittere: itaque illud primariò censetur promittere. Non tamen sic promittit obseruationem singularum regularum in quouis casu. Neque Religio hoc ab illo requirit, sed solum vt bona fide agat, & si contingat labi, non detrectet pœnam. Itaque ratio illius generalis promissionis non videtur solidè posse probare esse peccatum in singulis violationibus; quamuis probabiliter dici possit.

CASVS II.

Emissio votorũ simplicium ante expletum biennium.

Tertius Nouitius Societatis Iesu aliquos diebus vel horis ante expletum biennium emisit vota Scholasticorum. Deinde per plures annos sua vota cum ceteris renouauit. Denique solemnem 4. votorum professionem emisit.

QVÆRITVR Primò, An prima votorũ emissio fuerit valida?

QVÆRITVR Secundò, Quid operata fuerit sequens illa votorum renouatio?

QVÆRITVR Tertiò, An professio illa sit valida?

AD Primum: Respondeo, Si biennium probationis non sit expletum, non videtur probabile per talia vota fieri Religiosum: quia Canone 10. Congregationis. Quintæ ita statuitur, Nullo casu exerceri liceat facultatem dispensandi in contrahendo biennij spatio ad hoc, vt quispiam ante expletum biennium censetur verus Religiosus, & Scholasticus approbatus per emissã vota simplicia Scholasticorũ Societatis. Biennium autem non est expletum si adhuc restent aliquot dies, imò si aliquæ horæ. Computatio enim faciendã de momento ad momentum, quando requiritur tempus expletum: sicut si vigesimus quartus ætatis annus nondum est expletus, sed restet vnus dies, non potes initiari Sacerdotio: similiter non valet professio in alijs Religionibus si vel vnus dies desit anno probationis, vel ætati requisitæ. Non negauerim tamen quin si pauca tantum horæ desint, probabile sit valere.

Illud quod adfertur de matrimonio, nullo modo est simile: quia ipsa Iura expressè statuunt malitiam ibi posse supplere ætatem.

AD Secundum: Respondeo, Ad ratificandã talia vota Scholasticorum ante expletum biennium facta, sufficit vt sciens vel dubitans de illorum validitate intendat in proxima renouatione illa ratificare. Nec opus est Superiorem esse conscium, aut eum secundò admittere.

AD Tertium: Respondeo, Professio, si secuta sit ex errore, quòd putaret se teneri votis Scholasticorum ante biennium expletum emissis, videtur irrita. Quia actus, cui error dat causam, est irritus, præsertim qui versatur circa totum actum, eiusque substantiam. Si autem non ex illo errore, sed sponte eam faciat, quia per se placet, ita vt error non sit eius causa, valet.

Vide similem Casum supra V. Professio Religiosa inualida, Casu 3. & 4.

CASVS III.

Quomodo simplex votum Scholasticorum possit eos facere Religiosos, cum non admittatur à Societate. Non enim offertur homini, nec ab homine admittitur, sed soli Deo, vt habetur in Constit. p. 5. c. 4. §. in declarat. littera D, vbi sic dicitur: Vt hoc votum soli Deo offertur & non homini, ita nemo id admittit: propterea in nullius manibus id fieri dicitur. Admissio tamen est omnino necessaria vt quis fiat Religiosus: vt passim Doctores.

RESpondeo, Votum Scholasticorum dupliciter considerari posse. Primò, vt est votum seu promissio. Secundò, vt est formula quædam habens vim tradendi se in ius & corpus Religionis, quã vim habet ex ordinatione & intentione Societatis ab Ecclesia approbatæ, & ex intentione ipsius vouentis, qui per illa vota transacto biennio sic facta coram Superiore, se intendit in ius Religionis

10
Dupliciter
potest spectari votũ.

Religionis tradere, vt fiat verè membrum illius, illique subiectus.

1. Vt non
admittitur
ab homine.

Si primo modo votum Scholasticorum spectetur, sic non admittitur ab homine, id est, non acceptatur: quia nemo potest acceptare promissionem quæ ipsi non fit, sed alteri. Itaque cum soli Deo hæc fiat promissio, non homini; rectè dicitur non admitti, id est, non acceptari ab homine. Secus est in professione, & in voto Coadiutorum formatorum; quia in illis non soli Deo, sed etiam homini fit promissio, vt patet ex formulis.

11
2. Vt admittitur
ab homine.

Si verò secundo modo spectetur, sic admittitur ab homine. Quia ipse vouens intendit se per illam formulam vouendi tradere in ius Religionis, & eius fieri membrum; & Superior illum intendit admittere, & Religioni incorporare, licet non omnino completè. Itaque est æquiuocatio in voce admissionis. Hinc sequitur Superiores & Societatem ius habere in Scholasticos, non ex vi promissionis ipsi factæ in votorum formula, sed ex vi traditionis, qua se per eandem formulam intenderunt tradere in corpus Religionis, eam traditionem acceptante Superiore. Neque id mirum videri debet: quia perfectio Religionis non postulat vt aliqua promissio fiat homini; sed solum requirit vt promissio fiat Deo, quod homini, tanquam locum Dei tenenti obediens, & in omnibus ab ipso dependebis. Potest itaque Ecclesia statuere vt per talem promissionem fiat quis verè Religiosus, si per eam intendat se tradere in ius certæ Religionis, & Superior illius Religionis eum intendat admittere & incorporare illi Religioni.

Per talem
traditionem
fit verè
Religiosus.

confluentibus: quò fit vt parùm animentur ad studia, & Vniuersitates destituantur cruditis Professoribus.

Secundò, Quia didacta & emolumenta Magistrorum minuuntur, dum in scholis Societatis gratis docetur.

Tertiò, Ad honorem & splendorem Principis pertinet, vt eius Professores doctrinâ, famâ, & numero discipulorum sint maximè celebres.

Quartò, Per scholas Societatis fit vt optimaque ingenia se ad illum Ordinem conferant, præsertim ex Philosophia: & ita pro ministerijs Ecclesiæ & Reipub. mediocria vel tenuia duntaxat ingenia relinquuntur. Quò fit vt & Parochi, & Aduocati, ac alij, qui Reipub. vel Ecclesiæ seruiunt, sint minùs idonei.

Quintò, Quia Societatis homines nimis magnâ auctoritatè per scholas acquirunt tum apud plebem, tum apud primarios quosque: quæ res posset periculum creare Principi, si in aliqua dissensione se plebi contra Principis mandata vel petitiones coniungerent.

Hæc ferè sunt rationes, quas ego à varijs audiui iactari, & exaggerari.

Contrarium tamen, Scholas Societatis Iesu non obesse, sed professe plurimum tum Vniuersitatibus, tum maximè bono publico, multis rationibus clarè demonstrari potest.

Primò, Quia illæ Vniuersitates maximè florent in quibus Societas docet: vt patet Mussiponti, Treuiris, Colonia, Moguntia, Ingolstadtij, Grecij, Flexia, Lugduni, Conimbrica, alijsque locis, vbi cum antea paucissimi essent auditores, & omnia languerent, nunc per Societatis scholas Vniuersitates illæ abundant studiosorum numero, & omnibus disciplinis florent. Idem cernere est in Vniuersitate Duacensi.

14

Secundò, Plurimi occasione nostrarum scholarum animum ad studia litterarum appellunt, qui alioquin nunquam studuissent: partim ob bonam disciplinam, quam in scholis nostris ipsi vel parentes eorum vident, partim ob gratuitam institutionem. Ex his plurimi se postea ad Vniuersitates conferunt. Olim Antuerpiæ, Bruxellæ, Traiecti, Gandau, Cortraci, Valencenis, in S. Audomaro, alijsque magnis Oppidis, vix centeni, vel vt summum ducenteni reperiebatur qui litteras Latinas degustarent: nunc 500, 600, 700, 800, reperiuntur qui Latinâ, & Græcâ literaturâ instituantur; aucto in quadruplum studiosorum numero. Ante scholas Societatis cum istæ Prouinciæ florerent, & ex Hollandia, Zelandia, Frissa, Geldria, Germania, Gallia studiosi liberè huc conuenirent, non erant plures Philosophiæ studiosi, quàm modò sunt, quâdo ex illis locis non veniunt. Imò modò sunt longè plures connumeratis omnibus qui student Louanij & Duaci. Vnde dimidia pars Belgij dat modò plures Philosophiæ studiosos, quàm olim totum Belgium cum Prouincijs vicinis. Olim enim non erant in vniuersum Philosophiæ studiosi (Logicis & Phisicis computatis) vltra 500. vel 600. At modò in sola Vniuersitate Louaniensi quotannis non multò pauciores numerantur, quibus si iungamus eos qui Duaci Philosophiæ dant operam, reperientur supra mille, & sæpè supra mille ducentos. Quis vnquam in tam exigua Prouincia, & tam afflictis temporibus, vtiquam terrarum vidit tantum Philosophiæ studio-

Societas
suis scholis
ornat Vni-
uersitates.

Auget stu-
diosorum
numerum.

CASVS IV.

Priue-
gium
erogandè
Euchari-
stia.

In Compendio Priuilegiorum V. Euchari-
stia §. 4. dicitur: Possunt nostri, in no-
stris Ecclesijs ministrare, ac ministra-
ri facere Sacramentum Euchari-
stia quibuscumque personis, quoties opus
fuerit.

QVÆRITVR, An Nostri per externos Sacer-
dotes possint id facere?

12.

Respondeo, Affirmatiuè. Primò, quia alioquin ibi esset inepta eiusdem repetitio. Secundò, quia non distingueretur à §. 3. idem enim diceretur. Tertiò, quia est beneficium Principis concessum in bonum alicuius communitatis, nemini præiudicans, ac proinde amplè interpretandum. Quòd nemini præiudicet, patet ex D. Thoma opusculo contra Impugnantes Relig. c. 4. col. penult. Quòd itaque amplè interpretandum, patet ex communi sententia Doctorum in Cap. Olim, de Verborum significatione, Oldrado Consil. 300.

Quomodo intelligendum sit Priuilegium de Euchari-
stia distribuenda tempore Paschali & die Resurrectio-
nis Domini, vide qua dicta sunt in 3. p. 9. 82. a. 3.
num. 12.

CASVS V.

Scholæ
Societatis
IESV.

Vtrum Schola Societatis IESV obsint bono
publico, vel etiam Vniuersitatibus?

13
Argumen-
ta aduer-
siorum.

Videri possint alicui obesse. Primò, Quia per
eas fit vt Professores Vniuersitatis habeant
pauciores discipulos, multis ad scholas Societatis

Z iij forum

forum numerum? aut ubi terrarum in vna Vniuersitate reperiuntur 500. vel 600? Tam numerosa iuuentutis, tantique ad Philosophiam concursus alia non est causa, quam scholæ Societatis, quæ ubique studia excitant, quarumque opportunitate plurimi ad præclaras disciplinas animam adiecerunt. Ex quibus manifestum est, si numerum & cõcursum studiose iuuentutis spectemus, scholæ Societatis bono publico & ipsis Vniuersitatibus plurimum profuisse.

35
Tractatione
disciplinarum
il. infra.

Si verò disciplinarum tractationem, & iuuentutis in illis institutionem consideremus, apparet etiam hac ex parte scholæ nostras bono publico & ipsis Vniuersitatibus nõ parum contulisse. In litteris humanioribus à rudimentis ita instituuntur, vt quinquennio Latinâ & Græcâ litteraturâ exculti, non solum in vtrâque & carmine & prosâ, pro captu illius ætatis, cum plurimorum admiratione excellant, sed etiam historiam Romanam ac Græcam, ceteraque quæ ad notitiam antiquitatis pertinent, addiscant: quorum pleraque antea in scholis erant penitus ignota. In Philosophicis biennio ita docentur & exercentur, vt sub finem cursus Theses difficillimas ex vniuersa Philosophia publicè cõ laude tueri possint: quod antea nunquam in Belgicis Vniuersitatibus vsurpatum. Olim Metaphysica præcipua Philosophiæ pars non attingebatur: nunc accuratè omnes eius quæstiones traduntur. Conferantur commentaria & dictata antiqua cum nouis, & exercitationes antiquæ cum exercitationibus Philosophicis huius temporis, & patebit quantum omnia sint cultiora, & meliora, aptioraq; ad superiores disciplinas redita? In Theologicis olim erat vna lectio à Magistro Sententiarum, & vna S. Scripturæ, & vix duodecim annis cursus absoluebatur: pauca de controuersijs huius temporis, vel de ijs quæ ad conscientia quæstiones, & Parochorum institutionem pertinent. Societas omnia hæc studia excitauit, & compendiarie methodo coniunxit: nã quadriennio omnes materias Theologicas ita absoluit, vt sub finem illius spatij, studiosi conclusiones ex vniuersa Theologia tam morali quam speculatiua publicè tueri possint: quod nunquam antea in Belgio factum. Casus conscientie & controuersias cum subtilitate scholastica ita coniungit, vt Parochi abundè ad munus suum comparati, & ad congregandum cum hæreticis instructi esse queant. His simul adiungit Scripturarum vtriusque Testamenti explicationem: adeo vt quatuor annorum spatio, qui bono sunt ingenio, & mediocrem adhibent diligentiam, possint assequi totius S. Theologiæ, hoc est, subtilitarum Scholasticarum, Casuum cõscientie, Scripturarum, & Controuersiarum insignem notitiam. Rogatos velim eos qui olim hic in Vniuersitate 12. vel 15. annis studuerunt, vt secum perpendant, vtrũ tales conclusiones ex vniuersa Theologia, quales modò quarto anno cursus Theologici apud nos defenduntur, multi eorũ propugnare potuissent? Possent hac de re plura dici, sed fileo, & equis Iudicibus, qui vtrâq; vidè, consideranda relinquo. Hi iudicent vtra ratio docendi, & tradendi disciplinas magis sit ex vsu publico, & Vniuersitatum bono, illanc quæ olim fuit, an ea quæ per Societatem inducta.

36

Si consideremus disciplinam morum, & instructionem in ijs quæ ad Religionem, Pietatem,

Timorem Domini, & morum honestatem pertinent; nemo negare potest quin Societatis scholæ hac in re potissimum excellant. Idcirco enim adeo exosa hæreticis, quia in ijs iaciuntur solida Religionis catholice fundamenta, & iuuentum animi aduersus hæreses muniuntur, patefactis hæreticorum strophis. Ob hanc enim potissimum causam Societas litteras humaniores & prophanas disciplinas tradit, vt ea occasione iuuentutem in ijs quæ Religionem, morum probitatem, & salutem concernunt, informet. Itaque præcipua cura & studium Societatis est, vt iuuentus in his maxime proficiat. In cum finem docetur exactè Catechismus, explicantur mylteria fidei Christianæ, declarantur & refutantur hæreticorum errores: instituuntur sodalitia B. Virginis, habentur crebræ exhortationes, confitentur singulis mensibus, & plerique etiam sapius. Denique ad Christianam pietatem, & ad peccatorum, quibus illa ætas obnoxia, fugam, & ad omnem modestiam, quàm diligentissime instituuntur. Quantum autem hinc boni proueniat, æstimari non potest. Hac enim ratione catholica Religio iam fugiens & exolefscens, vtcunq; retinetur, & hæreses flamma quæ omnia absumptura videbatur, sistitur, & Respublica viris probis & Catholicis repletur. Hinc catholici & fideles Aduocati, Magistratus, Consiliarij, ac locorum Gubernatores. Qui enim ab inuente ætate in verâ Religionem & Domini timore probè educati sunt, plerumque retinent hoc bonum per totam vitam; & si Respublicæ admoueat, iustè & Christianè cum maximo Reipublicæ bono munus suum obeunt. Nihil est quod maiorem vim vel ad bonum vel ad malum habeat, quàm prima illa institutio. Vnde Scriptura Proverb. 22. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum ienuerit, non recedet ab eâ.* & Aristoteles lib. 2. Ethicorum c. 1. *Non parum refert, sed per multum, virtum sic, an sic, à pueris assuescamos; imò verò totum in eo positum est.* Itaque cum totum bonum Religionis & Reipublicæ pendeat ab institutione iuuentutis, meritò hæc summi momenti ducenda est, & omni diligentia & industria procuranda. Vnde scholæ illæ, in quibus ea ex professo & omni conatu præstatur, non parui ducenda, neque sæcularium scholis in quibus ea minùs curatur, postponendæ. Ob hanc causam Philippo II. Regi Catholico glor. mem. valdè curæ fuit vt Societas vbique, & præsertim in oppidis recens subiectis, scholas haberet, eamque rem Principi Parmensi commendauit. Videbat prudētissimus Princeps difficile esse inueteratos in heresi animos conuertere, & ad obedientiam Ecclesiæ, sui que Principis legitimi reuocare: ac proinde à iuuentute, quæ nondum corrupta esset, incipiendum, atque in ea fundamentum boni status Reipub. ac Religionis collocandum. Huic prudētissimo consilio respondit euentus. Plurimi enim nunc per ciuitates longè aliter in Religionem & suum Principem animati, quàm primis illis temporibus, quando altaria & imagines frangebantur. Denique quàm accurata in scholis nostris Christianæ pietatis sit institutio, & quantam vim in animis ea habeat, non solum ex crebro Sacramentorum vsu, & eorum modestia, morumque honestate, sed etiam ex multitudine eorum qui ex nostris scholis ad varios Religiosorum Ordines in illo ætatis lubrico se conferunt, perspicere licet: adeo vt vix sit vllum monasterium, in quo

Pietatem
& religio-
nem singu-
lariter
docet.

Proverb.
22.

Aristoteles
lib. 2. Ethicorum
c. 1.

Philippus
II. Societas
scholas
propaga-
uit.

non plurimi insignes Religiosi ex scholis Societatis reperiantur. qua ratione factum est, vt omnes ferè Ordines in Belgio & numero, & disciplina, & eruditione non parum reformarint, cum maximo Ecclesiæ & Reipub. bono. Nihil enim Reipublicæ salutaris, nihil ad eam tuendam & conseruandam incolumem efficacius, quàm si plurimos habeat pietate & doctrina insignes, qui suis precibus & bonis operibus eam communiant, & suâ doctrinâ vitæque exemplo ad Christianè viuendum excitent.

17
Forma
scholarum
Societatis

Denique consideranda est scholarum forma, & Magistrorum conditio. Classes studiosorum non sunt confusæ & permixtæ, vt olim passim parum decorè vsitatum; sed distinctæ per varia loca, ita vt singulæ suam scholam habeant, nec alia aliam disputando & respondendo perturbet ac impediat. Singulæ suam habent Magistrum, qui totus in eam formandam incumbit. Singulæ classes distinctæ per decurias, inter quas assidua concertatio. Ad studia excitantur nò plagis seruilis modo, sed laude & munusculis, & libenter cum illo ac familiariter colloquuntur. Quanto autem sint efficaciora illa incitamenta, quàm virgæ & plage, iam longa probauit experientia. Denique tota ratio exercitationum & lectionum per horas, semihoras & quadrantes accuratè est definita & præscripta in singulis classibus; à qua præscriptione fas Magistro non est suo arbitrio recedere. Quòd fit vt omnia rato tenore procedant, & omnis confusio in tanta discipulorum, lectionum & exercitationum multitudine vitetur.

18
Magistru-
rum So-
cietatis
quatuor
conditioes

1. Oratio
vocationis,

Quòd ad Magistrorum conditionem attinet, multa considerari possunt, quæ alibi non reperiuntur. Primò, quòd ex proprio instituto sui Ordinis, & vocatione diuinâ Societas nostra ad munus docendi est comparata. Vnde non est dubitandum, quin Deus peculiari auxilio & prouidentia adsit & dirigat vt hoc munus quàm optimè præstet, & prosperos successus habeat. Deus enim cuique Ordini peculiarem largitur gratiam, & opem, ad munus propriæ vocationis dignè & fructuosè obeundum. Et hæc est præcipua causa tantorum successuum in scholis nostris, nimirum Domini benedictio, quæ & Magistros illuminat, & animos excitat, & conatus adiuvat; & discipulos dociles, morigeros, ac amantes suorum Magistrorum ac studiosorum efficit. Sæculares verò Magistri non ita ad munus docendi sunt vocati. Sed plerique sese ad hoc, lucri, aut beneficiorum Ecclesiasticorum spe applicant; & cum id quod petebant consecuti fuerint, deserunt: vnde mirum non est si similem Dei opem & tantos successus non habeant.

2. Solo Dei
iustitia la-
borem sub-
iungit

Secundò, quòd nulla spe lucri temporalis, officij, beneficij, vel dignitatis consequendæ doceant; sed solo desiderio gloriæ Dei & salutis proximi, simplici victu & vestitu contenti, qui nulli sæculari Magistro fatis esset. Plerisque sæcularium Magistrorum 400. 500. 600. floreni in annos singulos, imò multis etiam 1000. fatis nò sunt, beneficia & pensiones suis stipendijs addeppdo: nec inuidemus: quia viri eruditi etiam pluribus digni sunt, modò bene vtantur. Professoribus Societatis in singula capita, 200. floreni sufficiunt ad victu,

vestitum, libros, cæteraque omnia. Nemo conuictoribus suis tam exiguo pretio omnia necessaria suppeditauerit. Et sanè nisi magna parsimonia & industria adhiberetur, quantumuis viuamus in communi, nullò modo summa illa sufficeret, vt quiuus rei œconomica intelligens facile iudicare potest. Nos tamen eo modulo contenti essemus, si ad eum pertingere daretur: verum longè absumus, cum in multis Collegijs vix 100. annuus in singula capita habeamus.

Itaque cum Societas nihil temporale in munere docendi quærat, sed tantum Dei gloriam, & adulescentum, qui filij sunt Dei, salutem; fit, vt hoc munus non perfunctoriè, sed magna sinceritate, & diligentia præstet, & maximè cordi habeat. Inter famulos qui eidem domino seruiunt, nulli bonum domini magis cordi habent, aut fidelius seruiunt, quàm qui non sui commodi causâ, sed solius domini amore, illius duntaxat commodum & honorem spectantes seruiunt.

Tertiò, Quòd plurimis impedimentis, quibus alij detinentur & impediuntur, nostri Professores sint expediti. Non enim sibi victum, vestitum, libros, aliaque necessaria curare debent: sed hæc omnia illis Superiorum vigilantia procurat. Liberi etiam sunt à conuiujs, litibus, curis beneficiorum, & ab alijs occupationibus, quibus animus distrahitur, & plurimum à studijs auocatur, & professio disciplinarum obiter & perfunctoriè sæpenuerò peragitur. Itaque cum nostris his omnibus impedimentis sint soluti; integras ingenij vires ad studia conferunt, & duplo vel triplo plus temporis eis impendere possunt, quàm plerique magistri sæculares. Neque his quidquid detrahunt statæ preces, & quotidianæ rerum diuinarum meditationes: quia his maximè mens humana ad sublimium rerum cognitionem illustratur, & apta redditur. Plerique sanctorum Patrum plus oratione & meditatione, quàm multâ librorum lectione profecerunt; quamuis etiam hæc in re Societas sæcularibus non cedat; sed fortasè non parum etiam superat, quod & alijs iudicandum relinquo, & ex plurimis libris excusis cognosci potest.

3. Liberi
sunt ab im-
pedimentis.

Quartò, quòd multa adminicula habent quibus alij carent. Nam primò, Qui litteras humaniores docturi sunt, plerique per multos menses accuratè ad hoc instruuntur in seminario formandis magistris peculiariter instituto. Secundò, Qui Philosophiam, non solum in Philosophicis probè sunt versati, sed etiam Theologica studia (quibus cognitio Philosophica mirè iuuatur & perficitur) plerumque absoluerunt. Tertiò, Omnes nostri Professores habent suas regulas, quibus tota docendi ratio & modus exercitationum scholasticarum accuratè præscribitur, à quibus non possunt pro arbitrio recedere. Quartò, Habent Superiorum vigilantiam qui omnibus superintendant, & regulas seruari curant; & si quid minus rectè processerit, statim emendant. Quintò, Præfectus studiorum assiduè circumit, & omnia inspicit, vt iuxta regularum præscriptum peragantur, omnesque suo probè fungantur officio. Denique datur opera vt Professores ab omnibus alijs oneribus & curis, quæ munus professionis & instituentiæ iuuentutis impedire aut retardare possent, sint exempti. Omitto crebras Professorum cum Præfecto consultationes de discipulorum tum in mo-
ribus,

4. Habent
adminicu-
la ad docen-
dum aptis-
sima.

ribus, tum in disciplinis profectu, & varias ad hoc excogitatas industrias laudum, præmiorum, monitionum, disputationum, examinum. Omitto crebra cum illis colloquia, quibus studiosi ad studia & pietatem excitantur.

19
Conclusio.

Ex quibus patet, si Professorum Societatis conditionem spectemus, quatuor in illis reperiri, quæ non reperiuntur in alijs. Primò, quòd ex sua vocatione & instituto ad munus docendi etiam perpetuò, si Superiori videtur, sint comparati: Secundò, quòd nulla temporali mercede, sed solo Dei & proximi amore doceant, nihil aliud quàm profectum discipulorum querentes. Tertiò, quòd plurimis impedimentis, quibus seculares distrahantur, sint exempti. Quartò, quòd optimis ad munus docendi præsidijs sint instructi, & optimã in eo directionem habeant. Hæc cum ita sint, mirum non est, si nostræ scholæ floreat, & ad illas magnus fiat vbique concursus, nostrique discipuli breui spatio magnos progressus faciant. Ex quibus estimare quilibet poterit quantum scholæ nostræ Reipubl. & Ecclesiæ contulerint. Nec refert, quòd scholæ secliarium Professorum modò passim meliùs se habeant, quàm olim: id enim æmulatione nostrorum factum, nemo non intelligit. Nihil hac æmulatione inter Professores ad studia excitanda utilius: sine hac statim omnia in pristinum languorem reciderent.

Henricus
IV. ob scholas
reuocauit Societatem
in Galliam.

Hæc cum perpenderet Henricus I V. Galliarum Rex, tanti scholas nostras fecit, vt earum causâ potissimum Societatem in Galliam reuocarit, & in maioribus oppidis Collegia & scholas habere voluerit, vt iuuentus Gallica ab ea institueretur. Cum enim Societas expulsa esset, nullis edictis contineri iuuentus potuit, quin relicta patria scholas Societatis frequentaret; adeò vt Duaci in nostro Collegio supra 500. vel 600. nationis Gallicæ (inter quos plurimi nobiles) aliquot annis numerati fuerint.

20
Responsio
ad argu-
menta
num. 13.
proposita.

Nunc veniamus ad argumenta Aduersariorum. Ad Primum, & Secundum: Respondeo Primò, Si munus docendi esset quedam nundinatio doctrinæ ad quæstum & priuatam utilitatem, vel ad honorem & famam Magistrorum instituta, obiectio illa fortasse aliquem colorem haberet. Verum cum bonum publicum & institutio iuuentutis in litteris ac pietate hic quæratur, si meliùs vel certè commodiùs id præstatur in scholis Societatis, parui videtur faciendum; quòd aliqui Professores seculares pauciores auditores habeant. Id enim paucorum est incommodum, cui, tantum bonum meritò præponderat.

Respondeo Secundò, etiam multi ad scholas Societatis confluant, ceteri tamen Professores tam Louanij, quàm Duaci non destituuntur honesto auditorio, adeò vt modò etiam Louanij ferè tot habeant, quot olim ante annos 40. Neque modica ab his emolumenta percipiunt, vt quæ 400. 500. 600. florenos dicantur excedere: imò quibusdam supra victum & amictum quotannis tantum superest, vt paucorum annorum decursu sumptus Licentiæ & Doctoratus facillè toleret, ad quos supra 1200. vel 1500. florenos opus est. Taceo de didactis, & alijs sumptibus plurimum auctis. Quando Professores sunt diligentes & assidui in professionis munere, & bonam seruant disciplinam, nunquam deest discipulorum copia, vt experientia plurimis iam annis ostendit,

Ad Tertium: Fateor ad honorem Principis & bonum publicum pertinere, vt habeat Professores celebres & eximios, qui nominis sui & doctrinæ ac disciplinæ famam possint vndique iuuentutem allicere. At huic rei impedimento non est Societas, sed maximo adiumento; vt quæ omnia studia excitari, & ad accuratorem disciplinarum scrutationem & tractationem suo exemplo præiuerit. Conferantur antiqua commentaria & exercitia cum nouis, & magna cerneretur discrepantia. Deinde non minus ad honorem Principis & bonum publicum pertinet vt scholæ Societatis floreat, & præclaros Professores habeant: tum, quia Societas ex instituto sui Ordinis ad docendum est mancipata, & Reipublicæ ad hoc se adstringit; eique & Principi in eo inseruit non minus, quàm seculares Magistri, qui pro suo arbitrio id munus capessunt & deponunt: tum, qui docent, & qui docentur in scholis Societatis, non minus sunt subditi Principis, & Reipublicæ Belgicæ ciues, quàm in scholis aliorum Magistrorum: tum, quia institutio in scholis nostris non minus est accurata, imò in religione & moribus si communi hominum iudicio credimus (vt de disciplinis nihil dicam) multò accuratior. Solùm in eo est discrimen, quòd Professores Societatis solo victu & vestitu contenti, solius Dei amore, & desiderio profectus iuuentutis doceant, nec vlla stipendia à Principe, Republica, vel iuuentute expectent. Seculares verò Magistri ampla stipendia, beneficia, ac dignitates sibi propositas habeant. An idcirco minorem fauorem Societatis scholæ merentur, aut minus Principi & Reipubl. curæ esse debet quòd Societas gratis huic muneri vacet, ceteri stipendia, beneficia, & honores expectent? Itaque iniuriam faciunt tam Reipubl. quàm Societati, qui ita de scholis Societatis loquuntur, ac si bono publico non essent instituta, sed ei potius officiant. Quasi bonum publicum in eo situm sit, vt scholæ Magistrorum secularium in Vniuersitatibus magno studiosorum numero abundant. Sane in Gallia regno plusquam 20. locis in scholis Societatis, petente Rege & Prouinciarum Rectoribus, Philosophia traditur, vt non opus sit ciuibus eam ob causam ad Vniuersitates liberos suos cum ingenti sumptu & periculo corruptelæ mittere. Qua commoditate oblatâ tota ferè nobilitas Gallica Philosophiâ suos filios excoli cupit; quod in magnum illius regni cedit ornamentum: sunt enim hac ratione ad omnia Reipubl. munia longè aptiores: Nihil est quod æquè ingenia acuat & aperiat. Nihilominus Vniuersitates fat multos habent auditores: Nam plerique qui Philosophiam extra Vniuersitates audiuerunt, pulchritudine disciplinarum capti conferunt se postea ad Vniuersitates, vt Superioribus disciplinis dent operâ, qui alioqui nunquam ad Vniuersitates fuissent venturi. Hoc tamen vt in Belgio fiat, non ago. Solùm volo ostendere bonum publicum non esse in eo situm vt Vniuersitates maxima multitudine adolescentum in scholis secularium Magistrorum abundant.

Ad Quartum: Fateor quotannis ferè aliquot ex discipulis se nostro Ordini addicere, sed triplores ad alios Ordines transeunt. Neque id in detrimentis Reipubl. sed in benedictionibus deputandum: quia Deus per tales disponit Reipublicæ benefacere. Si enim Reipubl. bonum est habere

28

Gloria
scholarum
Societatis
redunda:
in Princi-
cipem.

In Gallia
florent
Societatis
schola.

22
Non obest
Reipubl.
multa pra-
clara inge-
nia Reli-
gionem
ingredi

habere multos ciues, qui chari sint Principi & familiares, per quos multa impetrari à Principe queant; multò magis bonum est habere multos ciues, qui sint chari Deo summo Principi (à cuius prouidentia tota Reipubl. prosperitas pendet) & multa ab eo in salutè Reipubl. impetrare possint. Nulla re magis Reipubl. firmatur, quàm Religio- ne, & Religiosorum virorum precibus & meritis, vt præter alios, multis locis Iustinianus testatur, & omnes pij Principes semper fenserunt. Parùm Christianum est, damnatum Reipubl. ducere, quòd insignes adolescentes seculo deserto Christi vestigia sequantur, & ad Societatem, vel aliam Religio- nem se conferant. Cùm Mauritius Imperator ad instaurandum exercitum Romanum bellis Perficis valde attritum lege sanxisset, Ne quis ante mili- tiam expletam ad Religionem transiret, S. Gre- gorius se illi opposuit, impiam, Deoque contra- riam legem esse dictitans, vt constat ex Epist. 61. lib. 2. Quanto magis impium, Deoque aduersum sensisset impedire ne adolescentes in illo aratis lubrico & salutis periculis, se Christo addicant? Denique sepius fit vt qui in seculo Reipubl. & Ecclesie fuissent parùm viles; vel etiam noxij morum licentià, vel opum ac honorum studio, in Religione sint vtilissimi. Imò in Societate omne studiu omnique industria in eo versatur, vt quàm plurimum boni in Reipubl. & Ecclesia suis mini- sterijs quisque præstet.

Mauritius Imperator id prohibens repre- henditur.

Doctorum nunc plena omnia.

Quòd ad Parochos attinet, nunquam maior doctorum & præstantium Parochorum in Eccle- sia copia, nunquam magis instructi ad hoc munus accesserunt. Testantur id multi Episcopi, qui discrimen quorundam antiquorum, & nouorum considerant. Olim nihil ferè aut parum de con- scientiæ casibus plerique nouerant. vnde & modò reperiuntur varijs locis, qui neque de censuris, neque de distinctione peccati mortalis, & venialis, neque de contractuum iustitia & limitibus, alijsque ad hoc munus pertinentibus, vel medio- criter sunt instructi. Pari modo Curie plene sunt doctis Aduocatis, & Consiliarijs, & vbiq; ma- gnus doctorum virorum numerus.

Quòd si Societas in varijs disciplinis videatur aliquid amplius præstare quàm multi seculares, huius rei causa non tam est ingenij excellentia, quàm assiduum studium, & vacuitas ab alijs oc- cupationibus & distractionibus, & gratia propriae vocationis: quibus rebus fit vt duplo vel triplo plus temporis ad studia conferre possint, quàm se- culares qui plurimis curis distrahuntur, & Deus conatibus eorum, quos ad hoc munus vocat, pe- culiari gratià aspirat.

23

Ad Quintum: Optandum Principi & Reipubli- cæ moderatoribus bonum publicum quarenti- bus, vt & Clerus & Religiosi Ordines multum auctoritatis apud plebem habeant. Hæc enim au- ctoritatis maximam vim habet ad plebem in Re- ligione & obedientia Principis retinendam: Nusquam maior tranquillitas aut Reipub. prosperi- tas, quàm vbi magna est plebis erga Clerum & Religiosos ordines reuerentia. Quòd ad Societa- tem attinet, mirum est eam posse in suspicionem conspirationis aduersus Principem vocari: cum suæ fidelitatis difficillimis temporibus tam illu- stre documentum dederit. Cùm enim tempore rebellionis & sæculares & Ecclesiastici, & pleri- que ex varijs Ordinibus religiosi, & multi ex Vni-

Societatis in suum Principem constantis fides.

uersitatibus, iuramentum contra Principem sus- ceperent; nemo ex Societate illud vnquam admisit, nisi honorum omnium iacturam, cecctionem in exilium aduersarij minarentur, & magnum vitæ periculum impenderet. Si illis temporibus cum tanta impenderent pericula, & communis error excusationem aliquam perfidiæ poterat prætex- re, & capita Religionis ac Reipub. suo exemplo præferent, Societas in fide sui Principis perstitit, quâ ratione suspecta reddi potest extra pericula, & vbi nulla perfidiæ foret excusatio, sed labe ma- nifesta & æterna? Qui in maximis Fidelis fuit, non dubitandum quin etiam in minimis talis sit futurus.

Denique considerentur illi qui Societati sunt addicti, eamque magni faciunt; & deprehendetur eos maximè & Religioni Catholicæ, & Princi- pis sui obsequio esse addictos: quales si multi fuif- sent primis illis rebellionis temporibus, cum ima- gines disturbarentur; credibile est totum illud malum, facile fuisse impediendum: quo impedi- tò nunquam calamitates illæ, quæ inde secuta, Patriæ obuissent.

Hæc sicut à me sincerè ex conscientiæ iudicio coram Deo, & in timore Domini scripta sunt, vt obrectatoribus scholarum nostrarum responderi queat; ita velim à lectore accipi: quem rogo vt singula diligenter examinet, & tanquam coram diuino tribunali constitutus sincerè iudicet, & sententiam ferat.

SOCIETAS OFFICIO- RVM ROMÆ.

CASVS VNICVS.

Vtrum Societas officiorum, prout Roma iniri solet, sit licita?

Notandum est, Romæ esse varia officia quæ varijs modis vendi solent, vt officium No- tarij, Cursoris, & similia.

Triplex iniri hæc Societas.

1. Modus.

Primus modus est, Petrus volens emere offi- cium Notarij, quod vendi solet ad vitam 20. mil- libus aureorum, cum solùm 10. millia habeat, ad- sciscit Paulum in societatem emptionis, sumens ab eo alia 10. millia: & sic comparat illud offi- cium in commodum vtriusque pro ratâ pecuniæ collatâ. Ipse tamen manet primarius possessor & administrator officij, solumque soluit alteri 12. in centum quotannis. Hæc enim pensio ordinariè est constituta in huiusmodi officiorum societate. Hac tamen lege, vt si Paulus moriatur ante Petrum, Petrus non teneatur illi aut hæredibus restituere pretium 10. millium, quod Paulus contulerat; sed Paulus illud amittat. Si verò Petrus ante mo- riatur, teneatur Paulo pretium restituere. Atque hic est primus modus inuendæ istius societatis.

2. Modus.

Secundus modus est, cum Petrus totum offi- cium sibi comparauit suis pecunijs, & postea ad- mittit Paulum in societatem eiusdem officij; ac- cepto ab illo pretio dimidiato, vel tertia aut quarta totius pretij parte.

3. Modus.

Tertius modus est, cum miscetur tertia perfo- ra, v. g. Iacobus; quod sic vsurpatur. Iacobus egens summa 5000. aureorum, adit aliquem, v. g. Andream, vt hanc pecuniam mediante societatis contractu sibi comparet; quod vt fiat, vterque

adit

adiit Petrum : & Andreas numerat Petro quinque millia aureorum vt in societate illius officij prorata illius summe admittatur. Petrus accepta illa pecunia Andream admittit : sed mox eandem summam numerat Iacobo qui pecunia egebat, transferens simul in illum onus soluendi quotannis 12. in centum ipsi Andream, ita vt Andreas nihil amplius à Petro possit exigere, sed totum ius quod habebat in Petrum, Andreas nunc habeat in Iacobum, vtroque ita volente & liberè consentiente, ita tamen vt si contingat Petrum officialem mori ante Andream, Iacobus teneatur Andream restituere sortem totam, nempe 5000. aureorum. si verò contingat Andream mori ante Petrum, Iacobus lucretur sortem, nec aliquid teneatur restituere hæredibus Andream. Denique licitum est vtrique parti singulis semestribus contractum dissolvere repetita sorte vel sponte refusa. His positus in specie facti

In primo est vera societas.

Dico Primò, Si hic contractus ineatur primo modo dum comparatur officium, est verus contractus societatis, ac proinde ex natura sua licitus, habens coniunctum pactum euentus fortuiti, qui etiam per se licitus est. Quòd sit contractus societatis, patet; quia sunt socij in emptione officij & in eius dominio; & consequenter in lucro. In omni enim societate requiritur vt res, ex qua lucrum capitur, sit communis, & vterque efficiatur illius dominus, non totalis, sed partialis: ita vt omnes socij simul habeant integrum dominium, singuli verò seorsim dominium partiale. Quòd si vnus tantum esset dominus plenum habens dominium, non esset contractus societatis, sed censualis; nam alij non haberent nisi ius fructuum prorata pecunie collata.

In 2. nec est contractus societatis, nec census realis.

Dico Secundò, Si officium esset grauatum supra eius estimationem, veletiam ad æqualitatem estimationis, & postea aliquis admitteretur, non esset verè contractus societatis, nec etiam census realis.

Prior Pars, Quòd non esset contractus societatis, patet; quia non potest quis fieri socius in re aliqua, nisi possit in illum transferri dominium partiale, & ius ad partem lucris illi dominio respondentem, atqui hoc fieri non potest quando ab alijs res tota est plenè possessa, ipsisque omnis fructus & lucrum debetur. nisi forte aliquis illorum designat esse socius, & ius suum in illum qui accedit, transferat. Vnde si administrator officij seu Officialis partem sibi competentem alteri vendat, poterit alter fieri socius, quia intrabit in partem dominij & iuris ad lucrum quod restabat Officiali.

Quòd etiam non posset esse contractus census realis quo emitur ius ad fructus alicuius rei, manifestum est; quia omnes fructus alij debiti sunt, nemo autem potest vendere aut emere ius quod aliorum est.

Potest tamen censeri interuenire implicite census realis personalis.

Dico Tertiò, Posset tamen in hoc casu ex quadam æquitate censeri emptio census personalis cum pacto euentus fortuiti: & hac ratione posset iste contractus vindicari ab iniustitia. Ratio est, quia est regula à multis Doctoribus recepta in foro conscientie, quòd quando partes intendunt iuste contrahere, & bona fide procedunt, etiam si forte contractus non sit iustus spectato titulo quem concipiunt expressè, tamen si alius titulus subfit iuxta quem contractus iuste fieri possit, contractum ad formam illius tituli reducendum: quia

cum iuste intendant contrahere, non censentur velle inhære illi priori titulo quem concipiunt, sed alteri qui eos latebat; hunc enim implicite intendunt. Hoc modo Gregorius à Valètia & multi viri docti. hic Roma circa annum Domini 1580. congregati excusabant contractum depositi pecunie pupillaris, qui in plurimis regionibus adhuc est in vsu, cum tamen videatur manifesta vsura. Non facile enim damnum quod vulgo receptum, nec à nobis emendari potest: sed potius vt consulatur conscientijs, videndum an nulla ratione excusari possit. Quare cum in hoc casu, per contractum census personalis, adiecto pacto euentus fortuiti predicto, possit hic contractus cum tali lucro iustificari, non putarem facile damnum à Confessarijs. Est enim expressè non intendant hunc contractum & sub proprijs terminis, tamen intendunt implicite; quia intendunt obligare personam Officialis, siue officium sit grauatum supra suam estimationem, siue non. hoc autem proprie ad censum personale pertinet.

() Hinc collige huc responsum ab Auctore Romæ datum.*

Confirmatur, Quia nisi id intenderent, & ita suum contractum vellent intelligi, exponerent se periculo perdendi totius lucris, quando officium esset grauatum: quia nullo titulo possent aliquid exigere; & ita nunquam contraherent nisi diligenter antè discussa constaret illis officium non esse grauatum. Quare cum non sit moris vt de ea re multum sint solliciti, signum est eos intendere immediatè obligare personam Officialis quod ad censum personale pertinet.

Mediante censu personali potest perueniri ad tantum lucrum.

Quòd autem mediante censu personali possit ad tantum lucrum perueniri, sic ostendi potest. Censum personale ordinariè reddit 6. vel 7. vel etiam 8. in centum quotannis pro locorum varietate, & semper manet fors salua donec refundatur: vt ergo fors possit extinguì mortuo emptore ante venditorem, potest emptor exigere 5. vel 6. in centum quotannis, nam in censu vitali vbi fors morte certæ personæ extinguitur, facile 16. in centum accipi solent: ergo.

Obiectio.

Dices, Est contra naturam reditus personalis vt fors ab emptore possit repeti, vt omnes fatentur: videtur enim manifesta vsura.

Solutio.

Respondeo, Esse contra naturam census personalis, si absolute & purè hic contractus sit in ius, non autem si adiciatur pactum quo hoc onus compensetur; vel si ea in pensione adhibeatur moderatio per quam onus hoc compensari queat; vt si cum possis exigere pensionem 13. vel 14. in centum, exigas solum 12. nam detractio illa duorum in centum videtur esse in compensationem illius oneris. & credibile est eos qui taxam illam 12. in centum statuerunt, omnibus vtriusque oneribus & iuribus consideratis & pensatis, ita statuisse. ita enim estimatio rerum & iurium taxari debet. Securius tamen esset si emptor non posset pecuniam suam repetere: tunc enim accederet magis ad naturam census: quia reuera non est contractus societatis quando res est grauata supra estimationem.

Dico Quartò, Quòd ad tertium modum attinet, si contractus primus, nempe qui cum Officiali in ius, est licitus, etiam licitus est secundus, quo Officialis consentientibus partibus transfert totum onus in tertium. quia hoc nihil est aliud quam cessione contractus in alium; qui contractus cessionis fieri licite potest etiam si primus contractus ex parte

3. contractus videtur licitus.

parte

parte eius qui cum Officiali contraxit societatem veram vel simulatam, fuisset iniustus, vel etiã vsurarius. Nam qui acceptã pecuniã ab vsurario grauatursurã, potest statim cedere contractu in aliũ id petentem, numerata illi forte accepta, & translato in illum onere soluendi vsurario: nihil enim ipse lucratur, nec alteri mutuat sub vsura, sicut fecit vsurarius cum ipso, sed cedit contractu cum vsurario inito, petente id altero.

Si tamẽ census personales istis locis nullo modo sunt permisi, res est difficilior, nec volo tales contractus excusare. Alterum de hac materia Casum vide infra V. Vsurã Caf. vlt.

SPONSALIA. CASVS I.

Sponsalia cum multis fictè inita.

Titius adolescens Antuerpiensis multas virgines paris conditionis sub ficta promissione coniugij corrupit in Anglia & alibi.

QVÆRITVR, Quam tenetur ducere: & ad quid tenetur?

Ducat primam, si illa fraudem non aduertit.

Dico Primò, Tenetur ducere primam, si ipsa fraudem aduertere nullo modo poterat. Secundam vel tertiam ducere non tenetur: quia etiam si seria promissio fuisset & iuramento confirmata, irrita esset, cum iam sit primæ obstrictus: nõ enim poterat cum iniuria primæ validè promittere secundam vel tertiam. Vnde sequitur, etiam si contingat illum cum prima transigere, tamen non teneri ad secundam. Sicut qui seriò cum duabus contractit sponsalia, non obligatur secundo contractu, etiam si transigat cum prima: eò quòd contractus secundus ab initio irritus fuit, qui non conualescit per illam transactionem.

Secundam, si prima aduertit, & sic deinceps.

Dico Secundò, Si prima potuit facilè aduertere subesse fraudem, tenetur ducere secundam; nisi & hæc id ipsum aduertere potuerit: tunc enim tenetur ducere tertiam, & sic deinceps. Ratio est, quia ex contractu & commercio cum prima, non fuit orta obligatio, ac proinde mansit liber, & sic potuit se obstringere secundæ &c.

Ductã primã, ceteris tenetur de damno, si secutum.

Dico Tertio, Eo casu quo tenetur ducere primam, tenetur ceteris de damno, si quod secutum fuerit occasione huius factæ promissionis. Hoc enim locum habet in omni contractu. Nam qui mala fide init aliquem contractum cum aliquo, si non impleat, tenetur de damno inde secuto. Si nullum damnum secutum est, vt si æquè benè nupsit, si Religionem ingressa est, si cælibem vitam ducere statuit, denique si res secreta mansit, non videtur ad ullam restitutionem teneri, sed solum ad aliquam satisfactionem pro iniuria. Non videtur autem damnum secutum, nisi quando à ditioribus & honestioribus ob hanc causam rejicitur, qui eam aliàs libenter accepissent. Vel nisi graua incommoda ob hanc causam à marito, qui postea id deprehendit, perferre cogatur. Vel denique nisi proles secuta sit: hanc enim pater alere tenetur vnã cum matre. Præsumeretur autem esse proles ipsius, si tempus respondeat, nisi constet eam alijs corpus suum vulgasse: Præsumeretur enim non violasse fidem datam, nisi de contrario constet, &c.

Si secuta proles.

In dubio damni.

Dico Quarto, In dubio tenetur inquirere eo modo quo potest & debet fieri in re magni momenti, an damnum secutum sit: & si quid deprehensum sit, compensare pro sua facultate. Quia

omne damnum iniuste datum, compensandum quantum fieri potest.

Dico Quintò, Sunt aliquot causæ quæ possent prædictum adolescentem excusare ne vel tenetur ducere, vel damnum compensare. Primò, Si illæ virgines facilè aduertere vel suspicari poterunt fraudem subesse. Tunc enim neque tenetur ducere, neque damnum compensare: quia eas non decepit, neque causa damni fuit per iniuriam, sed ipsis consentientibus.

Quibus casibus non tenetur ducere, vel damnum compensare.

1. Si poterant suscipi cari fraudè. 2. Si hæretica.

Secundò, Si sit hæretica: tunc enim non tenetur ducere, nisi velit fieri Catholica: Nec etiam tenetur damnum compensare: Quia hoc ipso quo excusatur ab illa ducenda ex culpa illius, excusatur etiam à damno farciendo.

3. Si postea fornicata.

Tertiò, Si fornicata sit postea: imò si antè fornicata est, & ipse id ignorauit quando cum illa contractit. Quia hoc satis est ad seria sponsalia, etiam iurata dirimenda: & ipsa cogitare debebat quod ei fidè nõ esset seruaturus si hoc rescisceret. Vnde nec tenetur damnum compensare.

4. Si eorum parentes nolint.

Quartò, Si parens puellæ nolit eam dare. Quo casu etiam non tenetur compensare.

5. Si ipse sit pauper.

Quintò, Si facultates non suppetunt ad damnum compensandum, & singulis solum modicum quid restituere possit, quod non sit tanti momenti vt prudentis arbitrio ad illas regiones sit mittendum, aut vltior inquisitio facienda: tunc enim non tenetur de damno ob impossibilitatem.

6. Si periculum sit animæ.

Sextò, Perpendendum etiam an non cum manifesto periculo animæ esset rediturus, v.g. in Angliam, vt primam, vel secundam ducat: tunc enim non tenetur eò ire.

7. Si nolit ad eum vocata venire.

Septimò, Si illa vocata nollet venire Antuerpiam; quia tenetur sequi sponsum, nisi contrarium in contractu expressum sit, præfertim cum sciret illum esse externum. Itaque si vocata nolit venire, manet liber ab ea ducenda, & etiam à damni compensatione. Possit hac ratione etiam vt cum alijs quas non tenetur ducere, vel cum parentibus earum. Videndum tamen an non promiserit se rediturum, & eam ibi ducturum &c.

Ex his colligi potest quid fieri possit in præsentia casu. Mirandum non est si in praxi hic casus sit difficilis, nec facile tales adolescentes extricari possint: quia damna multiplicia sunt, & fraudes obligationesque variaz.

CASVS II.

Quidam adolescens nobilis 17. vel 18. annorum sub Curatoribus constitutus, cum ageret Parisijs, incidit in quandam mulierculam, nisi teque ita suis blanditijs & amoribus illum sibi obstrinxit, vt schedulam ab eo extorsit, in qua scripsit se ab ea mutuo accepisse mille quingentos aureos gallicos, illi restituendos, nisi eam in uxorem duceret.

Promissio dandè tibi pecuniã, nisi te ducam.

QVÆRITVR, Vtrum ratione illius schedula aliquid in conscientia ei debeatur, aut in foro externo aliquid ab eo possit exigi?

Respondeo Primò, Certum est Nobilem illum Adolescentem in foro conscientiaz ad nihil teneri: quia fundamentum totum falsum est. Dicitur enim debere ex mutuo, cum non solum nullam ab ea pecuniã mutuam accepit, sed multas & profundas largitiones in eam fecerit.

In foro conscientiaz ad nihil tenetur.

Deinde

Deinde adolescens nullum habuit animum tam immanem summam soluendi, aut se obstringendi: sed fecit hanc syngrapham ad eius petitionem, vt posset eius amoribus frui; vt ipse testatur.

Nec in foro externo,

Respondeo Secundò, Sed nec in foro externo aliquid exigi potest. Primò, Quia facile probari potest fundamentum totum falsum esse. Vnde enim illa meretricula tantum pecuniæ, nimirum 1500. aureos Gallicos (tantum enim dicitur mutuasce adolescenti) habuisset? & cur illam pecuniam non voluisset sibi restitui, nisi in euentu quo non procederet matrimonium? Denique, cum ipsa illi litem intenterit ad obtinendum eius matrimonium, cur nullam huius mutui mentionem fecit, sed solum petijt à Iudice, vt quo casu illam non esset ducturus, condemnetur in poenâ 1500. aureorum sibi ab illo promissorum? vbi manifestè detegitur mutui figmentum. Nihil quoque obtinuit, præterquam quoddam duabus sententijs conformibus ab eius matrimonio repulsa fuerit.

Secundò, Quia minor non potest se validè obligare absque Curatoris auctoritate, vt ex multis Iuribus constat l. 3. & 5. Cod. *De in integrum Restitut. min.* Et si in aliquo contractu læsus sit, potest vti beneficio restitutionis in integrum. Et si non soluerit, potest petentem submouere exceptione minoris ætatis. Atqui in ista promissione enormis læsio continetur.

Tertiò, Etiam si verum esset illum accepisse pecuniam istam mutuam (quod tamen constat esse falsum) tamen non teneretur soluere beneficio legis: quia nihil ex ea pecunia in rem eius conuersum, sed tota in luxum & lasciuiam effusa fuit. l. 2. C. *De filio familias.*

CASVS III.

Dilatio promissi matrimonij in trienniũ inuita parte.

Laurentius dedit Mariæ spem matrimonij, & eo modo impetrauit vsuram corporis. Deinde cum iuramento id ei promissit absoluit. Postea tamen coram patre & matre Mariæ dixit se contentum illam ducere, si posset id fieri cum bona parentum suorum gratia. Denique solemniter cum illa contraxit sponsalia coram Parocho.

QVÆRITVR Primò, An Laurentius teneatur, & possit cogi Mariam ducere?

QVÆRITVR Secundò, An possit Laurentius vt suis parentibus satisfaciatur, differre matrimonium ad triennium? Et quo pacto impediri possit ne aliam ducat?

6 Tenetur eam ducere.

AD Primum: Respondeo, Non videtur dubitandum quin Laurentius teneatur, & possit cogi Mariam ducere. Primò, Quia hoc ipso, quo ab illa impetrauit vsuram corporis, potest & debet cogi per Iudicem (querelâ ad eum delatâ) vt eam ducat, etiam si nulla promissio interuenisset: vt patet ex cap. 1. *de Adulterijs*, & communiter tradunt Doctores. Vide Couar. de Sponsal. parte 2. cap. 8. §. 8. Secundò, Non solum potest cogi per Iudicem vt eam ducat, sed etiam tenetur in foro conscientie ante omnem sententiam. Cum enim dedit spem matrimonij, & eo modo impetrauit vsurâ corporis, censetur aliquo modo tacitè promississe. Spes enim non datur alteri nisi aliquo modo promittendo, saltem sub aliqua eoditione: ac proinde, nisi res sint valdè mutata, tenetur im-

plere. Deinde, quia postea cum iuramento promissit filiæ absolute, quod illam esset ducturus, à quo iuramento nemo potest illi liberare absque consensu filie, sed sub peccato mortali tenetur implere. Nec refert quod postea coram patre & matre filiæ dixerit se contentum illâ ducere, si posset id fieri cum bona parentum suorum gratia, vbi videtur apponere conditionem: quia hanc conditionem ante non apposuit, quando promissit filiæ absolute cum iureiurando. Præterea tenetur, quia cõtraxit solemniter coram Parocho sponsalia cum illa; & promissit illi nuptias absolute, nulla addita conditione de consensu parentum suorum. Nec refert quod postea talem conditionem addiderit: quia contractu absolute semel inito, fas non est interuallo aliquam conditionem vel restrictionem apponere inuita parte, vt docet Couar. lib. 1. *Variar. cap. 14.* Idem habetur expressè L. *Perfecta, C. De donat. quæ sub modo.*

Ex quibus perspicuum est Laurentiũ teneri in conscientia Mariam ducere, nec posse ab hoc vinculo à quoquam illâ inuitâ absolui.

Ad Secundum: Respondeo Primò, Quod ad tempus attinet: non tenetur puella expectare trienniũ; nec parentes Laurentij possunt talem terminũ statuere: sed tenetur Laurentius primo quoque tempore iuxta mentem, quam in sua promissione habuit, exequi quod promissit: & ad hoc cogi per Iudicem potest. Omnes enim huiusmodi promissiones nisi aliud expressè caueatur, ita intelligendæ sunt, vt censeantur se obligasse ad exequendum primo quoque tempore. Quo modo etiam vota sunt interpretanda.

Nec obstat quod ipse alteri magistro operâ ad dixerit: quia illa obligatio est posterior: vnde nihil circa priorem obligationem mutare potuit. Deinde, quia etiã iunctus matrimonio illi obligationi posteriori poterit satisfacere, vt narratur.

Neque refert quod Laurentius dicat se non habuisse intentionem se obligandi: quia id solum videtur dicere de promissione illa solemniter factâ coram Parocho: vnde saltè in priori promissione factâ puellæ sub iureiurando, animum se obligandi habuit. Deinde, etiam si diceret se nunquam habuisse animum sese obligandi, id minimè curandum: quia in foro externo præsumendum contrariũ, & omnes huiusmodi fraudes sunt reiiciendæ: alioqui nihil esset tutum in contractibus humanis, nec societas humana posset subsistere. Itaque nulla ratio habenda talis excusationis. Imò qui talia de se dicit, grauiter suum honorem lædit; quia se impostorem fatetur.

Respondeo Secundò, Modus quo Laurentius impediatur ne aliam vxorẽ, pendente controversia ducat, Mariâ, cui honorem abstulit, infami relicta, est varius: Primò, Vt moneatur Episcopus vt sub poena excommunicationis id ei prohibeat, & præcipiat vt expectet finem controversiæ. Secundò, Vt moneantur Parochi ne illum coniungant. Tertiò, Vt rogetur Episcopus ne dispenset in proclamationibus.

Quod ad parentes Laurentij attinet, ipsi non possunt impedire hoc matrimonium, sed tenentur illud permittere. Quia non possunt impedire ne filius exequatur id, ad quod tenetur.

Possent hæc omnia & singula multis Iuribus & rationibus confirmari: sed in re clara non est opus immorari.

7 Puella non tenetur expectare triennium.

8 M casu cogendi Laurentium.

9 Parentes non possunt obistere huic matrimonio.

Matri-
monium
de præ-
fenti nul-
lum non
inducit
sponsalia.

CASVS Puella quædam Nobilis sed eorum gangrum, cui-
dam Nobili Adolescentis, sed inferioris for-
tuna; multis verborum lenocinijs, induc-
tam hac forma verborum se obstringit.

Ego N. promitto Domino M. fidem &
fidelitatem, iurans per sanctam Trini-
tatem, per sancta Evangelia, & per Iho-
cum que spero in caelis, me nunquam
alteri nupturam: eumque accipi, &
ex nunc accipio in maritum, etiam si
nostrum matrimonium intra multos
annos non sequatur: si forte eius pa-
rentes vel mei, id vellent impedire.
Supra hoc do hanc meam signaturam
prædicto Nobili. Postmodum vehementer
penituit hanc puellam facti, & parentes ad-
modum repugnanti.

QVÆRITVR, An ex hoc contractu maneat ob-
stricta?

9
Non est hic
Matrimo-
nium.

VT respondeam: Suppono tanquam certum,
hunc contractum non efficere matrimonium:
quia initus est, vt suppono; absque præsentia Pa-
rochi & testium, eo loco, vbi Concilium Triden-
tinum de clandestinis matrimonijs, quod habetur
sess. 24. cap. 1. est promulgatum.

Dubitatur
an sit
sponsalia.

Sed difficultas est, Vtrum non habeat saltem
vim sponsalium. Videtur enim habere: Primò,
quia videtur esse promissio de futuro, quatenus
iurat se nunquam alteri nupturam: insinuat igitur &
tacite promittit se nupturam illi: atqui talis pro-
missio efficit sponsalia, si sit reciproca.

Secundò, Quia confert ipsum matrimonium
in tempus futurum, dum ait: Etiam si nostrum ma-
trimonium intra multos annos non sequatur, si forte &c:
ergo intendit contrahere sponsalia.

Tertiò, Quia matrimonium impuberum con-
tractum per verba de præsentia, etiam si non habeat
vim matrimonij, tamen habet vim sponsalium:
vt patet Cap. vnicò, De desponsatione Impube-
rum in 6. quia censentur velle contrahere quan-
tum possunt: ergo similiter hic.

Quartò, Quia omnis promissio, etsi per se in-
valida, si tamen accedat ius iurandum, & res sit
talis quæ sine salutis dispendio fieri possit, ser-
uanda est: vt expresse habetur Capit. Quamuis pa-
dum, de Pactis, in 6. hic autem talis est promis-
sio: ergo.

Quintò, Quia partes videntur omni modo vo-
luisse contrahere, vnde quædam verba sonant cõ-
tractum de præsentia, quædam de futuro; vt si non
valeret vno modo, valeret altero.

10
Probabile
est non esse
sponsalia.

Hæ rationes non parum adferunt difficultatis.
Vnde pro maiori certitudine putarem inquiren-
dam puellæ mentem: an re vera intenderit om-
nibus modis se obstringere; an verò solùm cogi-
tauerit de matrimonio, & cur illa alia verba ad-
diderit. Si tamen de mente eius constare non pos-
sit, & tota res ex istis verbis definienda sit, adhuc
satis probabile videtur non esse sponsalia.

Primò, Quia per illa verba: Ego promitto do-
mino N. fidem & fidelitatem, iurans &c: (quæ maxi-
mè videntur fauere sponsalibus) videtur tantum

intendisse matrimonium de præsentia: quia alio-
quin illa quæ subiiciuntur; Eumque accipi, & ex
nunc accipio in maritum, non possent habere vllum
sensum: nõ enim possunt aliter accipi, quàm quòd
verbis præcedentibus intenderit contrahere ma-
trimonium. Itaque illa promissio intelligenda est
de fide, & fidelitate maritali. Adhuc autem iura-
mentum non habendi alteri, ne sponsus metueret
illam recessuram à contractu clandestino, qui te-
stibus probari non poterat.

Secundò, Quia illa verba, Eum accipi, & ex
nunc accipio in maritum, aptissime significant con-
tractum de præsentia, non sponsalia. Nec obstant
illa quæ subiiciuntur, etiam si nostrum matrimonium
intra multos annos non sequatur: quia illa intelligenda
sunt de contractu publico & solenni, qui etiam si
matrimonium occultè antea contractum sit, fieri
consuevit.

Tertiò, Quia quidam DD. docent matrimonium
clandestinum ex dispositione Concilij Tridentini
ita esse nullum, vt etiam si contrahentes intendant
se obligare eo modo quo possunt, tamen non ha-
beat vim sponsalium: eò quòd contractus exte-
rior sit nullus, & interna intentio sine actu exte-
rio valido, non sufficiat ad inducendam obliga-
tionem: ita noster Thomas Sanchez vir doctissi-
mus lib. 1. de Matrimonio disp. 20. nu. 6. Puto ta-
men hanc sententiam non esse veram: & quamuis
vera esset, non satis benè posse aptari nostro casui:
quia non desunt verba quæ possint significare pro-
missionem de futuro: non tamen nego esse proba-
bilem, etiam in nostro casu.

Quibus omnibus consideratis, probabile iudi-
co non esse obligationem sponsalium, aut vllam
aliam, ac proinde puellam illam liberam esse. Val-
dè tamen probarem vt agatur cum adolescente, vt
vicissim se liberent, & à iuramento absoluant.

Addo, Etiam si teneremus contractum illum
habere vim sponsalium; si tamen parentes puellæ
nullo modo vellent consentire ob imparitatem,
& putarentur graui incommoda secutura ex ma-
trimonio sic inuitis parentibus inito, posse peti
dispensationem à Summo Pontifice, inuito iu-
uene. Quia quando causa legitima subest, potest
Pontifex absolvere à iuramento in præiudicium
tertij; vt docet Paludanus in 4. dist. 27. quæst. 1.
art. 2. conclus. 3. & alij Doctores, præsertim cum
id præstitum sit à puella, iuvene, & multis blan-
ditijs illecta: Imò probabile est tali casu dum
graui incommoda timentur, vt odia, rixæ, ini-
micitæ inter consanguineos sponforum, vel odia
parentum in liberos, non opus esse dispensatione:
tum, quia tacite huiusmodi euentus censentur
excepti: tum, quia iustitia non potest obstringere
ad id, quod sine peccato fieri nequit; quale est,
contrahere matrimonium cum scandalo proxi-
morum, & parentum graui & iusta indignatione.
Ita tenet Nauarrus cap. 16. num. 18. Lopez 1. par-
te cap. 76. Sanchez lib. 1. disp. 14. vbi etiam alios
pro hac sententia citat. Nec obstat iuramentum:
quia de actu illicito non obligat, quamuis id fiat
cum præiudicio tertij.

Ad Primam rationem: Patet responsio ex di-
ctis. Illud enim iuramentum factum videtur ex
suppositione matrimonij, ad reddendum alterum
securum. Vnde cum suppositio fuerit falsa, iura-
mentum concidit: quia actus non operantur vl-
tra intentionem agentium.

Probabile
est clande-
stinu ma-
trimonium
non habere
vim spon-
salium.

11
Sua detur
vt vicissim
se liberent
promisso.

12
Posses peti
à Pontifice
dispensatio-
nem multa par-
tia

13
Probabile
tamen est
non esse
opus dispensa-
tione.

14
Soluuntur
argumenta
contra
sententiam
nostram.

Ad Secundam: Puella hæc non confert in futurum, nisi contractum solemnem; sicut olim interdum faciebant qui clandestinè contrahabant de presenti.

Cur matrimonium impuberu potius habeat vim sponsalium, quam matrimonium clandestinum.

Ad Tertiam: Neganda est consequentia: est enim dispar ratio. Contractus enim Impuberum per verba de presenti, habent vim sponsalium; quia sponsalia censentur contineri in matrimonio; sicut votum simplex in professione, nisi ius impediat. Hæc autem non impedit, sed approbat, & sic illorum contractum interpretatur; vt patet Cap. vnico, de Desponsatione Impuberum in 6. Secus verò est in contractu matrimonij clandestini: nam ius huic contractui resistit, cum penitus irritum reddens, tanquam noxium bono communi. Concilium enim Tridentinum sess. 24. cap. 1. De reform. matrim. non solum huiusmodi contractum prohibet, sed etiam contrahentes ad se contrahendum inhabiles reddit: si sunt inhabiles, ergo nullus omnino sequitur effectus, nulla obligatio. Præterea, etiam ipsum contractum irritum, & nullum dæcernit: at non esset contractus irritus, si haberet vim sponsalium: sicut contractus impuberum de presenti non est irritus, etsi matrimonium non efficiat. Hanc sententiam tenent multi Auctores qui post Concilium Tridentinum scripserunt, vt Nauarrus, Ledesma, Lopez, & alij, quos citat Thomas Sanchez lib. 1. disp. 20.

Ad Quartam, Iuramentum confirmat quidem promissionem de futuro; sed hæc non est promissio de futuro, sed de presenti; cui ius omnino resistit & irritum reddit, nullam ex eo volens oriri obligationem. Sic qui contraxit matrimonium iniusto metu compulsus, etiam si millies iuret se contrahere & accipere hanc in coniugem, nihil facit.

Ad Quintam. Patet ex dictis.

CASVS V.

Promissio matrimonij sub conditione copulæ.

Adolescens Belga Nobilis obtinuit copulam carnalem Puella imparis conditionis Parisijs, sub promissione matrimonij.

QVAERITVR, An illo actu censendus sit consummasse matrimonium?

13 Censetur hæc promissio fuisse facta & imminuta.

Adolescens ille duobus modis se tueri potest, quod illo actu matrimonium non consummarit. Primò, Quia non præsumitur ex animo, sed fictè & simulatè promississe matrimonium, ad obtinendam solum vlturam corporis. Quod præsumi potest, tum ex imparitate conditionis, tum quia clanculum absque consueta solemnitate inter amores hæc promissio facta. Vnde non est præsumendum quod eam cognoscendo voluerit consummare matrimonium, ne videlicet fornicando peccaret. Sic passim Doctores ante Concilium Tridentinum cum valerent matrimonia clandestina, & sponsalia vera transibant in matrimonium per copulam carnalem, docent ex imparitate conditionis, cum promittitur matrimonium sub conditione copulæ, præsumi verum animum contrahendi defuisse, & ita promissionem non transire in matrimonium per copulam: imò nec talem cogi posse vt puellam ducat. Quæ doctrina communiter recepta hæc omnino locum habere videtur.

Secundò, Se tueri potest, quia matrimonia clandestina saltem ab anno 1602. Parisijs habita fuerunt irrita, vt in adiunctis narratur ex responsio primarij Doctores Domini De Val. Si habita fuerint irrita, re vera sunt irrita. Nam ideo habita sunt irrita, quia ab eo tempore receptum fuit decretum Concilij: tunc enim in omnibus parochijs decretum illud fuit promulgatum, vt hic narratur: & ab eo tempore matrimonia clandestina fuerunt irrita iudicata. Nec obstat quod alia quædam auctoritate regia fuerint addita, v. g. de consensu parentum habendo, &c. quia Vtile per inutile non debet vitari: sunt enim hæc plane diuersa leges, quarum altera non pendet ab altera.

14 Clandestina habita fuerunt irrita, vt in adiunctis narratur ex responsio primarij Doctores Domini De Val.

Dices, Illam promulgationem non factam fuisse auctoritate Ordinarij, sed regia, quæ in re spiritali non potest vim legi dare.

15 Quomodo possit laicus promulgare leges Ecclesie.

Respondeo Primò, Regem non promulgasse illud decretum tanquam suam ordinationem, sed tanquam ordinationem Concilij, quam & ipse sua auctoritate præcipiat seruari. Vnde id fecit tanquam instrumentum Ecclesie, & cum expresso vel tacito Ordinarij consensu. Et quamuis potestas laica non possit suo præcepto in materia spiritali imponere obligationem subditis, potest tamen cum consensu expresso vel tacito Ecclesie statuere pœnas transgressoribus legum Ecclesie: & ad hoc valet promulgatio auctoritate laica facta.

Respondeo Secundò, Etiam si promulgatio illius decreti non pertinere ad Regem, nec eam consensu Ecclesie percipere, sufficit tamen illud decretum communiter esse receptum in singulis parochijs: receptio enim supplet vicem promulgationis, Non enim requirit Concilium promulgationem in singulis parochijs tanquam essentialiter necessariam ad obligationem, sed vt decretum ad omnium notitiam possit deuenire, nec quenkum possit latere, vt expressè cap. illo primo, sessione 24. dicitur. Et quamuis statur vt huiusmodi decretum in vnaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, à die prime publicationis in eadem parochia factæ numerandos; non tamen ideo negat absque tali publicatione per receptionem & vsum vim habere posse. Cur enim vellet excludere modum illum inducendæ obligationis communem omnibus legibus? Sic leges Imperatorie etiam si requirant promulgationem in prouincia, tamen si contingat illas recipi in prouincia ante illam promulgationem, haud dubiè obligabunt. Vnde si post illam promulgationem in S. Germani, de qua D. Bouchier, receptum fuisse hoc decretum in omnibus parochijs tanquam promulgatum in singulis, verè ex eo tempore vim habuisset. Verum non fuisse receptum indicat D. De Val, qui dicit Sorbonam iudicasse matrimonia clandestina valida vsque ad annum 1602.

Promulgatio non requiritur, quando aliunde lex facta innotebit.

CASVS VI.

An Virgo emissione voti simplicis Castitatis, possit se soluere obligatione sponsalium simplicium de futuro?

16 Votum Castitatis dirimit sponsalia.

Et si Dominatio Tua facile possit ex Auctoribus qui circumferuntur, dubitationem propositam soluere: tamen quia placuit ad me mittere, respondebo breuiter.

Sentio

Sentio itaque Virginem illam posse se soluere obligatione sponsalium simplicium de futuro, per votum simplex castitatis. Ita enim sentiunt magni Auctores: Angel. V. Sponsal. n. 40. *Sextus decimus*, inquit, (scilicet casus quo solvuntur sponsalia) propter votum castitatis postea factum: vt in Cap. Veniens, Qui Cler. vel vouentes, secundum vnum intellectum. citat pro eadem sententiâ Directorium, & Ioannem And. in Cap. De illis, de Sponsalibus. Eandem sententiam vt probabilem tenet Richardus in 4. dist. 27. In tertio principali. qu. 4. §. Decimus. Dominicus Soto in 4. dist. 27. quest. 2. art. 5. sic ait: Vtrum per votum castitatis dirimantur sponsalia, disputari solet: attamen in dubium vocari non debet quò minus tale votum sit licitum, atque adeò sponsalia dirimens, cum sit melioris frugis, que exceptio semper in sponsalibus implicatur. vide sequentia. Omitto Recentiores, qui passim hanc sententiâ sequuntur. Eadem sententia colligitur ex D. Thoma in Addit. quest. 53. art. 1. ad 1. Propter votum, inquit, simplex sponsalia sunt dirimenda. & Siluester Verbo Sponsalia, num. 10.

Itaque censeo securè permitti posse isti Virgini vt votum castitatis, in seculo manens, emitrat; & sic sese ab obligatione sponsalium simplicium liberet.

CASVS VII.

Titius magna vir nobilitatis, multo tempore inescatus amoribus puella inferioris conditionis, vult cum ea inire matrimonium, sed planè clanculum ob graues causas. Quare petit secum dispensari in proclamationibus, & vt coram ignotis testibus & Religioso aliquo Sacerdote liceat contrahere.

QVÆRITVR, An validè & licitè talis dispensatio indulgeri possit?

R Espondeo, Dubium non esse quin matrimonium secundum formam propolitam contractum, sit validum: non enim requiritur vt testes norint eos qui contracturi sunt, neque vt proclamationes fiant; & ex parte Sacerdotis assistentis sufficit vt ei sit facta potestas ab Illustrissimo Domino Nuntio, vel Archiepiscopo, quorum iurisdictioni vterque, vel saltem alter contrahentium subest.

Sed dubitari meritò potest, Vtrum expediat huiusmodi potestatem dari, & tale matrimonium permitti. Sanè si res generatim consideretur, videtur id periculosum. Primò, Quia si vir iste velit malignè agere, poterit postea, quando libererit, cum alia matrimonium publicè contrahere, & negare priorem coniugem: quia testibus de priore contractu conuinci nò potest, cum illum non noverint. Nec Sacerdos ille Religiosus poterit solus se illi opponere; neque fortè, si posset, id expediret. Secundò, Quia verendum ne nascatur scandalum: putabitur enim passim esse concubina. imò si quid amici intellexerint, debet ipsemet dicere esse concubinam, quia nolet fateri vxorem. Tertio, Proli fiet iniuria, quia non poterit succedere, & habebitur illegitima.

His tamen non obstantibus, puto in particulari eas posse circumstantias concurrere, vt expediat huiusmodi matrimonium permitttere, & potestatem dare Sacerdoti vt illi assistat: vt si vir ille nobilis ita esset amoribus istius puellæ implicatus vt

non speretur posse ab ea auelli; & aliàs crebrò in periculo mortis, & consequenter aeterna damnationis versaretur, nulloque modo expediret amicis tale matrimonium innotescere. Hoc sanè euentu charitas videtur postulare vt ei talis modus contrahendi permittatur ne pereat; quia cum hic modus non sit ex se malus, ratione circumstantiarum poterit fieri vt omnino sit licitus & expediens, quales circumstantiæ videntur esse, quas proposui. Confirmatur, quia Ecclesia ob salutem animarum sæpè dispensat in voto castitatis perpetuæ & religionis, quod sanè longè maius est & difficilius.

Ad Primum incommodum: Non est præsumendum illum velle malignè agere, quia aliæ causæ multæ possunt incidere cur ita contrahere velit. Ad Secundum: Non erit scandalum si occultè ad eam accedat. Ad Tertium: Cauere seu prouidere debet aliquo scripto, vt constet postea liberos fuisse legitimos, & vt eam portionem consequantur, quæ iure debebitur.

TESTAMENTVM.

CASVS I.

Titius Martia necessaria heredi sua reliquit testamento bona sua cum onere, vt si vel Religionem ingrediatur, vel calibatum colat, Legataria tantù sit, & certâ summâ contenta, reliqua verò distribuantur in pias causas.

QVÆRITVR, Vtrum hoc testamentum censerè possit validum?

R Espondeo, Expenfis verbis huius testamenti: Primò, Mihi videtur hoc testamentum esse irritum. quia Titius Martiam suam nepem, quæ loco patris sui succedere debet vt hæres, non instituit hæredem prout iure debebat; sed si colat calibatum, vel ingrediatur religionem priuatillam iure hæredis, & ex hærede vult esse legataria, & contentam mille florenis. hoc autem facere non potest. Vnde hoc testamentum est irritum duplici nomine: Primò, Quia in casu præfenti quo Martia colit castitatem in sæculo, vel si ingrediatur religionem, testamentum hoc caret institutione hæredis. Secundò, Quia ipsa representans proprium & vnicum filium Titij, suum parentem, non instituitur hæres, sed excluditur hæreditate, & iubetur esse contenta certâ summâ vt legataria, hoc autem testamentum reddit irritum. Nec sufficit, quòd relinquat ei per modum legati aut donationis, vel alio modo, quod legibus ei erat debitum: vt expressè habetur Authent. *Vt cum de appellatione cognoscitur §. Aliud quoque capitulum. item ex Authent. Non licet, & Authent. Ex causa, C. De liberis præteritis.*

Secundò, Etiam ponèremus ipsum testamentum hac ex parte non esse inualidum (quod tamen non putamus:) tamen certum est ei deberi tertiam partem bonorum, iure communi debitam: neque posse illam minui ob religionis ingressum, vel calibatum in sæculo, ex omnium Doctorum sententiâ. vnde ipsa ad eius supplementum agere posset. Neque notabilis summa pecuniæ quæ patri eius data fuit, in hac legitima computanda est, cum illa à Titio in eum finem data non fuerit, vt i suppono. Legitima enim censenda tertia pars bonorum tempore mortis inuentorum, quando

Præteritio hæredis necessarii si colat calibatum.

Si hæres necessarius non instituitur hæres, irritum est testamentum.

Item si non relinquitur legitima

Quam censenda legitima

Electio Sacerdotis qui matrimonio assistat.

17 Dispensatio hæc est valida.

Sed regnare illicita.

18 Circumstantiæ quædam possunt esse favore licitæ.

quando sunt pauciores quam quinque proles. Itaque cum Martia sit vnica hæres, omnino debetur ei tertia pars horum omnium tanquam vera legitima. Nimis avara & odiosa esset illa interpretatio, quæ ea, quæ donata Ioanni vnico filio Titij parenti Martiæ, computarentur in legitimam, cum aliæ nullæ proles sint in quarum incommodum cedat ista donatio. Colligitur Authent. De triente & semisse, §. 1. & 2. Authent. Nouissima. & Auth. Vnde si pater, C. De inoffic. testament.

Ad ea quæ hic obijciuntur de testamentis factis ad piam causam, quasi pia causa possit hæres institui præterito hærede necessario: Respondeo, Hoc testamentum non videri factum ad piam causam saltè principaliter, quia pia causa hic nõ instituitur hæres, sed ei relinquitur residuum bonorum instar legati, excluso antea legitimo hærede. Imò videtur factum contra piam causam, cum hæres auocetur per hoc ab ingressu Religionis, & consilij Euangelicis: quod illicitum esse & irritum colligitur ex L. De nobis, §. 1. C. de Episcopis & Clericis. Deinde etiam si diceretur factum ad piam causam, tamen quando superest legitimus hæres qui necessario erat instituendus, non potest præteriri vel exheredari sine iusta causa.

Vtrum autem in eo casu sit planè irritum, an solùm cõpetat hæredi querela inofficij ad supplementationem legitimæ, Iurisperitis disputandum relinquo.

CASVS II.

Fulvia à sua matertera hæretica in quadrante hæres instituta cum onere restituendi hereditatem Titio, si statum religiosum vel spirituales capesseret. Fulvia facta est Beguina.

QVÆRITVR, Vtrum ex vi illius testamenti teneatur relinquere illa bona Titio, nec possit de illis disponere in pias causas?

Respondeo, Fulviam posse, non solùm in foro conscientiæ, sed etiam in foro externo, si ius diceretur, de illis bonis in pias causas disponere.

Probatur Primò, Quia tota illa dispositio fuit irrita, vtpote hæreticæ, & in hæresi publica mortuæ. Atqui hæreticis prohibitum est testari, & facti sunt intellabiles; vt patet L. Manichæos C. de Hæreticis, vbi dicitur: Ergo & suprema illius scriptura irrita sit siue testamento, siue codicillo, siue epistola, siue quolibet alio reliquerit voluntatem, qui Manichæus fuisse conuincitur: quod postea extensum ad omnes hæreticos, etiam ad credentes, id est, ad eos qui generatim credunt quoddam aliqua facta hæreticorum, v. g. quod Caluinitæ, Lutherani, Anabaptistæ &c. docent, aut credunt. item ad fautores & defensores, vt patet Auth. Credentes, C. eodem titulo, quæ est Frederici Imperatoris. Et Cap. Excommunicamus, §. Credentes, de hæreticis; vbi Concilium Generale Lateranense repetit & confirmat Authenticam Frederici. Si testamentum talium est irritum: ergo non potest obstringere successores ab intestato, nec illis aliquid onus imponere, sicut nec executoribus; quia dispositio irrita & nulla nullam vim habet obligandi. Manet ergo Fulvia tam libera, quam si nulla talis clausula testamento apposita fuisset; aut si ab intestato sine vilo testamento successisset. Quare si-

cut tunc potuisset de illis bonis ad salutem animæ suæ disponere, ita & modò poterit.

Probatur Secundò: Quia etiam si testamentum esset validum, illa clausula, qua iubetur restituere Titio hereditatem, si ipsa statum spirituales acceperit, habenda est pro nõ adiecta: vnde illam nullo modo obligat in foro conscientiæ. Antecedens patet: Quia illa clausula præsumitur adiecta in odium & veluti in pœnam status Ecclesiastici, vtpote ab hæretica: cuius etiam signum est quod expressè hæredibus suis in sæculo manentibus permittat vt omnia ista bona alienent & distrahant prout ipsis bonum & expediens visum fuerit; & statum Ecclesiasticum capessentibus non permittat dispositionem: Neque dici potest, quod Ecclesiasticis hoc non permittat, quia non sunt habituri liberos quibus ea relinquunt; secularibus autem permittat, quia sunt habituri liberos: hoc, inquam, dici non potest; quia non semper præsumuntur seculares habituri liberos; nam & ipsa testatrix liberos non habuit, etsi multis annis fuerit iuncta matrimonio; & secularibus absolute permittit alienationem, siue habeant liberos, siue non: ergo non tam causâ liberorum manentium in sæculo, quam in pœnâ susceptæ Religionis id videtur statuisse: ac proinde censeri debet non adiectum tanquam conditio turpis puniens susceptionem status spiritualis.

Confirmatur, Quia illa conditio auocat à meliori bono, nimirum à statu perfectionis & consilij Christi: ergo haberi debet pro non adiecta. argumento L. Titia, 7. De condit. & demonstrat: sicut olim iure Pandectarum conditio Si non nupsit, censetur pro non apposita; quia putabatur auertere à maiore bono, vt communiter tradunt Doctores in d. L. Titia.

Hinc passim docent Doctores, Si leges hac forma, *Lego Titia 200 si nupsit, 100 si Religionem ingreditur; Titiam habituram 200. etiam si Religionem ingressa fuerit: quia illa conditio si nupsit, quatenus potest auertere à Religione, habenda est pro non adiecta: Siluester V. hæreditas. 4. q. vltima. Medina, C. De restit. qu. 23. Panor. cap. In presentia de Probat. estque communior sententia Doctorum. & fatetur Molina distinct. 207. cum Couarr. esse probabilem. Colligitur aperte Nouella 123. de sanctiss. Episcopis, cap. 37. vbi sic habetur, Si quis sub conditione nuptiarum, siue liberorum, siue dotis causa, siue antenuptialis donationis, donauerit, siue reliquerit suis liberis, siue alij cuiuscunque personæ hereditatem siue legatum; aut ab initio pure relinquens eis, oneret eos substitutione aut restitutione, aut sub vna predictarum conditionum reliquerit, vel donauerit, substitutiones verò vel restitutiones eis fecerit adiectis conditionibus quibuscumque ex his quæ superius enumerata sunt: sancimus si personæ talibus conditionibus subiectæ siue masculi siue femina monasteria ingrediantur; aut Clerici, aut Diaconisse, aut ascetice fiant; tales conditiones inualidas, & pro non scriptis esse. Hoc autem solatio & Clerici & Diaconisse fruuntur, si vsque supradictam suam in his perseverauerint; vt res sub tali conditione donatus aut relictas, ad pia opera expendant, aut relinquunt.*

Dices, Id ita statutum ab Imperatore, quia præsumebat talem testatorem vel donatorem de monasterio vel statu Ecclesiastico non cogitasse, & si cogitasset, cum non fuisse talem conditionem additurum. Vnde Imperatorem non velle vt hæc

locum

3
Pia causa non potest institui hæres præterito hærede necessario.

4
Substitutio seu fidei-cõmissam in odium Religionis.

4
Hæretici sunt intestabiles.

4
Item fautores & defensores.

5
Clausula Si statum religiosum acceperit, habetur pro non adiecta.

1. Repu. gnat statum Ecclesiasticum.

2. Repu. gnat consilij Christi.

3. Repu. gnat legibus.

Novella 123.

6
Obiectio, quod hæc Nouella nitatur præsum. priore.

locum habeant, quando testator expressè monasterium excludit.

Refellit.

Respondeo, Hæc expositio est contra communior ac receptiorum Doctorum sententiam, qui docent hanc constitutionem non procedere ex præsumptione, sed absolutè in fauorem sanctioris vitæ esse factam, ne quis à statu sanctioris vitæ per huiusmodi clausulas abstraheretur. Sicut olim iure digestorum diximus conditionem illam *si non nupsit*, habitam pro non adiectâ, ne quis per eam à nuptijs, quas putabant præstare vitæ cœlibi, auerteretur. Ita auctores supra citati, & passim Iuris vtriusque interpretes, quos citat Felinus Cap. *In præsentia*, de Probat. nu. 37. vbi idem Felinus hanc sententiam egregiè tradit. Quomodo enim præsumi potest talis incogitantia in factione testamenti, cum homines omnia solent perpendere, omnes status animo voluere, vt de rebus suis iuxta suum affectum disponant; maximè cum mentio nuptiarum & liberorum insinuet mox cogitationem status religiosi; nihilque sit tam procliuè quàm ex cogitatione illius, in cogitationem huius status delabi? Deinde, quomodo præsumi potest talis affectus passim in hominibus erga monasteria vel statum religiosum, quo, si cogitarent de illo, vellent illi tantundem relinquere? Sanè nec tempore Iustiniani, nec postea passim in hominibus talis affectus fuit, sed potius contrarius: putant enim perire familiæ quod ad monasteria peruenit. Vnde idè Imperator statuere coactus est ne proles ob ingressum monasterij possent priuari legitimâ, sed ea simul transiret in monasterium; vt patet eadem Nouellâ cap. 41. Et alia multa in fauorem monasteriorum, & vitæ sanctioris eadem Nouellâ sanxit, vt patet cap. 38. vbi bona ingredientis monasterium iubet deferri monasterio, nec patitur à sanguine iunctis occupari: & cap. 39. vbi solutis sponsalibus per ingressum monasterij, vult solùm simplices arras reddi, nihil amitti &c. Ex quibus omnibus colligo illam constitutionem non procedere ex præsumptione, sed ex eo, quòd pietati voluit fauere. Ex his patet non videri dubitandû quin clausula illa sit habenda pro non adiectâ, etiam si aliâs testamentum validum esset.

7
Prædicta clausula non comprehendit Fuluiam.

Beguina non debent censeri religiose, vel ecclesiasticæ.

Tertiò, Etiam si clausula illa vim obtineret, neque Fulua inde posset se tueri; tamen adhuc ex alio capite defendi potest; eò quòd illa clausula ipsam non comprehendat, ac proinde non magis ipsam obstringat, quàm si non esset apposta, cum sit illi omnino impertinens. Ratio est, quia institutum Beguinarum non est status religiosus, aut spiritualis alicuius Ordinis. Primò, quia non est status. Ad rationem enim status requiritur immobilis obligatio, vt docet D. Thomas 2. 2. q. 183. art. 1. & Cajet. qu. 184. art. 4. At Beguinae non habent immobilem obligationem; quia solùm habent votum temporale, & possunt egredi quando volunt. Secundò, quia status religiosus nullus est nisi qui habet tria vota substantialia, & proficitur regulam à Sede Apostolica approbatam; vt communiter docent Theologi cum D. Thoma 2. 2. qu. 184. art. 4. & qu. 189. art. 2. ad 1. & Canonistæ Cap. *Cum ad monasterium*, de Regularibus. At Beguinae non profitentur tria illa vota, nec habent regulam à Sede Apostolica approbatam. Tertiò, quia nullum institutum est Ordo, vel status religiosus, nisi sit ipse-met, & non solùm regula à Sede Apostolica approbatus: vt constat Cap.

Ne nimia, de Religiosis domibus, & Cap. *Religionum*, in 6. estque certa doctrina omnium Doctorum: tale autem non est institutum Beguinarum. Denique quòd illud institutum non sit status Ecclesiasticus aut religiosus ex eo manifestum est, quòd Beguina, Antuerpia, vbi hæc res agitur, non sunt exemptæ à vectigalibus & foro seculari, tanquam veræ Laicæ.

His adde, cum hæc clausula sit in odium piæ causæ, stricte nomen status religiosi esse accipiendum; ne alijs pijs causis hoc nomine non comprehensis noccat.

Nec obstat quòd testatrix dicat, *Qui se tradent spirituali statui, qualis est Ordo aliquis monasteriorum, conuentus virorum & seminarum, vel similes spirituales obligationes*; vbi extrema illa verba, *Spirituales obligationes*, videri possint complecti Beguinas; hoc, inquam, non obstat: quia illa verba intelligenda non de quavis obligatione spirituali (alioquin si votum castitatis apud se nuncuparet manens in sæculo, excluderetur, etiam si haberet postea vel antea liberos, quod est absurdum, & contra mentem testatricis) sed de obligatione constituente statum religiosum alicuius Ordinis, vel etiâ fortè sacerdotalem. Voluit enim varijs modis exprimere statum regulare, vt illum excluderet: cuius euidentis signum est, quòd idem sæpè repetens in eodem testamento, non repetat illa verba, sed solùm exprimat statum spirituale *Geestelycken staet*. Itaque omnibus illis verbis nihil aliud voluit significare, quàm statum religiosum, & fortè etiam sacerdotalem, vt dictum est.

8
Quid proprie intelligendum per statum spirituale.

Ex his infertur Primò, Fuluiam non teneri restituere illa bona Titio, qui ipsi fidei-commissaria substitutione subrogatus est. Primò, quia non tenetur seruare dispositionem testatricis, vt pote quæ sit irrita & nullius roboris; & ipsa illi ab intestato succedere debeat. Secundò, quia conditio, sub qua est fidei-commissum, habenda est pro non adiectâ. Tertiò, quia conditio illa in ipsa loci non habet.

9
Conclusio.

Infertur Secundò, Fuluiam posse disponere de illis bonis in piæ causas, siue ingrediatur Religionem, siue maneat in sæculo. Quia cum onus fidei-commissi sit nullum, & ipsam nullo modo grauet, nihil est vnde prohibeatur liberè de illis bonis disponere, tanquam hæres ab intestato. Et quidem si in sæculo maneat, ipsa testatrix facit ei potestatem disponendi in vita pro suo arbitrio, & commodo, & pro vt negotia eius exigent, vel vtile erit. quibus verbis nullo modo excluduntur negotia pietatis & salutis. Nihil enim magis expediens aut commodum, quàm quod negotio salutis est expediens.

Infertur Tertiò, Fuluiam, etiam si secularis maneat, posse hæc bona etiam testamento ad piæ causas relinquere. Quia cum ostensum sit testamentum testatricis esse irritum, non potuit illam obligare in conscientia ad relinquendum ea, quæ ipsi in vita supersessent, amicis secularibus. Deinde, quia verba testamenti non obstant: nam quando dicitur, *quod non possint bona restantia, testamento, vel codicillo, vel donatione mortis causa alienari in extraneos*, non excluduntur piæ causæ, sed solùm prophana: Christus enim cui datur in suis membris, & ad cuius honorem dantur, & anima ad cuius utilitatem dantur, non censentur extranei. Nò enim spectanda est persona cui datur materialiter, sed formaliter, & ipsa ratio dandi. Nec obstat quòd Fulua approbatit testamentum: quia per

A * iij hoc non

hoc non intendit sibi obligationem imponere ad obseruandas omnes eius clausulas, sed ad se tuendum in foro externo, quatenus testamentum ipsi fauet.

Infertur Quartò, Quòd, etiamsi Fulvia uoueret castitatem & obedientiam perpetuam apud Beguinam, non tamen idcirco censenda esset religiosa aut Ecclesiastica: quia ad hoc requiritur status immobilis, & tria vota substantialia. Religione approbata: vel certè Ordo facer.

10 Petes: Quid si contingeret Fuluiam successu temporis emittere votum castitatis perpetuæ & permanstonis in Beguinagio, Vtrum rogata ad instantiam partis aduersæ à Iudice sub iuramento an aliquod votum fecerit, aut Beguinagio se voto obstrinxerit, possit negare, dicendo Se nullum votum fecisse, nec esse villo voto obligatam, addita aliqua restrictione mentali?

Licet in casu negare, & iurare cum mentis restrictione.

Respondeo, Illam cum iuramento posse negare, tacitam restrictionem mentalem habente, v.g. intelligendo de voto quo efficiatur religiosa, aut persona propriè Ecclesiastica, sicut sunt verè religiosi: de quali voto Iudex intelligit, vel certè deberet intelligere suam interrogationem: vel intelligendo se non ita fecisse vt teneatur in iudicio confiteri. Ratio est, quia nemo tenetur fateri in iudicio aut extra aliquid occulti, ex cuius patefactione illi sequeretur damnum, vel ablatio eius quod ipse iuste possidet: quam ob causam non tenetur fateri crimen occultum. Vnde eo sensu quo potest illud negare simpliciter & absque iuramento, potest illud etiam negare cum iuramento, si necessitas postulet. Sic Doctores multi docent eum, qui ad portas ciuitatis rogatur ab excubitoribus, an non transtulerit talem urbem vbi putant grassari pestem, si ille scit ibi pestem non grassari, vel ita obiter & cautè transtulit vt moraliter certus sit nihil in se esse periculi, posse cum iuramento negare se illum locum transtulisse. Vide lib. 2. de Iustitia, q. 42. dubit. 9. vbi id fuscè multis rationibus, exemplis, & auctoribus probatur.

CASVS III.

Onus fideicommissi eliditur per ingressum monasterij.

Titius instituit sororem suam Adrianam heredem cum hac clausula: Casu quo soror mea Adriana moriatur absque hærede è suo corpore & legitimo matrimonio, volo vt eo casu omnia bona per me relicta redeant ad proximiores consanguineos viuentes, ea conditione vt soluant omnia mea debita &c. Adriana ingressa est monasterium capax successions, non inuito matrimonio, nec liberis susceptis.

13 *QVÆRITVR, Vtrum substitutis debeant obuenire ea bona statim emissà professione, an expectanda sit mors eius naturalis? Item: An absolutè possint in monasterium transferri, ita vt fideicommissum expiret?*

Respondeo, & Dico Primò, Substitutis non videri vllum ius competere ante mortem naturalem Adriane. Testator enim manifestè intelligit mortem naturalem, & veram: professio autem non est mors vera, sed ficta, & solum dicitur mors ratione quorundam electuum: ergo non

est coarctanda ad professionem, quasi mortua dicatur esse sine liberis, quia est professæ. Confirmatur, quia in pijs causis tanquam maximè fauorabilibus benigna & fauorabilis interpretatio facienda est. Itaque fideicommissum illud saltem vsque ad mortem naturalem Adriane monasterio relinquendum est.

Dico Secundò, Non solum talis hæreditas monasterio vsque ad mortem Adriane, sed absolute & in perpetuum relinqui potest; ita vt monasterium tanquam filius excludat substitutum, & fideicommissum per professionem expiret. Habetur expressè Nouella 123. cap. 37. *Si quis sub conditione nuptiarum, sive liberorum, sive dotis causa donauerit sive reliquerit suis liberis sive alij cuiuscunque hæreditatem aut legatum &c. Sancimus si persone talibus conditionibus subiecta sive maris sive femina, monasteria ingrediatur, tales condiciones inuvalidas, & pro non scriptis esse: & paulò post: In personis enim qua in monasterium vel asceterium ingrediuntur, & relinquunt huiusmodi conuerationem castam, monasterio aut asceterio, vbi à principio ingrediuntur res sub tali conditione donatas aut relictas cum alia eorum substantia competere volumus. Excipit tamen nisi substitutio facta sit in aliam causam piam.*

12 Monasterium tanquam filium excludit substitutum.

Idem insinuat Auth. *Nisi rogati*, C. ad S. C. Trebellianum. Idem definitur Cap. *In presentia*, de Probationibus, illis verbis: *Intelligendum non est sine hærede decedere qui monasterium sibi hæredem instituit.* vbi Glossa V. *Instituit*: *Ingressus monasterium fingitur habere hæredem, cum rogatus est restituere priuato, vel cum priuatus ei est substitutus.*

Eadem est communis sententia Doctorum, vt docet Antonius Gomezus *De substit. fideicommissi*. n. 34. Couarr. l. 1. variarum resolut. cap. 19. nu. 6. & sequent. Molina disp. 190. §. *quando quis*, vbi citat alios.

Ratio est, vel ne quis hac ratione, si cogatur fideicommissum alijs relinquere, retrahatur à statu perfectiore; vel quia monasterium est instar filij, vt passim Doctores volunt; vel denique quia præsumitur testator nõ minùs dilexisse monasterium, quàm filios grauati fideicommissò. vnde si de eo, ac professione emittenda in eo per hæredem grauatum cogitasset, non fuisse prælatum fideicommissarium monasterio. Itaque non videtur dubitandum quin vtroque Iure & Canonico & Casareo passim apud Catholicos recepto, monasterium excludat fideicommissarium in hoc casu, illique possit hæreditas relinqui.

Nec obstat quòd in dispositione sit apposita conditio talis, *Si decedat sine hærede ex suo corpore & conditio matrimonio legitimo*; quia nihilominus monasterium est præferendum substituto: vt expressè docet Couar. suprà nu. 11. addens hanc sententiam frequentiori Doctorum calculo receptam in d. Auth. *Nisi rogati*. & in d. Cap. *In presentia*. Et esse opinionem magis communem asserunt Alex. consil. 121. l. 2. nu. 11. Decius in d. Cap. *In presentia*, num. 59. Molina suprà, & alij quos citat Couar. Id probat ratio allata, & colligitur ex Nouella Iustiniani, qua absolute sancitur omnes tales condiciones de liberis suscipiendis esse inuvalidas & pro non scriptis habendas, si hæres grauatus monasterium ingrediatur.

13

Non obstat conditio apposita.

CASVS

CASVS IV.

Substitu-
tio ad
vsum pau-
perum.

D. Clara testamento relicta sunt octo millia aureorum, ut ex ijs reditus constituatur, cum ea clausula, Vt si ipsa sine liberis decedat, is reditus impendatur vel in dotem orphanorum nubentium, vel filiarum tenuioris fortunæ vt Religionem ingrediantur. Postea verò ipsa D. Clara Religionem ingreditur.

QVÆRITVR Primò, An vsufructum illius reditus transferre possit in monasterium: & an etiam proprietatem?

QVÆRITVR Secundò, Si non potest transferre proprietatem in monasterium, ad quæ species post eius mortem decernere ut vsus fructus impendatur vel nubentibus, vel Religionem ingredientibus?

14

Perpenis omnibus quæ Domina Clara Serenissimi Principis voluntate huc ad me directâ proposuit.

Ad Primum: Respondeo, Si D. Clara Religionem ingrediatur, saltem vsufructus illius reditus, qui ex 8000. aureorum constituatur, pertinebit ad monasterium: quia ipsa D. Clara etli extra monasterium maneret, haberet vsufructum per totam vitam, donec morte naturali defungatur; vt aperte ex testamento colligitur.

Imò valdè probabile est D. Claram non solum vsufructum, sed etiam proprietatem & dominium illius reditus posse in monasterium iure perpetuo transferre. Quia ex communi ferè Iuris spirituum sententiâ non censetur sine liberis decedisse, qui monasterium ingreditur, cum monasterium sit liberorum instar. Accedit, quòd omnis clausula quæ aliquo modo retraheret ab ingressu Religionis, habeatur pro non adiectâ in ultimis voluntatibus: Nouella 123. cap. 37. de sanctis Epif. & Authent. Nisi rogati, C. ad S. C. Trebellianum; ita sentiunt plerique Doctores.

Si tamen sequamur sententiam contrariâ, quòd nempe non possit proprietas & dominium talis reditus in monasterium transferri, quæ sententiâ etiam valdè probabilis est, quamque tenet Couar. l. 1. variarum cap. 19. cum multis quos citat, & Molina disput. 207. debebunt fructus illius reditus post mortem Claræ impendi vel in dotem orphanorum nubentium, vel in dotem filiarum tenuioris fortunæ vt Religionem ingrediantur, vt manifestum est ex verbis Testamenti.

Ad Secundum: Resp. Electio alterius partis in hac alternatiua, videl. vt vsufructus istius reditus impendatur vel in dotem orphanorum nubentiũ, vel puellarum religionem ingredientium, singulis vicibus pertinebit ad Episcopum, ad quem pertinet omnis executio piarum causarum in defectum aliorum executorum: non verò pertinebit ad Principem.

CASVS V.

Hares institutus vt in pauperes hereditate erogat.

Sempronius institutus est hares à Titio ea mente, ut quod solutus legatis supererit, Sempronius in pauperes conferat.

QVÆRITVR, An Sempronius partem illam in qua institutus est hares, sibi possit retinere?

17

Respondeo, Verius omnino esse Sempronium partem illam in qua institutus est hares à Titio, non posse sibi retinere. Ratio est, quia vel Titius intendit Sempronium verè instituire heredem in residuo illo quod solutus legatis supererit, cum obligatione & grauamine illud conferendi in pauperes: vel non intendit illum instituire, sed solum finxit, nomine heredis intelligendo tantum & intendo illum facere executores, vt in casu proposito factum indicatur.

Si primo modo, Sempronius non potest illud residuum retinere, sed vt summũ detrahare Trebellianicam, vt in alijs fideicommissis; vt patet L. 1. & sequent. C. ad Senatus Consultum Trebell. & §. Sed quia stipulationes, Instit. de fideicommisarij heredit. Sed hic non potest Trebellianicam detrahare, quia à legatis pijs non detrahitur, nisi fortè hares ipse sit pia causa. Couar. de Testamentis c. 18. n. 13. Authent. Similiter. C. ad L. Falcidiam.

Si secundo modo, non potest etiam retinere; quia testator nõ intendit ei quidquam donare aut relinquere, sed solum simulare, idque ipse nouit, vt suppono. quo casu nulla lex ei quidquam iuris tribuit, nisi sit hares ab intestato, & testamentum careat aliqua necessaria solemnitate, iuxta sententiam Couarr. & multorum aliorum.

CASVS VI.

Legatum pauperibus relictum, sed in Religiosos distributũ.

Titius Pater spiritualis Capuccinorum scribit ad Magistratum vt partem legati quatuor millia aureorum relictorum ad distribuendũ pauperibus, vellent applicare Capuccinis, cum illi reuerà sint inter pauperes illius oppidi. Magistratus hac occasione bonam aliam partem distribuit alijs monasterijs, ad cõ vt pauca vel nulla portio peruenierit ad viduas & orphanos, quos tamen in suo Testamento Sempronius maximè commendat.

QVÆRITVR, Virum Titius scribendo ad Magistratum peccarit? & Magistratus rectè de legato isto disposuerit?

Respondeo, Titium non peccasse scribendo ad Magistratum vt pars legati 4000. aureorum relictorum ad distribuendũ pauperibus, vellent applicare Capuccinis, cum illi reuerà fuerint inter pauperes illius oppidi. Quando enim aliquid relictum est distribuendum pauperibus loci, non sunt excludendi Religiosi pauperes, nisi constet aliam esse mentem testatoris, vel eius qui illa contulit. Atqui hæc mens habitualis Sempronij testatoris qui sub fideicommissio illa 4000. reliquerat, erat vt monasterio Capuccinorũ inde aliqua darentur. Itaque certum est Titium ea in re non peccasse: interpretatus est enim istam dispositionem eo modo quo quiuisset doctus & prudens interpretaretur.

Nec obstat quòd ea occasione Magistratus etiã in alia monasteria aliqua contulerit, & pauca vel nulla in orphanos & viduas, de quibus tamen Sempronius in sua dispositione maximè cogitauerat; quia id Titius, cum moneret Magistratum edando aliquid domui Capuccinorum, prouidere non potuit, saltem ei non occurrit; vel si occurrit, non putauit esse periculum, quòd ita essent facturi.

Magistratus

Non censetur sine liberis decedisse, qui monasterium ingreditur.

15 Contrariâ est etiam probabile.

16 Electio pertinet ad Episcopum.

18 Titius rogando Magistratum, non peccat.

Neque ad magistrum aut peccatis sic distribuendo.

Magistratus quoque merito ita potuit interpretari dispositionem Sempronij: nam quando non constat de contraria mente testatoris, nomine pauperum etiam comprehenduntur monasteria, praesertim quae egent. Imò pia causa omnes hoc nomine in iure comprehendit solent. Et sanè nullis pauperibus salubrius datur quam Religiosis, qui sunt pauperes spiritu, qui recipiunt datores in aeterna tabernacula; de quibus dictum, *Beatus vir qui intelligit super egenum & pauperem*, ut pulchrè Hieronymus epist. 8. ad Demetriadè sub finè, & 53 contra Vigilantium. Itaque non expedit quidquam amplius mouere. Nam credo Magistratum nullo modo peccasse: & quamuis aliquid erroris commissum esset, moraliter est impossibile illam pecuniam à monasterijs recuperare: nec posset id fieri sine graui motu & scandalo.

sim ab omnibus pijs, etiam non Episcopis. Quà in re Doctores Louanenses dant alijs bonum exemplum; qui etsi pleraque sua bona labore & industria sua comparauerint, tamen quia simul aliquod beneficium Ecclesiasticum habuerunt, ferè omnia relinquunt ad pias causas pro salute animæ suæ, & bono Ecclesiæ: & parum relinquunt suis consanguineis etsi tenuibus. Multò magis id deberent facere Episcopi, non modò quoad eam partem, quæ sustentationi fuit superflua; sed etiam quoad omnia, quæ ab Ecclesiâ acceperunt, & in morte superflua.

Laudantur Doctores Louanenses.

Dico Tertio, Episcopum & quosuis beneficiarios absolutè non teneri eam partem, quam iure infumere poterant, & de industria sibi subtraxerunt, in causas pias impendere; sed posse eam consanguineis relinquere. Ita Nauari, Couar. & alij.

Petrus Ferrari de sibi subtraxit.

Dico Quarto, In illis locis ubi Camera Apostolica habet ius spoliiorum, ibi non possunt testari de bonis ex Ecclesiâ acquisitis, absque facultate & priuilegio Summi Pontificis. Ratio est, quia tale testamentum cedit in damnû Camerae Apostolicæ. Hinc Episcopi in regno Castellæ, & in totâ Italiâ, non possunt testari absque hac facultate: quia Camera seu Fiscus Apostolicus habet in istis locis ius spoliiorum, mortuis Episcopis. Imò in Italiâ nullus beneficiarius potest sine simili priuilegio testari de bonis ex beneficio acquisitis: quia Camera habet ius spoliiorum in omnibus beneficijs.

Licentia testandi in quibusdam locis.

Dico Quinto, In Belgio, Germaniâ, Galliâ, & Lusitaniâ non habet Camera hoc ius, ne quidè in bonis Episcoporum, ut docet Nauar. Tract. de Spolijs Clericorum, num. 14. Vnde non videtur absolutè hæc facultas necessaria. Quam sententiam puto omnino veram, quoad testamenta, vel dispositiones ad pias causas. Quoad alia, puto etiam consuetudine obtentum, ut non censetur necessaria: cui consuetudini quoad hoc, licet Episcopi huius patriæ stare possunt, modò disponant de eâ parte, quam licet impendere potuissent, sicut dictum est. Consuetudo enim facere potest, ut talis petitio licentiæ testandi non censetur amplius necessaria; etiamsi olim necessaria fuerit.

Provincia exempli.

Quòd ad donationem inter viuos attinet, quæ fit ad pias causas, nullo iure illa vel Episcopo, vel alteri Clerico est prohibita, etiam retento vsu ad vitam. Imò est Canonibus valdè consentanea, & ipsi sacra Scripturæ. Melius enim est in vitâ benefacere, quàm post mortem &c. Ecclesiasticis 14. vers. 12. & sequent.

Licet est donatio inter viuos ad pias causas.

Hereditas repudiata. Vel incapacibus relicta.

CASVS VII.

Hereditas ex Testamento defertur illis qui sunt incapaces, ut sunt Capuccini; vel delata repudiatur.

QVÆRITVR, Ad quem illa hereditas peruenire debeat?

19

Respondeo, Talem hereditatem deuolui ad alios hæredes iure accrescendi, etsi testatoris intentio fuerit ut applicarentur pijs causis alijs. Si tamen Testator expresserit se velle ut pijs alijs causis bona ista applicentur, tunc poterit Episcopus agere pro causa pia, si fortè propinqui Testatoris obliterent.

Pia tamen alia legata eiusdem Testatoris in eodem illo testamento descripta, in alios pauperes distribuenda sunt: legata enim pia valent, etsi hæredis institutio sit nulla.

Testamentum Episcopi.

CASVS VIII.

De quibus bonis testari possit Episcopus?

Prohibita potest testari de patrimonio, & industria acquisitis.

20

Respondeo Primo, Potest Episcopus, sicut & quouis alius beneficiarius, testari de bonis patrimonialibus, vel sua industria conquisitis, in qualuis causas siue pias, siue prophanas, relinquendo ea consanguineis, etsi minime egeant: nec opus est ad hoc facultate Summi Pontificis, praesertim hoc tempore, ut probat Couar. in cap. 1. de Testamentis, nu. 5. dicitque esse sententiam communem.

Non verò de ijs quæ supersunt honesta iustitiam.

21

Dico Secundo, De bonis ex beneficio, vel Episcopali dignitate acquisitis, quoad eam partem quæ superest honestæ sustentationi, sicut non potest sine peccato mortali eam expendere in vsus prophanos in vitâ, ita multò minus potest de eâ ad causas prophanas testari: siue obtinerit licentiam à Summo Pontifice, siue non. Ita plerique Doctores cum Nauarro. Illa enim pars ex mente Ecclesiæ & fundatorum, debet expendi in pios vsus, etiamsi concedamus ipsum, & quemuis beneficiarium, obtinuisse illius dominium; quia acquisiuit illud cum tali onere. Et quamuis aliqui contrarium teneant, & putent Episcopum posse omnia talia bona relinquere consanguineis, ob consuetudinem, quam putant vigere in Galliâ, Germaniâ, & Belgio, vbi Camera Apostolica nullum habet ius spoliiorum: tamen plerique sentiunt cum Nauarro, cuius sententia seruatur pas-

CASVS IX.

Titius praelegauit bona quadam filio suo Caio, eique substituit sorores ipsius, in eueniù quo Caius moriatur naturaliter, non accepto statu honorabili. Caius sit Religiosus.

QVÆRITVR, An bona Caii legata ex vi huius substitutionis peruenire debeant ad eius sorores, vel iure consuetudinario ad eius matrem superstitem, qua secundas nuptias contraxit, cum ibi soleant parentes superstites in bona filiorum institutorum succedere?

Actio ex substitutione & ex statuto consuetudinario.

Via res ista à Clarissimis Iuriscòsultis isthic tractata est, qui omnes circumstantias meliùs norunt, & ad forum externû pertinet, non censui me im-

22

me immiscendum. Quod si solum queratur ob conscientiam, vtraque sententia est satis probabilis, vt vtraque pars possit esse secura si quid ex illa hereditate possidet. Quia tamen heredes scire desiderant quid ego sentiam, paucis expediam. Itaque

Ratio pro
hæc foro
ribus.

Respondeo, Et in foro conscientie, & in foro externo puto iudicandum pro fororibus. Ratio est, Nam in testamentis & vltimis voluntatibus etiam in foro externo (quando alia solemnitates iure requisitæ non desunt) spectanda est mens testatoris, etiam si rigor verborum non conuincat. l. 96. n. de Reg. Iuris. vbi dicitur, *In ambiguis orationibus maxime sententia spectanda est eius qui eas protulisset.* Atqui dubium non est quin mens testatoris fuerit vt forores succederent, cum aperte illas substituerit: si enim voluit eas succedere in euentum quo frater moreretur naturaliter, non acceperat statu honorabili, quæ ratio potuit illum mouere, vt idem non vellet, si moreretur ciuilitate? Nec refert quod non videatur mortuus ante statum illum, sed ipsius status acceptance: Non enim id curauit testator, cum nihil ad rem faciat; quia tantum videtur voluisse significare forores debere succedere si filius decederet non inito matrimonio. Vocat autem matrimonium statum honorabile, forte quia audiverat ita vocari ab Apostolo ad Heb. 13. vel vt excludat illegitimos. Accedit, quod testamentum inter liberos sit maxime fauorabile; vnde etiam valet in foro externo est aliquæ solemnitates alias requisitæ desint, vt habetur l. *Hac consultißima* §. *Ex imperfecto*, C. de Testamentis. vbi Bartolus n. 2. & 3. & alij passim Doctores. Ergo sicuti in ambiguis iudicandum pro dote, l. 85. n. de regul. Iur. ob fauorem dotis; ita in hoc casu iudicandum in fauorem liberorum, maxime cum secunde nuptiæ & testatoris & liberis sint odiosæ. Denique vitanda est interpretatio vltimæ voluntatis, quæ illam facit carentem ratione, & amplectenda, quæ facit prudentem & circumpectam. Quam ob causam quod dispositum est in casu mortis naturalis, debet intelligi dispositum in casu mortis ciuilibis, nisi contrarium sit expressum: supposito quod Monasterium non succedat.

Testamentum
respon-
dium filiorum
valet, licet
careat so-
lemnitati-
bus.

26
Soluntur
argumenta
pro matre.

Nec obstat quod in loco illo dicantur succedere parentes liberis intestatis sine prole decedentibus; quia id intelligendum de bonis omnino liberis, non autem de illis quæ vinculo fidei commissi obstricta.

Si dicas cessare fidei commissum, quia cessat conditio: Respondeo non cessare conditionem, vt ex prædictis satis colligitur. Illa enim conditio prudenter & secundum mentem testatoris est interpretanda. In foro tamen externo factum est aliquod præiudicium aduersus forores, quod permiserint matrem succedere. Possent tamen dicere se reuerentiâ maternâ permisisse; & si erant minores, petere restitutionem in integrum.

Portio
primogeni-
tati quo-
usque
possit gra-
uari.

CASVS X.

Titius pater reliquit Sempronio filio natu maiori hereditatem cum onere vt fratrem inuicem cum suis sustentet.

QVÆRITVR, Quousque hæc obligatio sese extendat?

AD hæc responderi exactè non potest absque cognitione iuris Anglicani. Solum in genere dici potest hereditatem illam, quam Titius Sempronio primogenito suo reliquit, & relinquere iure tenebatur, non potuisse amplius grauari, quam lex Anglicana vel consuetudo nobilitatis conditionis concedat, quæ habet vt primogenitus provideat fratribus & fororibus de alimentis vel dote. Vnde cum Sempronius solum vnum fratrem habuerit, tenetur huic provide de alimentis, nisi forte Titius pater ei antea providearit: non autem omnibus eius filijs & filiabus.

27

Porro certum videtur non potuisse ita grauari vt Sempronius nõ possit viuere secundum dignitatem & splendorem maiorum suorum: quia id planè videtur contra intentionem Legum, quæ indicè totum primogenito assignant, vt splendor familiæ in ipso conseruetur. Quare tota dispositio Titij qua parte iustum & rationabilem modum excedere iudicabitur, censenda inualida, ita vt Sempronium in conscientia non obliget.

Maior na-
tu non est
grauandus
vt alijs cu
imminu-
tione sta-
tus sui suc-
currat.

CASVS XI.

Virum Testamentum manu propria à Testatore ad pias causas confectum & subscriptum, non adhibitis testibus sit validum?

Testa-
mentum
ad pias
causas
subscri-
ptum sed
sine testi-
bus.

VIDetur non esse validum: quia ad tale testamentum saltem duo testes requiruntur, vt patet cap. *Relatum*, 1. de Testamentis.

28

Sed contraria sententia, Tale testamentum validum esse, videtur omnino verior. Quam tenet Molina disput. 134. Couar. in cap. *Relatum* n. 9. & 12. Corueus & Tiraquellus, quos ibidem citat Couar. Ratio est, Quia duo testes iure Canonico non requiruntur ad testamenti in piam causam conditi necessariam solemnitatem, quasi sine illis testamentum sit inualidum (sicut iuxta plurimorum sententiam requiritur certus testium numerus iure ciuili ad testamenta in causas profanas) sed solum ad necessariam probationem, vt supra dicti auctores irradunt, & aperte colligitur ex d. cap. *Relatum*, ponderando rationem quam adfert, nimirum; quia *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum*: vbi insinuat aperte testes requiri ad probationem, non ad validitatem: quæ duo multum differunt: Nusquam enim iure Canonico statutum est vt testamentum ad piam causam, si testibus careat, habeatur pro infecto.

Affirmatur
esse vali-
dum.

Neque refert si dicas id iure Ciuili statutum in genere de omnibus testamētis: quia summus Pontifex derogauit iuri Ciuili hac in parte, in fauorem salutis animæ, ne honorum operum cursus in eo articulo, quo quisque maxime pro sua anima est sollicitus, impediretur. Vnde non voluit aliud ad talia testamenta requiri, quam quod iure Gentium est necessarium, vt ipse Doctores tradunt: nimirum, vt testator habeat potestatem testandi, & heres vel legatarius sit capax, & duo testes sufficient ad probationem, si aliunde non constet. Vnde si aliunde constet de voluntate libera testatoris, nimirum quia agnoscitur manus eius, nec occurrit vlla iusta ratio dubitandi quin hæc fuerit eius voluntas, non opus est etiam in foro externo probatione testium: Nam iure Gentium scriptura propria in maximis quibusque causis satis est.

29
Deroga-
tum est hæc
iuri ciuili.

CASVS

CASVS XII.

Testamentum propria manu scriptum, sine testibus.

Parochus quidam in diœcesi Gandensi scripsit anno 1607. suum testamentum, sed non adhibitis testibus: quos tamen constituerat adhibere. Nam ita scribit, Acta sunt hæc coram his testibus ad hoc specialiter vocatis. Deinde relictus est locus ubi testium nomina scriberentur. Neglexit deinde Parochus testes adhibere. Imò cum in morbum incidisset, iussit vocari Notarium & testes, tanquam aliud testamentum conditurus. Sed cum Notarius non adesset, accidit illum è vita decedere, priusquam aliud conderet.

QVÆRITVR, An prius testamentum sit validum?

29
Consuetudo loci.

Videtur esse validum, quia Gandavi est consuetudo (quæ ad totum territorium extenditur) vt vltima voluntas scripto manus propria expressa, habeatur valida, etiam si nulli testes fuerint adhibiti.

Videtur inualidum.

Respondeo, Re bene expensa, hoc testamentum videri inualidum. Ratio est, quia non fuit perfectum, sed relictum est imperfectum, idque de industria: atqui testamentum imperfectum est inualidum. L. Si is qui testamentum. & L. Ex ea scriptura. Qui Testamenta fac. pos. L. Furiosum. C. Qui test. fac. possunt. Denique hæc est communis sententia Doctorem, vt ostendit Couar. de Testamentis cap. 11. n. 13. vbi eadem confirmat.

Consuetudo repugnans iuri communi, strictè interpretanda.

Nec obstat dicta consuetudo loci, quia ea intelligenda est de scriptura omnino perfecta, quam testator voluit esse plenam & perfectam. Cum enim ea consuetudo repugnet Iuri communi, strictè interpretanda est; præsertim cum agatur in fauorem piæ causæ. Si enim testamentum fuerit inualidum, succedet Ecclesia, cum bona illius Parochi omnia ab Ecclesia quæ rexit, prouenerint.

CASVS XIII.

Compensatio testamenti promissi.

Aurelia prestittit marito suo multa obsequia indebita spe fauorabilis testamenti, quod maritus addixerat. Ille autem intestatus moritur.

QVÆRITVR Primò, An possit sibi partem ex defuncti viri suppellectile vindicare, quæ spei suæ respondeat?

QVÆRITVR Secundò, An possit Aurelia retinere auream catenam quam iussit maritus eius pro illa fieri, vt eius obsequia compensaret?

30

AD Primum: Respondeo, Secundum rigorem iuris non posse Aureliam sibi illam partem ex suppellectile viri defuncti vindicare. Neq; enim nomine compensationis, neque nomine donationis id potest; tantum enim duo hi tituli possunt hic prætendi.

Non potest sibi aliquid vindicare nomine compensationis.

Non nomine compensationis: quia quod voluerit carere prole & matrimonij voluptate, & conseruare viri famam, & multa obsequia indebita ei impendere, nõ fecit animo exigendi mercedem; neq; hoc modo à marito fuerunt excepta.

Neque fecit animo consulendi marito, eiusque re bene gerendi, sed fecit animo consulendi rebus suis, nempe vt his modis induceret maritum in sui amorem; & mediante amore ad condendum testamentum in sui fauorem. Itaque, sicut famulus aliquis qui apud dominum suum vult permanere, priuat se multis commodis quæ apud alios haberet, eique multa obsequia indebita præstat, non vt rem domini melius gerat, sed vt hac ratione dominum inducat ad conferendum aliquod officium, quod animo præcepit, non potest ratione priuationis illorum commodorum, vel ratione obsequiorum indebitorum aliquid accipere, si casu mors domini spes eius intercepit: ita neque Aurelia in illo euentu. Confirmatur, Quia compensatio non habet locum nisi vbi est debitum ex iustitia liquidum, vt omnes Doctores docent: atqui ea omnia quæ Aurelia præstitit, non causant debitum ex iustitia in viro, sed solum ex gratitudine: ergo non potest vt compensatione.

Sed neque nomine Donationis; quia donatio facta non fuit, sed tantum habuit animum donandi; vt in casu narratur.

Neque etiam nomine donationis.

Ad Secundum: Respondeo, Probabile videri secundum episcopiam, Aureliam posse retinere illam auream catenam, quam pro ea maritus iusserat fieri vt eius obsequia compensaret; vel si hanc nõ potuit obtinere impediens hæredibus, quanti illa valebat. Ratio est, Quia, vt hic narratur, maritus iam conuenerat cum aurifabro vt vxori catenam auream conficeret: quo actu satis significauit exterius voluntatem suam esse, vt vxor catenam hanc haberet, nisi eam voluntatem reuocaret. Neque refert quòd hic non interuenerit expressa donatio; quia sufficit donatio implicita & virtualis: atqui actus ille ceteri potest implicita & virtualis donatio; nam ex vi illius prouenisset donatio expressa, nisi mors interuenisset. Virtualis autem donatio in foro conscientie & intra limites iuris nature, eam vim habet, quam expressa, nisi reuocetur.

31
Aurelia potest retinere istam catenam.

Adde, Iure naturali voluntate transferri dominia; voluntate, inquam, signo externo declarata. Atqui hic fuit sufficiens voluntas in marito, qua vellet Aureliam fieri dominam huius catenæ, eaque satis fuit declarata, quando iussit illam in eum finem fieri: ergo. Sentio igitur Aureliam non esse cogendam in foro conscientie vt catenam, vel valorem catenæ acceptum in suppellectili restituat heredibus mariti.

32
Sola voluntate transferuntur dominia.

CASVS XIV.

Titius in testamento suo statuit, his verbis: Ordino & requiro à principali meo hærede, vt mittat ad Dominam nostram Montis ferrati, simul cum imagine Domine nostræ ex argento duarum marcarum.

Dispensatio in testamento.

QVÆRITVR Primò, Quot hic sint obligationes?

QVÆRITVR Secundò, An illa obligationes sint personales an reales?

QVÆRITVR Tertio, A quo tolli vel commutari possint?

AD Primum: Respondeo, Sunt hic duæ obligationes; altera mittendi hominis peregrinationis

33

Sunt dua obligatio- nes.

Amba Reales.

nationis causa; altera mittenda simul statua, quam ibi offerat: id enim aperte pra se fert illa loquendi forma.

Ad secundum: Vtraque obligatio est realis, ac proinde transit ad heredes. Sic Doctores communiter docent votum mittendi hominem ad Limina Apostolorum, aut in subsidium terre sanctae esse reale, & transire ad heredem. Vide Syluestrum V. Hereditas. 3. qu. 12. & V. Votum. 2. qu. 11. & quavis Archidiaconus dicat aliquos putare votum mittendi incertum hominem, seu hominem in genere, esse personale: ipse tamen eam opinionem non approbat: & sane caret fundamento; si enim reale est votum mittendi Sempronium, vt omnes fatentur, cur non etiam mittendi aliquem hominem? Ideo enim tale votum est reale, quia totum vel praecipuum onus est ex sumptu, qui faciendus est.

34. Non possunt a Confessariis commutari in alia pia opera.

Ad Tertium: Non possunt Confessarii (qui alioquin potestatem habent vota commutandi) tale onus heredi in alia pia opera commutare: quia haeres non tenetur ex voto, sed ex ordinatione defuncti; ac proinde ex quasi contractu: hoc ipso enim quo adit hereditatem, sponte suscipit omnia onera que defunctus imponit. Vnde sicut alias vltimae voluntatis dispositiones tales Confessarii non possunt mutare, ita nec hanc. Imo etiam si defunctus nihil ordinasset, sed solum fecisset votum mittendi hominem, adhuc nihil puto tales Confessarios posse circa heredem: quia haeres non tenetur in mediae ex voto, sed ex quasi contractu: vt diximus lib. 2. de Iustit. cap. 40. num. 66. sicut si promissisti Titio votum eius soluere, non possum te liberare. Et quamuis haeres ille originaliter obligetur ex voto, hoc tamen votum commutare Confessarii isti non possunt, cum auctor neque cupiat, neque verò extet. Non enim potest votum commutari nisi petente auctore, eoque viuente: nam requiritur acceptatio eius, & consequenter tacitum votum circa nouam materiam.

35. Recurri hic potest ad Nuntium Apostolicum.

Itaque recurrendum est ad eos qui possunt in vltimis voluntatibus, seu oneribus inde proueniens dispensare. Potest autem meo iudicio in praesenti casu Illustrissimus Dominus Nuntius Apostolicus: quia sufficiens causa subest, nempe magnus sumptus, & tenuitas haeredis; & quia est haeres secundus seu mediatas, scilicet nepos Testatoris: nam haeres proximus, nempe parens huius, neglexit. Posset res fieri absque sumptu notabili, si expectaret donec inueniat aliquem qui illam peregrinationem obeat, cui posset committi vt eadem opera etiam lubeat peregrinationem hic a Testatore praescriptam.

VECTIGAL

CASVS I.

Quidam Castellanus seu Gubernator Arcis regia accepit a caupone in singulos menses 30. Philippicos, & cereuisiam domui suae necessariam, ea conditione, vt caupo posset a ciuibus ex vrbe ibi potantibus meliori pretio ob immunitatem a vectigalibus, exigere unum liardum in singula pocula.

Vectigal impositum ciuibus in Arce regia potantibus.

QVÆRITVR Primum, An iuste possit Castellanus iste lucrum illud sibi sumere?

QVÆRITVR Secundò, An iuste possit a caupone tantum exigere?

Ad Primum: Respondeo, Non video vllam rationem cur merito quis possit dubitare an iuste Castellanus iste lucrum illud sibi possit sumere; quandoquidem ciuibus magna in eo fiat gratia, & nulli fiat iniuria: sicut enim Regia Majestas potuisset hoc lucrum sibi vindicare, ita potuit illud Castellanis concedere: & quod alijs concessum est, etiam huic vsurpare licet. Nec refert quod militibus in arce dentur ista paulò minori pretio: quia potest illis facere maiorem gratiam si velit, quam ciuibus; nec vllò iure tenetur concedere ciuibus quod concedit suis militibus. Satis est quod ciues non grauet supra communem estimationem qua est in oppido: quod infra hanc estimationem exigitur ab illis, est gratia, non debitum. Idem receptum in omnibus regnis. Sicut enim Clericis in huiusmodi sit gratia vectigalium & impositionum, ita etiam militibus in suis locis.

Ad secundum: Respondeo, Supposito quòd lucrum istius liardi in singulos menses tanti aestimetur (de quo non video dubitari) non video cur Castellanus non possit pro eo 30. Philippicos, & cereuisiam domui suae necessariam accipere. Cum enim auctarium istud iustum sit, cur non possit iusto pretio vendi vel elocari? Idem dico de 7. illis florenis quos accipit a Tabernario in singula vasa vini pro iure vnus placca in singula pocula. Neque vllus est Doctorum qui in supradictis contrarium sentiat, vel dubitandum iudicet, quantum liquet ex libris eorum, qui de materia vectigalium scripserunt.

CASVS II.

An, vt Titius sit immunus a vectigalibus, sufficiat Maiores illius ab 80. annis fuisse immunes?

Vt Titius probet suam Hydalgiam, & consequenter exemptionem a vectigalibus &c. non sufficit si probet suos Maiores olim tales fuisse: quia etiam si ita esset, ipse tamen, & parentes, & alii possent non esse Hydalgi; quia nobilitas varijs modis potuit esse amissa. Amittitur enim multis modis, vt ostendit Tyraquellus. Idque videntur Maiores ipsius iam ab 80. annis confessi, cum soluerint vectigalia, vel impositiones factas a Magistratibus. Si dicat illos inique ad id fuisse compulsos, hoc est probandum: nec sufficit sola assertio, vel etiam fama; praesertim cum tanto tempore Magistratus videatur praescripisse, ipsis non facientibus protestationem dum soluerent. Nisi clarè probetur ista iniuria, non video illi remedium a iure. Si tamen possit probare Maiores suos fuisse nobiles, posset confugere ad gratiam Regiam, & supplicare pro restitutione iniurijs, saltem pro sua persona.

Hydalgia importat immunitatem a vectigalibus.

B. VOTVM.

V O T V M.

CASVS I.

Votum
Castitatis
in seculo.

*Virum laudabile sit & salutare votum perpetua
Continentia emittere in seculo?*

4 **E**Rror est, ne dicam hæresis, asserere non esse laudabile & salutare in seculo emittere votum Continentiæ perpetuæ, & ducere vitam spiritua- lem illi statui congruentem ex iudicio prudentis Confessarij; aut eas, quæ id faciunt, nihil mereri.

*Hæresis
Iouiniani
circa cali-
batum.*

Sciendum, olim docuisse Iouinianum, Conti- nentiam siue in seculo, siue in monasterio seruata, non esse meliorem coniugio, nec amplius mereri coram Deo; vt patet ex D. Hieronymo lib. 1. contra Iouiniani, & ex Augustino lib. ad Quod- vult-Deum, de hæresibus, hæresi 82. Qui igitur dicunt virginitatem in seculo cultam & seruata non esse laudabilem & meritoriam, etsi in mona- sterio laudabilis sit & meritoria, cur nõ sint cen- sendi Semi-Iouiniani non video? Sanè si tem- pore D. Hieronymi extitissent, & talia effutiuis- sent, sanctissimus ille vir in eos tanquam in Iouiniani socios inuectus fuisset. Omnia enim argu- menta quæ ille contra Iouinianum inlittuit, gene- ralia sunt, ac proinde & contra istos vim habent. Neque vllus vnquam Patrum, qui vel de virgini- tate, vel de cælibatu scripsit, monasticam dum- taxat continentiam laudauit, sed etiam eam quæ in seculo seruatur. sed nunc breuiter id probe- mus.

5 *Calibatus
laudatur
ab Apo-
sto.*

6 *Ab Ap-
ostolo
per epis-
tola, vt
docet D.
Hierony-
mus.*

Primo Probari potest ex Apostolo, 1. ad Cor- inth. 7. quem locum diligenter expendit D. Hieronymus contra Iouinianum: aperte enim ibi docet Apostolus, esse consilium Christi Domini ser- uare virginitatem, etiam in seculo, nam loquitur de ijs quæ in seculo manentes virginitatem ser- uant; vt patet tum ex verbis Apostoli, tum ex Hieronymo loco citato. Quæ fuerant enim Corinthij ab Apostolo per epistolam, vt docet D. Hierony- mus. Verum illa quæ in virginitate erant cõuerse ad Christum, non deberent in ea permanere; an possent nubere. Non dubitabant an deberent in- gredi monasterium, cum eo tempore fortè nulli ibi esset, sed an manentes in seculo, deberent ser- uare virginitatem. Respondet Apostolus, non esse præceptum Domini: tamè esse valde laudabile, & saluberrimum consilium à coniugio in seculo ab- stinere, & virginitatem seruare: idque probat pul- cherrimè. Qui ergo dicunt id non esse laudabile & meritorium, aperte repugnant Apostolo: ac proinde doctrinam erroneam docent.

6 *Sum coluit
Deipara.*

Secundò, B. Virgo virginitatè vouit in seculo, vt Patres colligunt ex illo Luca 1. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Hanc igitur imitan- tur omnes quæ in seculo virginitatem vouent. Quòd si tunc laudabile, & meritorium erat co- ram Deo, cur non & modò?

4. *Propheta.*

Tertiò, Philippus Diaconus habuit domi suæ quatuor filias virgines prophetissas, vt patet Acto- rum 21. In quem locum notat Theophilactus, idèd Scripturam disertè exprimere voluisse, fuisse vir- gines & prophetissas, vt insinuaret donum prophæ- tiæ fuisse præmium virginitatis Deo consecrata: non enim fuisse aliam causam hoc exprimendi.

Vidua.

Quartò, Apostolus 1. ad Timoth. 5. aperte si- gnificat illo tempore viduas plurimas solitas vo-

uere continentia in seculo, cum ait: *Adolescentiores viduas deuita* (id est, non eligas): *cum enim luxuriam fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnatione, quia primam fidem irruam fecerunt*: vbi Doctores & Patres intelligunt votum continentia: vide quæ sequuntur. Ex quibus patet in seculo hæc præstita.

Quintò, Matth. 13. Qui in terram bonam semi- natus est, hic est qui audit verbum, & intelligit, & fructum adfert; & facit aliud quidem centesimū, aliud sexagesimum, aliud verò trigesimalum. Multi Patres hunc locum explicantes, fructum centesi- mum virginibus tribuunt, sexagesimum viduis, tricesimū coniugatis. Ita D. Hieronymus in hunc locum, & lib. 1. contra Iouinianum in principio, & Athanasius epistola ad Ammon Monachum, & Augustinus de sancta Virginitate c. 44. etsi idem Augustinus alibi centesimum ad Martyres, sexa- gesimum ad virgines, tricesimum ad coniuges re- ferat. Neque dici potest hoc intelligi tantum de virginibus in monasterio constitutis: quia Patres diuidunt totam doctrinam in tres status, scilicet coniugatorum, viduarum, virginum; ac proinde intelligunt omnes virgines, quæ in Ecclesia vni- uersa virginitatem colunt.

7 *Parabola
de fructu
centesimo.*

Sextò in Scripturis passim commendatur vir- ginitas & continentia, nõ tantum coniuncta pau- pertati & castitati in monasterio, sed etiam per se & seorsim spectata, vt in seculo colitur. Matth. 19. *Sunt Eunuchi qui se ipsos castrauerunt propter Regnum Dei. Qui potest capere, capiat.* vbi Dominus generatim hortatur ad virginitatè, neque adstringit ad monasterium. Sapientia 3. *Felix sterilis & incoquinata, quæ nesciuit torum in delicto; habebit fru- ctum in respectione animarum sanctarum.*

Eunuchi.

Septimò probari potest rationibus. Primò, Si meritorium est colere virginitatè in monasterio, cur non etiam in seculo? Non enim circumstan- tia loci facit meritum, sed pia voluntas, & operis sublimitas. Atqui hæc pia voluntas potest etiam extra monasticam vitam haberi. Potest enim vir- go velle abstinere à nuptijs, Deoque suam vir- ginitatem consecrare, quia consilium est Christi: quia Deo gratum: quia imitatio Christi, Beatae Virginis, & illustrius Sanctorum: quia species vitæ Angelicæ: & similes ob causas. Sub- limitas quoque operis in se spectati par est. Cur ergo extra monasterium non mereantur quæ vir- ginitatem vouent & colunt?

8 *1. Ratio.*

Secundò, Non solum in monasterio, sed etiam in seculo valde meritorium est ieiunare, orare, eleemosynas corporales & spirituales in proxi- mos conferre, & ad hoc se voto obstringere, cur non etiam seruare virginitatem, & ad eam se vo- to adstringere? Si enim alia opera bona non amit- tunt suam dignitatem & pretium apud Deum, ex eo quòd fiant in seculo, cur virginitas suam di- gnitatem non retineat in seculo? cur cultus cor- poris modestus & grauis non habeat suum meri- tum in seculo?

2. *Ratio.*

Tertiò, Valdè laudabile est & meritorium cõ- iuges ex mutuo consensu abstinere ad tempus ab usu coniugij, vt vacent rationi, etsi maneant in se- culo; vt docet Apostolus: ergo multò laudabilis est vt quis perpetuò abstineat, & voto ad hoc se astringat, etsi in seculo manere velit.

9 *3. Ratio.*

Quartò, Valdè laudabile est & meritorium vt coniuges mutuo consensu voueant continentiam, etsi in seculo manere velint; vt patet ex usu Ec- clesie,

4. *Ratio.*

Electa, & passim docent Patres. de qua re vide pulcherrima testimonia apud D. Augustinum epistolā 45. ad Armentarium, & epistolā 70. ad Bonifacium, & 199. ad Ediciam. cur ergo non sit laudabile virginibus in seculo viuentibus uirginitatem perpetuam uouere?

5. Ratio.

Quintò, Fide tenendum est esse laudabile & meritorium si adolescentes & uiri in seculo continentiam uoueant: imò Ecclesia compellit illos uouere qui sacros Ordines cepissent. Cur ergo non sit laudabile idipsum facere feminas? Non enim Deus sexum respicit, sed uoluntatem. Si dicas ob pericula. At longè plura sunt pericula uiris plerumque, quàm feminis: uiri enim Ecclesiastici maiore libertate uersantur inter homines quàm feminæ uirgines, multasque habent illecebras libidinum, quibus feminæ carent. vnde uidemus etiam longè plures labi, quàm uirgines.

10

6. Ratio.

Sextò, Virginitas etiam culta in seculo liberat à sollicitudinibus huius seculi, quibus iuncti matrimonio mirè implicantur, ut docet Apostolus 1. Corinthiorum 7: Tribulationem carnis habebunt huiusmodi. Volo autem uos sine sollicitudine esse. Ergo est valdè laudabilis & meritoria.

7. Ratio.

Septimò, Valdè laudabile est & meritorium id amplecti, quod facultatem præstat sine impedimento Deum obsecrandi, & cogitandi ea quæ Domini sunt, quomodo placeamus Deo. Atqui hoc præstat uirginitas, etiam in seculo, ut docet Apostolus 1. Corinth. 7. Mulier innupta & uirgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta & corpore & spiritu. Et infra: Beatior erit, si sic permanserit secundum meum consilium: puto enim quod & ego spiritum Dei habeam. Non ergo habent spiritum Dei, qui docent quòd non mereatur, si sic manserit: si enim non meretur, non est beator.

11

8. Ratio.

Octauò, Omnibus ætatibus post mortè Christi, plurimæ extiterunt quæ in seculo uel uirginitatem, uel continentiam in statu coniugali, uel post statum conjugalem coluerunt, & uoto firmauerunt, ut patet ex historijs. Imò Illustrissimæ uirgines quas Ecclesia colit, tales fuere; ut Tecla, Agnes, Agatha, Cecilia, Lucia, aliæque innumere, & ipsa Virgo uirginum B. MARIA, quæ omnibus uirginibus propofita est exemplum. Nulla est in orbe Christiano Prouincia, quæ non hodieque plurimas eius imitatrices habeat in seculo. Mira temeritas, mirum supercilium id audere improbare, quod omnibus sæculis in usu & ueneratione fuit, & etiamnum apud omnes Catholicas nationes uiget.

12

9. Ratio.

Nonò, Non omnibus conuenit status monasticus. Multæ enim uirgines & uiduæ uel non sunt idoneæ ad omnes illas obseruantias, idque uel ob inualerudinem, uel ob aliquam aliam causam; uel si sunt idoneæ, non habent animum: & cur non habeant, sæpè non carent iustissimis rationibus. Quis coget has ingredi monasterium, uel iungi nuptijs? Cur his non liceat in seculo permanere, & uirginitatem colere, & eandem uoto firmare? Certè nemo id potest improbare nisi spiritu Iouiniani præditus. An quia non uult ingredi monasterium, idèd debet iungi nuptijs? Si non uult id quod summum tibi uideretur, idèd non potest capere medium, sed tenetur uel summum, uel inimum aggredi?

13

Iam uerò quòd ad habitus modestiam attinet, quòd crispantia collaria non gestent, quòd auro

& serico non fulgeant, quòd omnia ad simplicitatem Christianam composita habeant, quis potest non laudare nisi Iouiniani socius? Legant illi D. Hieronymum epistolā ad Latam de institutione filia uirginitati ab auia destinata; & ad Demetriadem de uirginitate seruanda, præterea ad Saluinam, & aliam ad Furiam de uirginitate seruanda, & uidebunt qualis debeat esse uirginum & uiduarum continentiam seruantium habitus.

Habitus

modestus.

Denique valdè laudabile esse quòd à prudente Confessario dirigantur, clarum est: ut insanus sit, qui neget. Quis enim ita sapiens est, ut per se omnia sciat quæ ipsi in uia spirituali sunt conducibilia, uel propria? Quod si per se non potest scire, expedit ut aliquem habeat quem consulat. Quis autem ad hoc est aptior quàm Confessarius uir doctus & prudens, qui conditionem sui penitentis perspèctam habet? Ineptus est ad directionem conscientiarum, tum is qui indoctus est, quantumuis se putet spirituale & mysticæ Theologiae cultorem, ut multis exemplis posset ostendi. vnde Tobias monebat filium, Consilium semper à sapiente perquire. indocti enim ex figmentis sui capitis, non ex Patrum doctrina consilia ingerunt, cum magno detrimento eorum qui consilium petunt: tum etiam ij qui conscientiarum regendarum usum non habent; ut sunt illi qui confessiones non audiunt. vnde monet Sapiens Ecclesiastæ 6. Multi pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi vnus de mille.

14

Directio

Confessarij

Obserua Lector. Ex hoc Responso fustorem ab Auctore nostro editum esse Colonia Anno 1615. libellum De bono status eorum qui uouent & colunt Castitatem in seculo, sub nomine Leonis Hubertini, quem deinde uir Clarissimus Balthazar Motetus Typographus Antuerpiensis Lethianis Opusculum inseruit Anno 1626.

CASVS II.

Titius uouit instituere scholas si amicus conualesceret, & simul uouit se non petitorum dispensationem huius uoti aut commutationem.

Votum

non petendi

dispensationem

à suo uo-

to.

QUERITUR, An amico conualescente possit ullo modo eam petere?

Respondeo, Si iusta causa à pijs & prudentibus uiris iudicetur subesse petendi dispensationem uel commutationem; potest primò petere dispensationem uoti secundi, quo uouit non petere dispensationem de priore: qua dispensatione obtenta, potest etiam petere de priore. Sunt enim hic duo uota distincta; de quorum altero potest immediatè petere dispensationem, de altero non potest immediatè, sed tantum obtenta dispensatione secundi uoti.

Addo, Hoc uotum non petendi dispensationem non obligare, nisi quando melius iudicatur omnibus consideratis non petere: ut rectè docet Richardus in 4. dist. 38. artic. 9. quæst. 3. Sotus autem lib. 8. quæst. 1. artic. 9. sub finem, dicit huiusmodi uota esse futilia. Idem sentiunt multi alij, ut Siluester, Antoninus &c.

15

Quidam

consent hoc

uotum non

obligare.

B * ij

CASVS

CASVS III.

Dispen-
fatio Vo-
ti.

Quidam Laici vouent se Deo seruituros in Hospitali leproforum, hac formula: Ego Praeter N. facio professionem, & voueo Deo, & B. Virgini MARIAE, & omnibus Sanctis, & tibi Sorori pro hoc tempore Magistra huius domus Hospitalaria in hac Dei-domo loco Reuerendissimi Domini nostri Episcopi, & tuis Successoribus: me in posteram videndum in vera obedientia, in castitate corporis, & in voluntaria paupertate; & Ordinis vestes gestaturum iuxta regulam & bonam consuetudinem huius domus usque ad mortem. Et praetera voueo me agrus huius domus usque ad mortem adfuturum, eosque non deserturum. Ita me Deus adiuet, & omnes Sancti eius. Circa hanc formulam vouendi.

QVÆRITVR Primò, *An vota illa sint perpetua, an tantum temporalia?*

QVÆRITVR Secundò, *An qui sic vouerunt, possint sua auctoritate hoc Institutum relinquere?*

QVÆRITVR Tertiò, *An Episcopus loci possit in praedictis votis dispensare?*

Expensâ hâc formulâ vouendi seu profitendi, & simul statutis eiusdem domus Hospitalis:

Ad Primum: Respondeo, Vota illa esse perpetua, non temporalia. Sunt autem hic quinque distincta, quæ Deo vouentur; scilicet, obedientia, castitas, paupertas, gestatio habitus, & obsequium infirmorum: & hæc omnia usque ad mortem obseruanda vouentur: nam bis repetitur illud usque ad mortem, semel ut determinet quatuor vota, quasi principalia & religiosa constituentia quendam statum Euangelicæ perfectionis: & secundò, ut quintum votum determinet, quod respicit principalem functionem illius institutionis, quæ est seruire infirmis.

Nec obstant illa verba formulæ, *Iuxta regulam, & bonam consuetudinem huius domus*, in regula autem tribus locis videatur significari illos liberè posse discedere quando voluerint, ut §. De sanis recipiendis, §. De recedentibus ad seculum, & §. De omnimoda electione: hæc, inquam, verba formulæ non obstant. Tum quia illa verba solum videntur determinare gestationem vestium ordinis; hic enim videtur esse sensus, quod voueat se gestaturum vestes regulares, uti præscribit regula & habet consuetudo domus: idque additum, ut sciretur quales essent istæ vestes, & cur deberent gestari. Tum, quia qui vult recedere, non potest dici facere secundum regulam & bonam consuetudinem domus, sed potius contra regulam & bonam consuetudinem. Tum denique quia repugnantia quædam est si voueas te aliquid usque ad mortem præstiturum, & nihilominus velis esse liber ut non præstes si placuerit. Si enim vis esse liber, quomodo te obstringis usque ad mortem? & si obstringis te usque ad mortem, quomodo vis non esse obstrictus nisi quamdiu libuerit? Vnde

16
Sunt hæc
Vota per-
petua.

Soluitur
obiectio ex
verbis for-
mula.

si mens formulæ vel vouentium est, ut non obligentur nisi quamdiu placebit in illa domo commorari, non oportebat dicere, *Voueo hæc me præstiturum usque ad mortem*, sed, *quamdiu hic sum commoraturus*. Sed hanc non esse mentem, patet partim ex dictis, partim ex nomine professionis, quæ perpetuitatem significat: partim quod bona recedentibus non restituantur; partim quia §. De sanis dicitur, elapso tempore probationis si remanere debeat, sub stola in manu Capellani faciendo professionem, promittat stabilitatem in domo ista: atqui non est stabilitas si retinet libertatem abeundi: partim quia §. De leprosis recipiendis, expressè dicitur leprosos non debere vouere castitatem, aut abrenuntiationem paupertatis, ut caueatur ijs qui matrimonio iuncti sunt, & alijs qui forte à domo per malitiam sunt recessuri: ubi satis insinuat eos qui vouent, & postea recedunt, peccare contra votum suum, nec habere libertatem recedendi aut matrimonium contrahendi, aut proprium habendi.

Neque obstat quòd §. De sanis recipiendis dicitur, *Consuetudines domus secundum posse suum promittat se seruaturum, non sub voto, sed sub penâ infertur* annotata: hinc enim non sequitur eos non obligari sub voto ad stabilitatem, & ad alia quæ expressè vouent; quia multis Religionibus id est commune, ut consuetudines & regulæ non obligent nisi sub pena.

Similiter non obstat quòd §. De recedentibus ad seculum, dicitur; *Cum sanus recedit post factam professionem, vel leprosus post annum, nihil omnino eis dabitur, id est, ex ijs quæ intulerunt*. Non enim hic significatur quòd possint recedere, sed potius contrarium, quia nihil eis restituum iudicatur.

Denique non obstat §. vltimus De omnimoda electione: quia ex eo quòd quis possit eijci in perpetuum, non sequitur, eum qui eijcitur, non fuisse obligatum ex parte sua perfeuerare: tum quia post vota simplicia licitum est eijcere regularem; illa autem vota sunt tantum simplicia: tum quia etiam in probatis Religionibus licet eijcere etiam post professionem, idque iure naturali.

Ad Secundum: Respondeo, Non posse eos, qui sic vouerunt, sua auctoritate hoc Institutum relinquere. Suppono enim esse pium, & consilia Euangelica continere: quamuis possint in quantumque Religionem approbatam commutare. Nam omne votum potest in Religionis approbatae professionem commutari, argumento Capir. Peruenit 2. de iure iurando. & Capir. Scripturae de Voto; estque communis sententia Doctorum: Caietani Verbo Voti commutato. Soti lib. 7. de iustitia quæ. 4. art. 3. & aliorum.

Ad Tertium: Respondeo, Episcopum posse in praedictis votis dispellere, excepto voto castitatis. Probat, quia Episcopus potest dispensare in omni voto, quod expressè iure vel consuetudine non est reseruatam Sedi Apostolicæ; ut docent omnes Doctores Theologi & Canonistæ, teste Soto supra, Nauarro cap. 12. nu. 75. & alijs. Reseruatæ autem Sedi Apostolicæ sunt tantummodò quinque vt summum: scilicet, Religionis, Castitatis perpetuæ, Professionis Hierosolymitanæ, Peregrinationis ad Limina Apostolorum, & ad S. Iacobum in Compostella; vt Nauarrus & Sotus supra,

17
Soluitur
obiectio ex
statutu
loci.

18
Non pos-
sunt sua
auctoritate
Institutum
relin-
quere.

19
Episcopus
potest dis-
pensare in
omni voto
non refer-
uato Pape.

V S V R A

CASVS I.

Virum per Cap. Quoniam de Vsuris in 6. inualidum reddatur testamentum Caii uxoris Sempronij vsurarij publici, quo, relicta prolihus sua legitima, instituit maritum heredem, iniuncto ei onere restitutionis quacunque facienda esses?

Testamentum vxoris publici Vsurarij.

Vide supra, verbo Professio Religiosa in ualida, Cap. 21, §. 22.

20 Ad hanc dispensationem non requiritur consensus tertij.

21 Dispensatus potest fieri sacerdos secularis.

22 Non obest quod vota sunt iurata.

ius supra, & alij passim docent. Ex predictis autem votis nullum est Sedi Apostolicæ reseruatum, præter votum Castitatis perpetuæ: vt colligitur ex Auctoribus citatis: non enim votum Obedientiæ, Paupertatis, & Stabilitatis est reseruatum, nisi fiat in vera Religione, seu in vero statu Religionis; vt omnes vnanimi consensu docent. Atqui Institutum illius domus, non est vera Religio, cum non sit pro tali approbatum à Sede Apostolica: quod tamen ad statum Religionis necessarium esse, saltem à tempore magni Concilij Lateranensis sub Innocentio III. (quod celebratum est circa annum Domini 1215.) patet ex Decreto eiusdem Concilij, Cap. De nimia. de Religiosis domibus; & Cap. vnico. §. 1. eodem Tit. in 6. ex Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. ex quibus omnino constat hæc vota reseruata non esse, sed posse ab Episcopo dispensari, vel commutari, præter votum Castitatis.

Nec obstat quod votum obedientiæ, & votum inferuendi infirmis videatur esse in fauorem tertij, ac proinde non posse in eo dispensari sine consensu tertij: Tum quia in casu Titij hic proposito, de cuius dimissione agitur, adest omnis consensus requisitus ex parte ipsius domus, & Superioris eius, vt narratur: Tum quia hæc vota non sunt principaliter in fauorem tertij, sed accessoriè (nam principaliter sunt Deo ad animæ salutem:) Tum denique quia tota domus, vt suppono, subest iurisdictioni Episcopi loci, qui proinde potest tamquam verus Superior hoc ius remittere, sicut poterat immediatus Superior ipsius domus.

Hinc sequitur prædictum Episcopum posse dispensare cum supra dicto Titio, vt relicto Instituto illo & habitu, fiat Sacerdos secularis. Cum enim possit dispensare in omnibus votis prædictis, præter votum Castitatis, potest illum liberare ab omni obligatione, quam habet erga illam domum ratione suorum votorum, ac proinde vt redeat ad statum & habitum secularem, sic tamen vt teneatur seruare castitatem: & tunc nihil habet impedimenti quo minus sine alia dispensatione possit ad omnes Ordines promoveri.

Nec obstat quod eadem vota videantur iuramento firmata, dum dicitur in formula, Ita me Deus adiuet, & omnes Sancti eius, ac proinde duplici vinculo ligare: quia Episcopus potest in ipsdem iuramento dispensare. quando enim votum & iuramentum in eandem materiam cadunt, quicumque potest in voto dispensare, potest etiam in iuramento: Siluester Verbo Iuramentum. 5. quæst. 3. Dominicus Soto lib. 8. de Iustit. qu. 1. art. 9. Caietanus 22. quæst. 89. art. 9. & alij complures, eisque communior sententia Doctorum, & nemo dubitat quin saltem Episcopus possit dispensare in votis iuratis.

AD huius quæstionis decisionem: Suppono Primò, Vsurarium etiam publicum & manifestum iure naturæ non esse intestabilem, seu inhabilem ad condendum testamentum: sed posse de rebus suis testari sicut quemlibet alium, transfuso onere restitutionis in hæredes. Quilibet enim est arbiter rei suæ cuius habet dominium: atqui vsurarius non solum habet dominium fortis, quâ primò caput facere vsuras, sed etiam ipsarum vsurarum, vt plurimi Doctores tradunt: quod maxime locum habet quando pecuniæ vsuris partæ fuerint cum proprijs permixtæ; vt communiter docent Doctores, & intelligitur apertè ex l. si aliquid. 78. 7. de solutionibus, & alijs Iuribus. Similiter acquirit dominium pecuniæ quâ accipit ex venditione pignorum, & c. l. Qui vas, in fine 7. de furtis. Itaque si ius naturæ spectetur, potest de illis disponere præsertim per testamentum, non minus quàm alij de rebus suis: quia onus restituendi transit ad hæredes, & ita nullum fit præiudiciu creditoribus.

1 vsurarius solo iure Canonico est inhabilis ad testandum.

Suppono Secundò, inhabilitatem testandi vsurarijs esse inflictam in pœnâ solo Iure Canonico, idè; vt respiciant: sicut & aliæ quædam pœnæ eodè Iure in eos statutæ sunt, vt patet Cap. Quoniam de vsuris in 6. Vnde sicut aliæ leges humanæ per vsum contrariu, vel etiã per non vsum certi temporis tolli possunt & abrogari, ita etiam hæc, maxime qua parte pœnalis est, & hanc inhabilitatem infligit. Facillimè enim leges humanæ abrogantur quâ parte dispositione pœnalis continent; vt innumeris exemplis in censuris, irregularitatibus, & inhabilitatibus ostèdi potest, etiã manente legis dispositione quoad actus prohibitos vel præceptos.

2 Hæc inhabilitas per non vsum tolli potest.

Suppono Tertio, Hanc pœnam non habere locum nisi in vsurarios manifestos; vt apertè ex d. Cap. Quoniam colligitur. Vnde non pertinet ad eos qui manifesti nõ erant, vel manifesti nõ habebantur. Manifesti dicuntur qui facti, vel iure sunt notorij esse tales. Facti manifesti & notorij sunt, qui ita palam vsurus exercent, vt nulla tergiversatione negari possit. Iure verò sunt manifesti, qui iudicij sententia de hoc crimine sunt condemnati: Vel, qui de se ipsis legitimo iuris ordine hoc crimen coram Iudice sunt confessi: Vel denique, de quibus id per idoneos testes in iudicio est plane probatum, vt docet Couarruias lib. 3. variarum cap. 3. n. 4. & 5. Infamia & semi-probatio non sufficit, vt idem ostendit. Imò nec confessio extra iudicium coram Parocho & testibus, vt docet Molina disput. 333. quia confessio extrajudicialis non inducit notorium iuris.

3 Soli vsurarij manifesti sunt inhabiles ad testandum.

His positis, tanquam certis & receptissimis Respondeo, hoc testamentum, de quo agitur, ita validum censerè, vt ratione Cap. Quoniam, nulla ratione possit infringi à prolihus.

4 Testamentum Caii est validum, ut pote non manifesta vsuraria.

Conuincitur id Primò: Quia hoc Caput solum loquitur de manifestis vsurarijs. Testamenta, inquit,

B* iij manife.

manifestorum vsurariorū aliter facta (nō facta satisfactio-
 Et sic ob-
 feris in
 fenus ma-
 ritis.

Et sic ob-
 feris in
 fenus ma-
 ritis.

3
 Testamen-
 tum publi-
 ci vsurarij
 potest ex
 triplici
 causa esse
 validum.

1 Ex recedi-
 latione.

2. Ex reced-
 sione.

6

manifestorum vsurariorū aliter facta (nō facta satisfactio-
 Et sic ob-
 feris in
 fenus ma-
 ritis.

Et sic ob-
 feris in
 fenus ma-
 ritis.

3
 Testamen-
 tum publi-
 ci vsurarij
 potest ex
 triplici
 causa esse
 validum.

1 Ex recedi-
 latione.

2. Ex reced-
 sione.

6

tionem nec præstita idonea cautione) nō valeant, sed
 sint irrita ipso iure. Atqui vxor vsurarij, de qua est
 questio, nō fuit manifeste vsuraria; quia neque ipsa
 notorie fenus exercuit, neque de hoc crimine vn-
 quam à Iudice fuit condemnata, aut conuicta, vel
 confessā in iudicio. Imò tantū abest vt notorie
 talis fuerit, vt ne infamiā quidem huius criminis
 laborasse videatur: quia passim à suo Pastore viro
 docto & probo publicè ad Sacramenta tanquam
 honestæ vitæ persona admissa fuit. Itaque nisi de
 contrario manifestè constet, præsumendum est
 illam habitam honestam, neque laborasse huius
 criminis infamiā: quia præsumendum Parochum
 debite functum suo officio: graui autem sacrile-
 gio se obstrinxisset, si personam de tali crimine
 publicè infamem, ad Sacramenta publicè admisis-
 set: & tamen infamia non sufficit vt irritum sit
 testamentum. Multò minùs dici potest illam fuisse
 manifeste vsurariā, quia sic multò grauiùs pec-
 casset Pastor illam ad Sacramenta admittendo, &
 meruisset excommunicationē illam tradendo Ec-
 clelesiasticæ sepulturæ, per Clementinam de Sepult.
 Eos qui. Nec potuissent ista fieri sine magno scan-
 dalo & obloquio populi.

Nec obstat quòd fortè consenserit vt maritus
 fenus exerceret: quia ille consensus non est no-
 torius, nec ipsam fecit manifestam vsurariā apud
 populum. Similiter non obstat quòd fuerit vxor
 vsurarij; quia crimen mariti non debet refundi in
 vxorem, nisi constet ipsam fuisse in crimine so-
 ciam. Vxor, sociam tori denotat, non criminum
 & iniuriarum mariti.

Secundò, Etiam si publica vsuraria fuisset (quod
 tamen nullo modo admittimus) tamen adhuc te-
 stamentum eius validum censi debet, idque
 triplici de causa. Primò, Quia in morte dedit om-
 nem cautionē quam ab ea Parochus exegit: alio-
 quin eam non absoluisset, nec ad Sacramenta, &
 Ecclesiasticam sepulturam admisisset. Quòd si Pa-
 rochus non exegit ab illa talem cautionem, qua-
 lem Ius præscribit, hoc illi fraudi esse non debet,
 quæ parata fuit præstare omnia quæ ad salutē ne-
 cessaria, vt manifestè colligitur ex testamento,
 quo ita maritum instituit hæredem, vt omnia res-
 titutionis onera impleat.

Secundò, Quia longissimi temporis consuetudi-
 ne obtentum in hisce prouincijs vt testamenta
 vsurariorum, præsertim accedente Principis con-
 cessione, valeant, ita vt nemo se illis ratione Cap.
 Quamquam opponat. Atqui consuetudo habet vim
 tollendæ legis, etiam Canonice, vt communiter
 tradunt Doctores, & apertè colligitur ex Cap.
 fin. de Consuetudine. qua de re videatur Couar.
 lib. 3. variarum cap. 13. Idque maximè procliue
 est quando agitur de lege pœnali, qua parte pœ-
 nam statuit: hæc enim ex parte facillimè tollitur,
 vt supra nu. 2. dictum est. Quantum autem tem-
 poris ad hoc requiratur, disputant Doctores. Sed
 omnes consentiunt legem Canonicam, etiam qua
 parte dispositiua est, tolli consuetudine 40. anno-
 rum: quanto ergo facilius qua parte pœnalis est?
 Atqui hæc consuetudo est plusquam centum an-
 norum, ita vt omnem hominum memoriam su-
 peret. Ergo non est dubitandum quin potuerit
 pœnalem illam constitutionem Capituli Quamquam
 abolere.

Tertiò, Quia Principes Belgij legitima præ-

scriptione videntur sibi iam olim comparasse ius
 illud quo concedunt priuilegium testandi vsura-
 riijs. Nam plusquam à 150. annis, nempe à tem-
 pore Philippi Boni, vsi sunt hoc iure, nemine re-
 pugnante, aded vt testamenta vsurariorum con-
 cessu Principis (Ottroy vulgò dicunt) facta, habita
 fuerint valida. Atqui certum est tanto temporis
 vsu potuisse Principem tale ius acquirere, præfer-
 tim cum solū agatur de tollenda quadam inha-
 bilitate inducta per legem Canonicam: & Princi-
 pi supremo (seposita Ecclesiæ dispositione) iure
 Gentium conueniat talis potestas circa suos sub-
 ditos. Confirmatur, quia si Principes possunt lon-
 gissimi temporis vsu præscribere ius præsentan-
 di ad quædam beneficia Ecclesiastica (quod ta-
 men natura sua est spirituale) & cognoscendi in
 plurimis causis quando agitur de possessorio: quã-
 to faciliùs possunt præscribere hoc ius quo suis
 subditis concedant potestatem testandi, cum ius
 istud non sit spirituale, sed ipsi principatui quodã-
 modò annexum. Non videtur itaq; dubitandum
 quin Principi tale ius per tanti temporis vsu &
 possessionem verè sit acquisitum, quamuis antè
 per Ecclesiā ob altiore finem fuerit ademptum
 vel suspensum: ac proinde testamenta vsurario-
 rum, quibus ipse priuilegium testandi dederit,
 valida erunt, nec ab Ecclesiastico Iudice poterunt
 infringi: quia vis dispositionis Cap. Quamquam
 quoad hanc partem, tanti temporis vsu contrario,
 iam pridem hic eneuata est.

CASVS II.

Caia iuncta fuit matrimonio Sempronio, quem
 sciebat publicum vsurarium; & cum eo mul-
 tis annis vixit.

QVAERITVR, Vtrum idcirco Caia in foro ex-
 teriori debeat censi manifesta vsuraria,
 & incurrisse pœnas Iuris statutus Capitulo
 Quamquam, De vsuris in 6. & nominatim
 pœnam inualidi testamenti?

Certum videtur, ob illam causam quòd Caia
 fuerit vxor Sempronij manifesti vsurarij, nō
 posse dici manifestam vsurariam. Primò, quia ma-
 trimonium non est societas scelerum, sed officio-
 rum ad vitam & procreationem necessariorum.
 Vnde scelera mariti nō possunt ratione matrimo-
 nij refundi in vxorem, nec contrà; vt per se notū
 est: sed aliunde societas scelerum probari debet.
 Imò tantū abest vt idcirco vxor censenda sit
 manifesta vsuraria, vt vix aliquod leue indicium
 seu leuis præsumptio inde sumi queat ad proban-
 dum ipsam simpliciter vsurariā fuisse. Itaque hac
 in re nulla potest esse dubitatio.

Secundò, In præsentī negotio, nempe ad effe-
 ctum incurrendi pœnas Capituli Quamquam. non
 sufficit probatio plena in iudicio, qua quis proba-
 tur esse vel fuisse absolute vsurarius; sed requiri-
 tur probatio talis, quæ probetur plene fuisse vsu-
 rarius manifestus; vt docet Baldus l. 1. C. de sa-
 crofanct. Eccl. col. 4. vbi dicit; Non sufficere ad hoc
 vt quis sit vsurarius manifestus, vt probetur eum vsura-
 rium esse; sed requiri probationem actuum publicè &
 palam gestorum super eiusdem criminis exercitio, quod
 est valde notandum. Idem docet Bartolus l. Fur.
 7. de furtis, Quando queritur, inquit, Vtrum quis
 sit manifestus peccator alicuius delicti, non sufficit vt
 facias

faciat semel aut bis illud delictum, sed requiritur ut stet publice paratus ad illud delictum faciendum; sicut meretrix in prostibulo, vel vsurarius ad banchum. vt l. Palam, in princ. x. de Ritu nuptiarum &c. Itaque etiam si probari posset Caiam aliquando dedisse ad vsuram absente marito, hoc tamen non sufficit vt censeatur publica vsuraria; aut vt testamentum eius censeatur inualidum. Idem disertè docet Couar. lib. 3. Variarum cap. 3. n. 5.

9
Non sufficit quòd post mortem fiat manifestum, viuentem fuisse vsurarium.

Tertiò, Pari modo non sufficit vt post mortè incipiat esse manifestum, ipsam ante mortem fuisse vsurariam: sed requiritur vt tempore quo testatur, fuerit manifestè vsuraria. Secus si ante & post illud pœnituit: aut si ante mortem fuit occulta vsuraria, & post mortem id incipit esse manifestum: tunc enim testamentum valebit. Ita in terminis docet Angelus in quodà Consilio, quod incipit: *In causa predicta*, &c. Et probat ex d. Cap. *Quanquam*, vbi dicitur primò, *Nullus vsurariorum manifestorum testamentis interist*. vbi apertè loquitur de testamentis eorum, qui tempore factionis testamenti, erant manifesti vsurarij. secundò dicitur, *Testamenta manifestorum vsurariorum aliter facta, non valeant, sed sint irrita ipso iure*. Quod necessariò intelligendum de testamentis eorum, qui saltem ante mortem manifesti erant vsurarij.

10
Nec quòd quis sit in iudicio confessus se simpliciter fuisse vsurarium.

Quartò, Imò non satis est ad incurrendas pœnas Capitis *Quanquam*, vt quis in iudicio confessus sit se vsurarium fuisse simpliciter, aut vsuras exercuisse: quia etsi talis confessio in genere sufficiat ad effectum, vt quis post confessionem censeatur vsurarius manifestus, id est, manifestatus & publicatus, & vt puniatur per sententiam Iudicis pœnâ pecuniariâ, vel aliâ per leges iuste statutâ, non tamen vt dicatur manifestus ratione manifesti exercitij & negotij: quod tamen requiritur ad pœnas cap. *Quanquam*. Ita disertè Couar. lib. 3. Variarum cap. 3. n. 5. & probat optima ratione: quia alioqui sequeretur eum qui semel & occultè ad vsuram dedit, & id in iudicio confessus est, grauissimis illius Capitis pœnis teneri: quod à ratione alienum est, & contra mentem Ecclesiæ & praxim. Itaque etsi confessio in iudicio & sententia Iudicis dicantur inducere notorium Iuris, vt docet Glossa 2. q. 1. Can. *Manifesta*. Nauar. Enchir. cap. 25. n. 73. & cap. 27. n. 255. & alij: tamen ad pœnas Capitis *Quanquam* non sufficit, nec facit tali modo manifestum, qualis ibi requiritur.

11
Nec sufficit infamia.

Quintò, Neque etiam infamia sufficit, vt omnes Doctores fatentur. Fama enim non facit rem manifestam, ita vt nulla tergiversatione queat negari; sed solum mouet suspiciones. Vnde etiam ad alias pœnas inferendas, quæ non postulant crimen manifestum, non sufficit, sed requirit alia adminicula, quæ per se probent plusquam simpliciter; vt docet Couar. suprâ n. 4.

12
Frequenter ratio Sacramentorum arguit aliquem non esse publicum vsurarium.

Sextò, Tantùm verò abest vt prædicta Caia manifestè fuerit vsuraria, dum viueret, vt ne quidem infamiâ huius criminis laborasse videatur. Si enim infamiâ laborauit, quomodo eius Parochus, vir doctus & probus, eam tanquam probâ feminam publicè ad Sacramenta admisit? quomodo eam publicè ad altare comparentem, non repulit? Graui profectò sacrilegio se obtrinxisset, & magnam scandali dedisset occasionem populo, si personam publicè de tali crimine infamè, ad Sacramenta admisisset. Atqui nullo modo præsumendum, Parochum tali crimine se voluisse

contaminare: ac proinde non potest præsumi eam tali infamiâ laborasse, nisi id manifestè constet. Quòd si ne infamiâ quidem laborauit, multò minus potest dici illam manifestè talem fuisse. Idem confirmatur ex eo, quòd cum Caia esset mortua, etsi initio ob suspensionem aliquam motam Capitulo Canonicorum negata fuerit ad aliquot dies sepultura sacra, postea tamen est admissa; nimirum re meliùs discussâ & suspicione abtersâ. quod ipsum firmissimum argumentum est, illam non fuisse manifestam vsurariam. alioqui grauissimè Capitulum peccasset illam ad sepulturam admitendo, vt patet Clementina *Eos qui de sepult. vbi infligitur excommunicatio ei*; qui manifestum vsurarium Ecclesiasticæ sepulture tradiderit.

13
Quid requiratur ut quis dicatur manifestus vsurarius?

Denique vt quis dicatur manifestus vsurarius iuxta mentem Capitis *Quanquam*, requiritur vt ratione manifesti & publici exercitij, & actuum vsuræ ita id clarum & perspicuum sit, vt nulla tergiversatione negari queat: vt optimè docet Couar. suprâ. Hoc autem locum non habet in nostro casu. Imò etiam si hoc nomen accipiatur latius, vt extendat se etiam ad confessos, & conuictos in iudicio, & ad eos qui per sententiam de crimine damnati, sicuti multi alij Doctores accipiunt, vt Siluester V. vsura 9. & alij Summistæ: nihilominus hęc locum non habet; quia Caia nõ fuit vnquam confessâ in iudicio, quòd vsuras exerceat, nec conuictâ de eo, multò minus ea de re damnata.

Ob has & alias rationes, quæ adduci possent, omnino concludendum videtur Caiam non esse manifestam vsurariâ censendam, nec pœnas Cap. *Quanquam*, nominatim quoad testamenti irritationem, in ea locum habere.

CASVS III.

Pecunia pupillarum data ad vsuram.

Tutores & præfecti Camera pupillorum coguntur pupillares pecunias dare seniori ad rationem 8. vel 10. in 100.

QVÆRITVR, Vtrum id licitè facere possint?

RESPONDEO, Tutores & præfecti Camera pupillorum coacti pupillarem pecuniam seniori dare ad rationem 8. vel 10. in centenarium, possunt excusari per triplicem contractum si contrahant cum mercatore, & expressè vel implicite triplicem illum contractum intendant.

13

Nec refert, quòd in illis locis vsuræ putentur licitæ ab hæreticis Magistratibus qui id præcipiunt: quia hi id non præcipiunt in contemptum Religionis vel fidei: sed quia id putant non esse iniquum, præcipiunt tanquam vtile pupillis. Et sanè rēditus ibi longè plus valent, quàm hęc, similiter etiam lucrum cum mercatore plus ibi valet.

Si contrahant cum non mercatore, poterunt excusari ratione interesse; quia à mercatore tantundem habere facili negotio poterant. Vide suprâ Verbo Censur, Casum 3. 4 5. & Verbo Mutuum, Casum 4.

CASVS IV.

Mutare vsurario bona fide sub lucro 8. in 100.

Titius dedit bonam summam pecunia vsurario publico, Episcopo sciente, putans id licere: accipit 8. pro 100. Postea intelligit id illicitum esse.

B * iiii

QVÆRITVR

QVÆRITVR Primò, An pecuniam illam possit aliquantisper relinquere donec tunc eam possit recuperare; alioquin enim periculum est ne vel totam, vel magnam partem amittat?

QVÆRITVR Secundò, An possit retinere lucrum quod percepit bona fide?

14

AD Primum: Respondeo, Titium tuta conscientia posse relinquere pecuniam suam ad tempus apud Vsurarium, si antea non potest eam sine periculo notabilis damni repetere. Ratio est, quia non est per se malum mutuare vel relinquere pecuniam suam vsurario, modò id non fiat animo iuuandi illum in vsuris exercendis; vel ob alium malum finem, qui si antea fuit, facile potest intentione mutatà tolli. Confirmatur, Quia ille nemini facit iniuriam: Non Vsurario, quia hic optat illam habere; non etiam ijs qui ad vsuram petunt, quia hi optant Vsurariū habere multas pecunias.

15
Lucrum ex dato mutuo vsurario, restituendum.

Ad Secundum: Respondeo, Titium teneri ad restitutionem lucri percepti ab vsurario, nisi aliquam speciem iusti contractus explicitè vel implicitè cum illo inierit; vt per se patet: quia alioquin caret titulo iusto. Certum autem est non posse accipere titulo mutui vel depositi, neque titulo contractus societatis iuncto contractui assicuracionis capitalis, & lucri certi minoris pro maiore incerto; quia negotiatio vsuraria quam exercet vsurarius est per se iniusta, nec vllū lucrum parit.

Nisi vsurarius gratuitò donec.

Solum videntur hęc duo tituli posse intervenire: alter est donationis, alter lucri cessantis. Titulus donationis vix potest præsumi; nam vsurarius non censetur facile donare. Si tamen esset diues, & ob commoditatem perceptam ex alterius pecunia, expressè diceret se donare animo rependendæ gratitudinis, non cogere ad restitutionem: quia vsurarius habet dominium suarum pecuniarum, & bona ipsius non sunt hypothecata ratione vsurarij. Titulus autem lucri cessantis hęc locum habere potest, si ille, priusquam pecuniam vsurario mutuet, animum habebat illam applicandi ad iustum aliquod lucrum per mercaturam, vel emptionem redditus &c; & mutuatio facta vsurario causa fuit cur illud propositum non sit executus: tunc enim mutuatio est causa lucri cessantis.

Vel si titulus lucri cessantis.

Mutuare vsurario titulo lucri cessantis, 12. in 100.

CASVS V.

An liceat ei qui dat Vsurario mutuum, aliquid exigere titulo lucri cessantis, maxime si vsurarius offerat 12. pro 100. vel etiam 16.

16

Mutuare vsurario sine causa, solum titulo lucri cessantis, est peccatum.

Respondeo & Dico Primò, Mutuare Vsurario cum pacto faciendi lucri cessantis, speciem habet mali, estque offensiuum populi; & si fiat sine causa, est peccatum. Primò, Quia quisque ex charitate tenetur impedire peccatum proximi sui quantum commodè potest: atqui hęc commodè potest impedire peccata vsurarij, saltem ex parte; & non impedit. Secundò, Quia videntur tales cum vsurario conspirare, eumque in suis vsuris velle iuuare præbendo instrumenta. Vnde etiā simplex mutuatio ipsi facta sine pacto lucri, non censetur honesta.

17

Dico Secundò, Hoc tamen peccatum quod

committitur quando sine causa quis ei mutuum dat cum pacto de lucro cessante, non obligat ad restitutionem faciendam vel vsurario, vel ijs quibus ipse ad vsuram dedit, si illa mutuatio causa fuit lucri cessantis; & spes lucri reuerà tanti aestimata. Probatur, Quia neque ex officio tenebatur impedire vsurarium ne daret illam pecuniam ad vsuras: neque ita censetur iuuare vt sit causa damni mutuatarijs. Cuius signū est quòd nullus illorum aestimet sibi fieri iniuriam, per illam mutuatōnem: Nam omnes qui petunt ab ipso, optant illum pecunijs abundare.

Dixi, Si mutuario causa fuit lucri cessantis: quia alioqui titulus lucri cessantis locum non habet. Quòd verò spes lucri, tanti debuerit reuerà aestimari, quantum exigit, Patet, quia in omni tali contractu hoc est necessarium, alioquin non seruaretur æqualitas.

Dices, Vsurarius soluendo pro lucro cessante 12. in 100. fit impotens ad restituendum omnibus quibus debet: ergo qui accepit 12. ab illo, tenetur restituere.

18
Si vsurarius per hoc inter esse fiat impotens.

Respondeo Primò, Non semper est certum quòd fiat impotentior ad soluendum: multi enim sunt valde diuites, ita vt duplo vel triplo amplius habeant, quàm debeant ratione vsurarum.

Respondeo Secundò, Etiam si fieret impotentior ad restituendum, is tamen qui contrahit cum illo titulo oneroso, non tenetur ad restitutionem, si id ignorauit. Quòd si id sciuit, adhuc non tenetur nisi à creditoribus ipsius exigatur: solum enim datur illis actio rescissoria vt rescindant contractum, quatenus per illū factus est impotentior, vtque exigant illud lucrum, vt colligitur ex Cap. Qua in fraudem creditorum. Lege vltima. Et ff. eodem Tit. l. 1. cum seq. & l. vltima. Quòd si creditores vsurarij ab illo nihil exigant, ad nihil tenetur: nam vsurarius est dominus rerum suarū, & potest de illis disponere maxime per contractus onerosos, & etiam gratuitos (præterquam in vltimis voluntatibus) & consequenter dominium transferre; neque creditores illius ius habent in illas, nisi personale, id est, quamdiu apud ipsum sunt: Nisi quatenus Ius positiuum disposuit de actione rescissoria casu supra dicto.

Quid si hoc sciuit, & creditores à se exigant restitutionem.

Dico Tertio, Posita necessitate restituendi (que tamen non est ponenda, nisi plus acceperit quàm spes lucri cessantis aestimata fuerit; vel nisi agant creditores vsurarij actione rescissoria; vel aliquod statutum particulare alicuius loci, quod nõ puto, omnes tales contractus cum vsurario irritos reddat) tenetur restituere vsurario: ab illo enim accepit. Id autem quod ab aliquo iniuste acceptum est, restituendum est ei, à quo acceptum.

19
Si faciendū esset restitutio, esset faciendū ipsi vsurario.

Si tamen velit, potest restituere ijs quibus vsurarius debet. Nam qui soluit creditori sui creditoris, liberatur à suo creditore; quia transfert in se actionem creditoris ipsius. Interdum fieri potest vt quis teneatur ex charitate restituere creditoribus vsurarij; quando nimirum sunt pauperes, & credibile est quod vsurarius illis nunquam restituet, & ille nihil timet incommodi ab vsurario.

Vel eius creditoribus.

Dico Quarto, Si aliqua iusta causa subsit mutuandi vsurario, etiam cum pacto lucri, nullum est peccatum. Probatur, Quia non est per se & intrinsecè malum; & iusta causa facit vt non teneatur impedire ipsius peccatum, & vt non conseatur illud approbare.

20
Mutuare vsurario cum iusta causa, non est peccatum.

Neque

CASVS VII. & VIII.

§. 1.

Titius officialis super officio suo summam pecunia accipit à Sempronio, ob quam hic in societatem officij admittitur, ut proportione ad summam à se collatam, partem fructuum quotannis usque ad mortem suam naturalem recipiat. Ad vitandas contentiones, quæ ob fructuum percipiendorum incertitudinem oriri possent, transigant ut Titius pensionem 12. in 100. quotannis soluat, anticipando ante singula semestria pensionem semestris secuturi, siue sex in 100. sic ut si quando id non præstiterit, possit Sempronius exigere ut sortem totam Titius intra dies quindecim refundat.

Contra-
tus usu-
rarius in
societate
officio-
rum.

Neque refert quòd petat compensationem lucri cessantis: quia potest illud petere quando reuerà subest iustus titulus exigendi. Neque idè mutare usurario sine causa malum est, quia ab eo exigitur compensatio lucri cessantis; sed quia per mutationem præbetur instrumentum dandi ad usuram, ut dictum. Vnde non minus malum est gratis ei mutare, quàm cum lucro.

Commodi-
tas iusti
lucris non
est suffi-
ciens causa
mutuandi
usurario.

Dices, Semper erit iusta causa mutuandi cum lucro; quia ipsa commoditas iusti lucri quæ offertur, erit sufficiens causa.

Respondeo Negandò quod assumitur: Cùm enim non possit pro mutuo exigere quidquam nisi ratione lucri cessantis, nec possit plus exigere quàm valeat illa spes lucri; deberet potius profequi negotiationem honestam, quàm sperabat magnum lucrum, quàm illà relicta mutare usurario: Nisi alia quædam grauius causa intercedat: v. g. Si amitteret amicitiam alterius qui potens est, vel, si ab eo sibi timeret.

CASVS VI.

§. 2.

Titius officium suum Manio dat mutuum, siue elocat ad hunc solum effectum, ut Manius super illo summam aliquam pecunia accipiat à Sempronio, hunc admittens in societatem, non cum Titio, cui officium suum non grauatam restituitur, sed secum, quoad officium illud, quod ex consensu Titij in contractu pro forma producitur. Deinde pro parte fructuum quæ Sempronio ex tali officio provenire possent, similiter spondet pensionem annuam 12. in centum usque ad mortem Sempronij naturalem, soluendam anticipatè ante singula semestria per representationem 6. in 100. sic ut quando Manius id non præstiterit, eum cogere possit Sempronius ad sortem intra dies 15. refundendam.

QVÆRITVR, An utrobique Sempronius inuenit contractum usurarium?

AD hunc casum difficile est solidam dare responsum, eò quòd species facti non sit satis distinctè explicata. Nam Primò non explicatur an extinguatur obligatio soluendæ pensionis si Titius officio priueter, vel moriatur; an verò hæredes debeant continuare solutionem usque ad mortem Sempronij, vel donec alio modo contractus debitè dissoluatur. quod puto seruari in praxi. Secundò, an tunc debeat fors restitui Sempronio; an verò hæredes Titij illam lucentur, quamuis putem seruari ut restitatur. Tertid, quòd si facta anticipatà solutione contingat Sempronium violenta morte defungi, utrum ius ipsius transfret ad hæredes, an verò Titius lucraretur sortem. sed dictum mihi est eò euentu ius Sempronij transfret ad hæredes, & ipsis sortem esse restituendam, nisi contractus continuetur. Quartò utrum Sempronius possit recusare anticipatam solutionem, quam Titius initio cuiusque semestris facit, & tunc repetere sortem, ita ut Titius teneatur eam elapsis 15. diebus representare, dicitur mihi posse recusare, & tunc repetere sortem.

23
Species facti non satis hic explicatur.

Tributū ab usurario acceptum.

Princeps consuetum tributum ab usurario pendit solutum auxit ad ter mille florenos, quos in honorarium dedit Titio.

QVÆRITVR, An Titius vel eius heres teneatur ad prædicta summa restitutionem?

21
Usurarij licet impositur tributum.

Solutio pendet ex duobus. Prius est: Vtrum Princeps tantum possit exigere ab usurario. Non enim potest exigere per modum pœnæ, cùm usura Iure Ciuili communi & passim prouinciali permittantur. Sed si potest exigere, potest per modum tributū siue pacti vel potius pretij pro immunitate & licentiâ, sicut exigere potest à meretricibus & Iudæis &c. quod tributum, non facillè quis dixerit, esse iniquum, cùm vbique ferè exigatur; & Principes iam illud vsucapione præscripserint. Credibile quoque est iustas causas illius augendi subfuisse; præsertim cùm hoc tempore plurimùm lucentur. Neque idcirco usuras augeri puto, quia illæ passim sunt taxatæ; nimirum ut soluatur pro singulis heddomadibus octaua pars assis in singulos florenos, quod exerefcit ferè ad 33. in 100. quotannis &c; neque existimo permitti ut amplius exigant, cùm exacto anno fiat venditio pignoris, nisi redimatur; & quod superat sortem & usuras, domino non restituatur.

Alterum est, Vtrum usurarius per hanc solutionem non sit redditus impotens ad soluendum creditoribus. Non enim potest tantum exigi ut fiat impotens solutionis prius debitæ; ut per se patet.

Ex his colligi potest Responso: Cùm enim præsumendum sit Principem iuste exigere illud tributum, ob causas dictas, quamdiu de contrario non constat; neque usurarius videatur per solutionem 3000. florenorum factus impotens restitutionis, non est Titius aut eius heres obligandus in conscientiâ ad restitutionem dictorū 3000. sed potest ea retinere. Quamuis laudabilis esset, si ea, quæ ab usurario accipiuntur, in causas pias expendenterentur; quia plerumque omnia illorum sunt obnoxia restitutioni. Si tamen in particulari non constat, non est obligatio imponenda.

Quid in casu iudicandū Titio.

fortem, quod si verum est, conditio illa est valde dura. Quinto, Vtrum inreceptu huius quartæ conditionis sit soluenda pensio pro rata vsq; ad diem quo refunditur fors ipsa. Hæc omnia ad exactam resolutionem deberent esse cognita. Nihilominus respondebimus secundum illa quæ verisimilius putantur adesse, quod vt faciamus :

24
4. Rationes
ob quas hic
contractus
videtur
iniquus.

1. Quia
non est hic
vera socie-
tas,

Adferenda primum illa ob quæ hic contractus videri possit iniquus : quorum Primum sit, quodd hæc non videatur vera societas, sed ficta; ac proinde non subsistat species contractus quæ supponitur : quod sanè contractum efficit valde suspectum. Non esse veram societatem, Probatur : quia contractus societatis requirit rem aliquam communem & diuisam, quæ communiter possideatur, cuiusque fructus sint communes, vt patet in varijs societatum generibus, vt in societate matrimonij, in qua est communio omnium bonorum; in societate mercaturæ, in qua est communio fortis quæ mercimonijs impenditur; in societate animalium, in qua est communio animalium, quæ pro rata & aliquo parte pertinent ad singulos socios; in societate agriculturæ, in qua est communio agrorum, vel laborum, vel expensarum. Societas enim lucratiua requirit vt singuli sociorum aliquid in commune, veluti suam symbolam conferant, ex quo aliquis fructus in commune proveniat, postea in singulos, pro rata symbolæ collatæ (siue ea sit pecunia, siue labor ac industria) diuidendus. Atqui hæc nihil tale apparet : quia officium illud non fit commune præsertim in secunda forma contractus, cum Mæuius mutatur illud à Titio. nam Sempronius non efficitur socius Titij in possessione illius officij, nec quidquam illi est negotij cum Titio officiali, sed solum cum Mæuio, cui nihil iuris est in officio Titij : nam officium illud solum in contractum producitur pro formâ, vt dicitur in specie facti, id est, ad palliandum contractum honesto societatis nomine. Itaque manifestum est nullam ibi esse veram societatem.

2. Quia
anticipa-
tur solutio
fructuum.

Secundò, Etiam si admitteremus hæc contractum societatis, nihilominus non videretur posse excusari ab iniustitia : nam in societate non anticipatur solutio fructuum, cum sit contractura societatis vt socio debeantur fructus priusquam sint nati. Atqui hæc anticipatur solutio: nam in principio semestris soluendi sunt fructus, qui nondum extant, quos nimirum officium decursu illius semestris lucrabitur. Nec satisfacis, si dicas, hunc contractum potius habere formam census vitalis, quam societatis: quia etiam in censibus iniquum est obligare ad solutionem pensionis initio cuiusque anni vel semestris spacij. Ratio est, quia si tibi dem ad censum vel ad societatem centum aureos, & obligem te vt statim soluas mihi pensionem vel fructum 6. aureorum pro primo semestri, reuera non do tibi 100. sed solum 94. nam ex centum repetere 6. nihil est aliud quàm dare 94. quare iniquum est si postea repetens fortem exigam 100. & iniquum est velle vt mihi statim soluatur pensio manente sorte 100. aureorum.

3. Quia
fors hic nõ
extinguitur.

Tertiò, In censibus vitalibus non est restituenda fors, sed extinguitur, & manet debitoris, moriente illo super cuius vitâ est census talis constitutus: sicut patet ex vsu Prouinciarum & ex Doctoribus, qui hæc de re tractant. Atqui hic fors

multis casibus non extinguitur, sed salua manet creditori: quod videtur iniquum & contra iustam æqualitatem. Si enim est æqualitas cum fors non est restituenda, sed manet debitoris & extinguitur morte; certè non potest esse æqualitas quando est certis euentis restituenda.

Quartò, In censibus, in quibus dantur 16. in singula, fors non potest repeti, quia id vsuram facit, vt communiter D. D. tradunt: atqui hic potest fors repeti, cum tamen nõ dentur nisi 8. in singula: ergo hic contractus facit vsuram.

Pro Responsione: Notandum est, non esse hæc aliquem contractum vnicum, qui possit dici contractus societatis, aut census, vt iuxta naturam illius possit decidi, sed multiplicem & ex multis pactis accessorijs constitutum.

Et quidem in priore formâ in quâ Sempronius tractat cum Titio officiali, prior contractus est societatis, si reuera officium fiat commune. Sicut enim ab initio poterant officium communiter emete, ita vt esset vtriusque pro ratâ, quamuis ab vno tantum administraretur; ita etiam quando ab vno solo emptum est & possessum, potest alius in partem admitti siue gratis, siue pretio: & ille efficitur particeps lucris, iuxta conuentionem initam. Si autem officium non fiat commune, sed Sempronius tantum admittatur ad ius fructuum, sic non est propriè contractus societatis, sicut neque cum alij fructus ab indiuiso à pluribus emuntur, aut possidentur; sed emptio rei indiuisæ pro parte aliquotâ incertâ. Potest tamen dici societas, quatenus emptor efficitur socius venditoris in ordine ad dominium & diuisionem fructuum illorum, sed parui interest quo nomine vocetur, modo de re constet. Certum autem est hunc contractum esse licitum, modo seruetur æqualitas.

Alter contractus quo ad vitandas alteraciones diuisionis, paciscuntur de 12. in centum &c. videtur contractus commutationis iuris ad lucrum incertum, cum iure ad lucrû certû; vel venditionis lucris incerti, pro certo, adiectis certis pactiunculis & conditionibus. Hic etiam contractus iustus esse potest, modo seruetur æqualitas, ita vt onera illa quæ imponuntur præsertim debitori, ritè compensentur; & lucrum illud incertum seu spes eius, iudicio prudentum tanti valeat quanti obligatio illa annuè soluendi 12. in 100. cum ceteris oneribus. Si enim spes illa lucris incerti ex officio percipiendi, non tanti valet iudicio prudentum, contractus est iniquus, neque ex hoc capite potest iustificari. Sed tunc videndum esset an aliâ ratione iustificari nequeat, v. g. per modum census vitalitij. Et sanè crediderim in praxi parû curari, Vtrum lucrum incertum tanti valeat; sed solum id quæri vt habeantur 12. in centum. Vnde non videtur hæc esse vera societas, aut verum ius ad fructus officij pro ratâ pretij: sed solum emptio census vitalis, siue personalis tantum; siue partim realis, partim personalis. De cuius iustitia,

Dico Primò, Si debitor soluens annuè 12. pro 100. anticipatè initio cuiusque semestris, potest hac ratione efficere vt creditor non possit repetere fortem, non video cur hic contractus non possit admitti. Nulla enim apparet inæqualitas. Quod confirmo: quia census vitales quibus soluuntur 12. cum dimidio in centum quotannis, constitui solent in alijs locis etiam ad duorum vitam. Atqui hoc onus (quamuis fors non possit repeti)

4. Quia
fors hic potest
repeti.

25
Quodam
responsioni
promissenda.

26
Prior con-
tractus ex-
cusatur, si
creditor
non possit
repetere
fortem

NON

non videtur minus grate, imò grauius, quam onus soluendi 12. in centum dicto modo anticipatè ad vitam vnus cum potestate impediendi repetitionem fortis: onus enim soluendi ad duas vitas grauius videtur, quam onus soluendi ad vnam tantum anticipatè, si sic possis impedire repetitionem fortis.

Nec obstat quòd fors possit repeti, vel in aliam vitam transferri possit contractus, si non solueris pensionem anticipatè; quia id tua negligentia imputandum est. poteris enim prauemire & impedire.

Ad Primum argumentum supra positum quatenus huic propositioni repugnat, dicendum est: Parum referre ad iustitiam contractus quo nomine vocari debeat, aut quã formã celebretur, modò in ea inueniatur equalitas inter ea quæ conferuntur à partibus. hic autè videtur seruari equalitas. Obligatio enim soluendi 12. in 100 anticipatè modo supradicto ad vitam creditoris, non videtur plus valere, quam 100. etiamsi creditor quibusdam casibus ius repetendæ fortis habeat.

Ad Secundum: Verum est in simplici contractu societatis vel census non posse peti anticipatam solutionem: potest tamen id fieri in composito, vbi peculiari pacto ita stipulatur, & debita fit compensatio, sicut in presenti negotio; vt ostensum est.

Ad Tertium & Quartum: Hæc argumenta potissimum vrgent sed dicendum, Quando census vitalis constituitur ad duas vitas, non posse fortè vilo modo repeti: secus, cum ad vnam tantum. Nam hoc tantum minuit onus debitoris, quantum illa potestas quibusdam casibus repetendi, illud augeat, præsertim cum ipse diligentia suã possit impedire ne repetatur.

Dico Secundo, Si debitor soluendo anticipatè non possit impedire quo minus creditor possit repetere fortem, difficile est hunc contractum excusare ab iniquitate, imò & ab vsura. Probatur Primo, quia accipit lucrum ex pecunia sua, saluã sorte, & ius illud fortis repetendæ non compensatur peculiari pretio: ergo est inæqualitas: cum, quæ fors salua maneat, videtur esse tantum mutatio; ac consequenter lucrum illud accipietur ratione mutationis. vnde erit vsurarium lucrum. Nec obstat quòd in quibusdam casibus fors amittatur creditori; quia illi casus facile ab ipso possunt impediri ne eueniant. Neque vsurarius publicus excusaretur ab vsuris, etiamsi similes quosdam casus poneret in contractu quibus fors ipsi periret: nam illud periculum parui æstimatur, cum facile impediri queat. Fateor tamen excusari posse si totum nitretur vero contractu societatis, & ius Sempronij ad fructus incertos iudicio prudentum tanti valeret, quanti totum illud onus quod subit Titius, nempe quantum obligatio illa soluendi anticipatè prædictam pensionem, & peri-

culum restituendæ fortis. Si autem ius illud non tanti valeat, aut Sempronius non habeat verum ius ad fructus officij pro ratâ summæ collatæ, totum reuoluitur ad rationem census vitalis, in quo fors non potest repeti; vt ex Bulla Pij V. & alijs DD. constat, saltem non ita quin creditor id possit suã diligentia impedire, vt supra dictum est. quo casu etiam illud ius est compensandum, vel alia ratione onus creditoris leuandum.

Quod ad alteram formam attinet, in qua non Titius officialis, sed amicus eius Mæuius tractat cum Sempronio, & ab eo accipit 100. super officio Titij, cuius officij nomen & titulum ei Titius veluti equum meritorium elocat: certum est nullam hic esse societate; sed fingi duntaxat, fortè propter Bullam Pij V. quæ vetat constitui census nisi super re aliqua fructifera, & hic contractus habeat speciem census; vel vt imago vsuræ obueletur. Itaque ad examinandã iustitiam illius, nulla est habenda ratio officij, aut fructuum eius, aut quantum officij sit grauatum, vel alijs ad similes contractus elocatum. Hæc enim omnia impertinentia sunt ad veram huius contractus qualitatè, cum officium solum ad formam & speciem quandam externam adhibeatur.

Quo posito: Manifestum est hic solum esse contractum census vitalis personalis adiectis quibusdam conditionibus & pactiunculis limitantibus: cuius iustitiam difficile est statuere si creditori, quodocunque libuerit, fas est recusare anticipatam solutionem, & tunc repetere fortem, hoc enim onus valdè est graue & contra naturã census. Si enim in censu perpetuo redimibili ex parte venditoris, vbi in singula dantur 16. non potest emptor repetere pretium, quanto minus poterit in vitali, vbi in singula dantur solum 8. quiq; morte deberet extinguì? accedit, quòd tantum onus non videatur compensari. Itaque non satis apparet qua ratione hic contractus ab improbitate vsuraria possit excusari.

Vna sola ratio videri possit, si dicatur posse emi censum perpetuum redimibilem ex parte venditoris pretio 100. in 10. & pretio 10. in singulos, vt fit in Sicilia. Cur non possit emi vitalis pretio 100. in 12. seruato iure repetendæ fortis; cum quibusdam casibus debitor possit fortem lucrari, & creditor illam amittere? Ponamus enim Mæuium debere Sempronio censum perpetuum 10. aureorum, qui non possit extinguì nisi restituta sorte 100. aureorum: & Sempronium offerre Mæuium hanc conditionem, vt iste reditus commutetur in vitalem, ita tamen vt soluat 12. in 100. & det ius repetendæ fortis, & ipse Mæuius certis euentis possit lucrari fortem, non videbitur adeò dura hæc commutatio. sed meo iudicio dura est. Vnde non ausim hunc contractum approbare, nisi pleniore informatione de re tota acceptã.

27
Respondetur
argu-
mentis
supra
allatis.

28
Non potest
excusari
si possit
creditor
fortem re-
petere.

29
Examina-
tur posse
rior con-
tractus.

Est hic cõ-
tractus in-
iustus si
creditor
pro libere
possit fortem
repetere.

30
Ratio ali-
qua excu-
satoria.

F I N I S.

I N D E X